EPITOME

HISTORIAE GRAECAE

Πολιτεία . . . μήτε φθόνον ἐνηνοχυῖα, μήτε ζῆλον ἢ φιλονεικίαν, ἔχθρας γονιμώτατα πάθη, μέχρι νῦν οὐ γέγονεν.

PLUTARCH., De cap. ex inim. utilitate

THOMAE VALLAVRII

EPITOME HISTORIAE GRAECAE

ACCEDIT LEXICON LATINO-ITALICVM

EDITIO QVARTA
diligentissime emendata

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA ASCETERII SALESIANI
AN. M. DCCC. LXV.

THOMAS VALLAVRIVS

L. S.

Vix in vulgus prodierat Epitome Historiae Patriae, cum nonnulli intelligentis iudicii viri enixe a me efflagitarunt, ut in proposito persistens, compendiariam Graecorum historiam conderem, quae Sireti epitomen ex adolescentum nostrorum manibus tandem excuteret. Cur enim, aiebant, mutilam et hiantem (1) galli scriptoris opellam a pueris evolvi, ne probabili qui-

(1) Qui Siretianam Ἐπιτομὴν vel oscitanter legendo percurrerint, satis noverunt, multa passim in ea desiderari, quae non ad pleniorem modo historiam, sed ad ipsam narrationis perspicuitatem, conferrent. Sic, ut alia praetermittam, ne leviter quidem gallus scriptor attigit aut heroicam Graecorum aetatem, aut Athenarum instituta; sic post narratum Alexandri Magni excessum, nullam iniicit mentionem commilitonum, qui illius imperium, in tot partes distractum, diu tenuerunt. Unde fit, ut multa legentibus occurrant abrupta, inconnexa, inconsequentia, neque ullo pacto liceat adolescentibus rerum gestarum ordinem mente complecti.

dem orationis genere (1) commendandam? Quum praesertim circumferatur italica eademque inepta illius interpretatio, quae tironum desidiae atque ignorantiae pariter suffragatur. Itaque non tam virium mearum fiducia, quam elegantium virorum voluntate sum adductus, ut hoc Breviarium evulgarem, quod ab initio rerum graecarum (2) ad illam aetatem perduxi, qua Mummius consul, Corintho excisa, Graeciam universam in Romanorum ditionem redegit. Et quo planior studiosis via

(1) Quamquam Siretus, Iustini verba plerumque usurpando, illius vestigia pressit; reprehendendus tamen, quod aptam romani historici narrationem in quaedam, pene dixerim, frustula dissolverit, nullo saepe nexu consociata. Quas vero noster ex penu suo aut ex ipso Iustino locutiones depromit, a germano latinitatis candore haud raro discedunt. Sic in Cap. II: *Satio frumenti reperta est* (ratio serendi) - XXV: *Legatos in pignus retinerent* (obsides retinerent)- XXX: *Inventione legum clarior* (latis vel promulgatis legibus clarior)- XXXV: *Iuxta responsum Apollinis* (ex Apollinis responso) - *Ducem belli Atheniensibus petiverunt* (ab Atheniensibus) - XL: *Nonnisi sex annis* (*nonnisi*, deterioris linguae vox) - XLIII: *Divisi in duas factionum partes* (in duas factiones) - LVIII: *In restaurationem exercitus* (ad redintegrandum exercitum) - LX: *Aliud ditionis* (aliam ditionis partem) - LXXI: *Decem millia in auxilio Cyri fuerunt* (expungenda praepositio *in*) - XC: *Artis bellicae* (rei bellicae) - CXVII: *Mortuorum corpora* (caesorum) - CXXIV: *Imperium periculis circumseptum* (circumventum). Recte scribimus: *praesidiis circumseptum*, non *periculis*, quae potiusquam ad defensionem, pertinent ad excidium. - CLXIX: *Quisquis certabat* (quisque), aliaque id genus complura.

(2) Narrandi initium ab iis temporibus feci, quorum certa apud veteres historicos exstant monumenta.

sterneretur, rudibus litterarum graecarum, pauca breviter sum praefatus de heroicis Graecorum temporibus, deque institutis, quibus Sparta atque Athenae potissimum regerentur.

Haec quidem scripturus, ad Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Plutarchum, Cornelium Nepotem, Livium, Q. Curtium et Iustinum ita respexi, ut complura inde in rem meam derivarem. A Latinis autem non solum sententias, sed voces ipsas, quotiescumque apte caderent, ea lege sum mutuatus, ut dictiones emendarem, siquae passim occurrerent perplexae, aut sequiorem aetatem redolentes. Quo facto, illud praecipue repentinis hominibus nostris testatum volui: falso ab iis veterem studiorum rationem culpari; perinde ac si patres nostri, qui liberos suos iubebant adsidua manu scriptores versare, quos modo memoravi, de excolenda historia parum cogitarent. Quamquam vereor, ne vana surdis auribus canam. Quippe mirum, ni pedem supplodant adversarii nostri, graecae et romanae eruditionis osores, clamitentque, multo commodius, quam

ex vetustissimis litterarum monumentis, graecam historiam ex quibusdam recentiorum scriptiunculis peti, quae parabilem cuique doctrinam facilemque proponant. Cuius quidem opinionis perversitas, quo tandem evaserit, satis abunde testatur ridenda illa historicorum librorum illuvies, qua scholae subalpinae abhinc aliquot annos obruuntur. Sed de his hactenus. Alteram hanc Epitomen benigno vultu excipias velim, candide lector, et una tecum quotquot sinceros veterum fontes adire malunt, quam aequalium rivulos consectari. Vale.

Dabam Augustae Taurinorum III Cal. Iunias, An. M. DCCC. LVI.

EPITOME HISTORIAE GRAECAE

PROOEMIVM

§ 1.

Graeciae divisio. Eius incolae antiquissimi.

Graecia erat omnis divisa in partes quatuor; quarum una appellabatur Thessalia, altera Epirus, tertia Hellas, quarta vero Peloponnesus. Erant praeterea graecae coloniae complures in Europa, in Asia Minore et in Africa. Harum praecipuae ferebantur asiaticae, quae ab Hellesponto pertinebant ad Ciliciae fines.

Graeciam primi incoluerunt Pelasgi atque Hellenes; ex quibus originem duxerunt Iones, Aeolii, Dores atque Achaei. Hi omnes dialecto (1), moribus atque institutis inter se differebant.

§ 2.

De heroicis Graecorum temporibus.

Graeciae populi, nulla ante bellum troianum societate coniuncti, neque in commune consulentes, latrocinio maris aut terrae vitam tolerabant. Unaquaeque vero tribus magistratui parebat, qui he-

(1) Quatuor enumerantur praecipuae Graecorum dialecti: attica, ionica, dorica, aeolica.

reditarium sibi imperium vindicabat. Ad deorum cultum quod attinet, Phoenices atque Aegyptii ad Graeciam advecti, Saturni religionem intulerant, cui pro victimis homines immolabant. Lapsu temporis Saturnum Iupiter excepit, cuius numen terrae fructibus placari arbitrabantur.

Ex inculta immanique vita Graecos ad humanitatem excoluerunt et mitigarunt religiones, caerimoniae, dies festi, commercia, praesertim vero cursus maritimi, quos iam inde ab heroicis temporibus satis late patuisse testantur Argonautae, qui anno ferme millesimo, ducentesimo et quinquagesimo ante Christum natum, usque in Colchidem navigarunt ad auferendum aureum vellus (1).

Post Argonautarum expeditionem memorabile illud bellum gesserunt Hellenes adversus Pelasgos, quod a Troiae urbis excidio troianum fuit appellatum (2). Decenni huic bello, collatis diversorum populorum viribus conflato (3), acceptum praesertim est referendum, quod quaedam quasi societas et coniunctio utilitatum inter Hellenes exstitit, qui exinde in unius populi corpus quodammodo coaluerunt.

Troia capta, tribus, quae septentrionalem plagam incolerent, in reliquam Graeciam impressionem

(1) Argonautarum expeditionem cecinit apud Graecos Apollonius Rhodius poëmate, cui titulus: Ἀργοναυτικά; apud Latinos autem C. Valerius Flaccus. Vide in hanc rem librum, qui inscribitur: *Th. Vallaurii Historia critica litterarum latinarum*, lib. III, cap. 3, § 3.

(2) Troianum bellum descripsit Homerus poëmate, quod inscribitur: Ἰλιάς. Ad Iliadem accedit Ὀδυσσεία de Ulyssis erroribus.

(3) Ab anno ferme M. C. XCIV ad annum M. C. LXXXIV ante Christum natum.

fecere. Hinc complures populorum migrationes, quorum alii victores, servorum loco victos habuerunt. Ita Hellenes bifariam divisi, iussis magistratuum, quos supra memoravimus, dicto audientes fuerunt, usque ad seculum decimum ante Christum natum, quo imperii summa in populum cessit. Excipiendi tamen Epirotae, qui in unius potestate ac ditione manserunt. Quamquam vero singulae Graeciae civitates suis ipsae legibus ac magistratibus regebantur; aliqua tamen coniunctio et necessitudo, uti docuimus, inter ipsas intercedebat, quam amphictyonum concilium atque olympica certamina praesertim fovebant.

Amphictyones, viri spectatissimi, ex singulis civitatibus delecti, unoquoque vere Delphos in templum Apollinis, per autumnum ad Thermopylas conveniebant, controversias diremturi, siquae inter septentrionalis Graeciae civitates forte orirentur. Quum autem oracula delphica amphictyonum arbitrio et nutu praesertim gubernarentur, necessario factum est, ut commune illud concilium in Graeciam universam vim maximam exerceret.

Olympica certamina, quae ingenuo cuique Graeco patebant, nomen ab Olympia duxere, Elidis regione, ubi, quinto quoque anno ineunte, celebrarentur. Continebantur autem cursu, pugilatu, disco, caestu et lucta. Olympionicae honoris corona donabantur, facta virgulis oleaginis; eorumque nomina in olympico gymnasio prostabant, tabulis marmoreis insculpta. Ubi vero ad suos redirent, quadrigis, veluti triumphantes, in urbem invecti, amplissimis praemiis cumulabantur (1). Spatium

(1) Haec certamina cecinit Pindarus, poëta thebanus, spiritus

annorum quatuor, huiusmodi certaminibus interiectum, Graeci *olympiadem* appellare, et tempora per *olympiades* supputare consueverunt; quarum prima initium capiebat ab anno septingentesimo, sexto et septuagesimo ante Christum natum, tertio et vicesimo ante Romam conditam (1).

§ 3.

De Spartae atque Athenarum institutis.

Quum Graecorum historia rebus gestis Lacedaemonum atque Atheniensium fere contineatur, non abs re fuerit paucula quaedam de Spartae atque Athenarum institutis praefari. Ita enim dicenda facilius apparebunt.

Mos erat Lacedaemoniis, ut duos haberent semper reges ex duabus familiis Proclis atque Agidis. Posterior ex his, quum universam Laconiam suae potestati subiecisset, Helotes, resistere ausos, in duram servitutem redegit.

Anno ferme octingentesimo, octogesimo ante Christum natum, Lycurgus, cui regis Charilai tutela fuerat commissa, res Lacedaemonum ordinare aggressus, ad Cretensium leges atque instituta potissimum respexit (2). Administrationem reipublicae per ordines divisit: regibus potestatem bellorum,

magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, lyricorum apud Graecos facile princeps.

(1) Centum et octo annis, postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. TULL., De rep., II, 10.

(2) PLUTARCH. in Lycurg.

annuis magistratibus iudicia, senatui custodiam legum, populo sublegendi senatum, vel creandi, quos vellet magistratus, facultatem permisit. Fundos omnium aequaliter inter omnes partitus est, ut aequata patrimonia neminem alio potentiorem redderent. Convivari omnes propalam iussit, necuius divitiae vel luxuria in occulto essent. Parcimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed rerum permutatione iussit. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit. Iuvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit, nec quemquam cultius, quam alterum progredi, neque epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteret. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci praecepit, ut primos annos non in luxuria, sed in opere et laboribus agerent. Nihil eos somni causa substernere, et vitam sine pulmento degere, neque prius in urbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere iussit, ut uxores eligerentur non pecuniae, severiusque coniuges suas viri coërcerent, quum nullis dotis frenis tenerentur. Maximum honorem non divitum et potentium, sed pro gradu aetatis, senum esse voluit. Nec sane usquam terrarum locum honoratiorem senectus habuit, quam Lacedaemone.

Seculo postquam Lycurgus has leges sanxerat, regum et senatus auctoritati Theopompus ephoros opposuit, quorum tanta fuit potestas, ut vel regem in vincula coniicerent et capitis condemnarent. Ceterum Lycurgus huc praesertim spectaverat, ut Lacedaemones ab parvulis labore ac duritia nervos

confirmarent, et ubi primum adolevissent, patriae incolumitati atque opibus prospicerent. Neque sua illum spes fefellit. His namque institutis ac moribus ita convaluerunt Spartiatae, ut triginta millia liberorum capitum in trecenta et amplius millia vectigalium aut servorum diu sint dominata. Vectigales erant urbium laconicarum incolae (περίοικοι), imperio Spartanorum subiecti, et civitatis iure carentes. Servorum munere fungebantur Helotes, agris colendis et pecori pascendo praesertim addicti. Qui quidem quam gravi servitio premerentur, vel ea fides sit, quod spartana iuventus, armata, in ipsos palantes in agris, tamquam in feras bestias quotannis irrueret, ac maximum illorum numerum iugularet (1).

Athenae sub regibus esse desierunt anno ante Christum natum millesimo octavo et sexagesimo, quo Codrus excessit, Melanthi filius. Tunc rerum summam obtinuere perpetui archontes, qui post annum septingentesimum, secundum et quinquagesimum coepti sunt in denos annos creari, donec annuis magistratibus permissa est respublica. Quum autem anno DXCIV in maxima rerum perturbatione civitas versaretur, Solon, inter archontes adlectus, optimas leges tulit, quibus incredibile memoratu est, quantum Atheniensium opes postea creverint.

Inter haec Pisistratus, princeps popularis factionis, civium discordiis usus, singulari astu atque ingenio summum Athenis imperium usurpavit. Quippe voluntariis verberibus domi affectus, in publicum progreditur. Advocata concione, vulnera populo

(1) PLUTARCH., op. cit.

ostendit; de crudelitate principum queritur, a quibus haec se passum simulabat; addit verbis lacrimas; se amore populi senatui invisum affirmat; quumque invidiosa oratione multitudinem credulam accendisset, obtinet, ad custodiam corporis sui, quadringentorum satellitum auxilium, per quos, occupata tyrannide, annos septemdecim Athenis imperitavit.

Pisistrato successerunt Hippias et Hipparchus filii, qui haud aliter ac pater, Solonis leges integras atque inviolatas servarunt, neque regis nomen assumpserunt.

Hic vero operae pretium videtur, paucis docere, quibusnam potissimum institutis niteretur populare imperium, quod Solon Athenis constituerat.

Summa rerum omnium potestas erat penes popularia comitia, in quae omnibus civibus aditus patebat, quaeque de bello, de pace, de vectigalibus, de legibus ferendis, de creandis magistratibus decernebant. Cives, ex censu, in quatuor classes erant divisi. Rem publicam procurabant novem archontes annui. Erant praeterea quadringenti senatores, sortitione ex quatuor tribubus quotannis delecti. Horum consilio regebantur archontes; nihilque in populi comitiis agebatur, quod antea senatus diligenter non expendisset. Ut autem civium securitati satis cautum foret, quatuordecim tribunalia (δικαστήρια) maleficiis vindicandis instituerat Solon. In unoquoque sedebant quingenti ferme iudices, quibus unus praeerat ex archontibus. Postremo legum et publici moris custos ac vindex erat areopagus, sanctissimum, maximaeque auctoritatis iudicium, in quod adlegebantur archontes emeriti. Ad areopagum pertinebat graviores causas, prae-

sertim vero capitales dirimere, de populi scitis cognoscere, eaque vel antiquare, si e republica videretur. Areopagitae, velamine ante se posito, et noctu sententias ferebant; oratoribus autem non licebat in areopago affectus movere, ne forte iudices impetu quodam animi et perturbatione magis quam consilio regerentur.

Ad haec Solon capitis damnari iusserat, qui tyrannidem affectaret; itemque poenas civibus irrogandas curaverat, qui in seditionibus medios se gererent, ac neutram partem sequerentur. Post exactum vero Hippiam, Pisistrati filium, lex Athenis est lata, ut siquis in civium suorum invidiam inciderat, quod unus omnium maxime floreret, testarum suffragiis, quod ostracismum vocabant, decem annorum exsilio multaretur.

His ferme institutis regebantur cives. Ad servos quod attinet, quorum ducenta millia numerabantur, longe meliore conditione et fortuna utebantur, quam Helotes apud Lacedaemonios. Namque manuum mercede vitam haud duriter sustentabant; et tutum eis perfugium adversus dominorum saevitiam in Thesei templum patebat.

LIBER I.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM D. AD ANNVM CCCCXLIX.

Capvt I.

Iones a Dario Persarum rege deficiunt. – Sardes urbem expugnant. – Histiaeus Milesius atque Aristagoras, defectionis auctores, morte multantur.

An. ante Chr. n. 500.

Iam inde ex illa tempestate, qua Darius, Hystaspis filius, ex Asia in Europam exercitu traiecto, Scythis bellum intulerat, Graeci, qui Asiam Minorem incolerent, ante annos ferme quadraginta a Cyro subacti, de iugo Persarum exuendo cogitaverant. Quum enim Darius pontem fecisset in Istro flumine, qua copias traduceret; eius pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit satrapas, quos secum ex Ionia et Aeolide duxerat. In hoc fuerunt tum numero Histiaeus Milesius et Miltiades, quibus illa custodia crederetur. Hic quum crebri nuntii afferrent, male rem gerere Darium, premique ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae dimitterent. Nam si cum septingentis millibus hominum, quos secum transportaverat, interiisset Darius, non solum Europam fere totam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent, Graeci genere, liberos a Persarum futuros dominatione et periculo. Id et facile effici posse; ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro, vel inopia paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium quum plerique

accederent, ne res conficeretur, obstitit Histiaeus Milesius. Sed vehementius Graeci sollicitari angique coeperunt, quum Darius in Asiam reversus, Thraciam, Macedoniam, Lemnum, Imbrum aliasque insulas imperio suo adiecit.

In hisce rerum asperitatibus, Histiaeus Milesius illatam sibi in susiana regia iniuriam ulturus, per Aristagoram, Milesiorum tyrannum, ioniae civitates contra Persarum dominationem concitavit, exceptis Sardibus, quas Darius Artapherni fratri tuendas dederat, Lidiae satrapi. Quum Aristagoras frustra auxilium a Cleomene, Spartanorum rege, petiisset, Atheniensibus, Artapherni iratis ob Hippiam benigne exceptum, facile persuadet, ut viginti naves Ioniae subsidium mittant, quo Sardes sunt expugnatae. Quum tamen Artaphernes, amissa urbe, arcem retinuisset, mox magnis copiis adiutus, hostes ad Ephesum primo superavit, deinde Ioniae atque Hellesponti urbes, Cyprum aliasque insulas complures in Darii potestatem redegit. Histiaeus autem Milesius atque Aristagoras defectionis poenam crudeli morte dependerunt.

CAPUT II.

Darius cum exercitu Graeciam invadit. – Pugna marathonia. – Infelix Miltiadis exitus.

An. ante Chr. n. 490.

Tam claram de Ionibus victoriam adeptus Darius, hortantibus amicis ut Graecia universa potiretur, classem sexcentarum navium comparavit, eique Datim praefecit et Artaphernem, fratris filium: causam interserens, se hostem esse Atheniensibus.

quod eorum auxilio Iones Sardes expugnassent, suaque praesidia interfecissent. Illi praefecti regii classe ad Euboeam appulsa, celeriter Eretriam ceperunt, omnesque eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accessere, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti, auxilium nusquam nisi a Lacedaemoniis, socia tum civitate, petiverunt; cursoremque Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio. Domi autem creant decem praetores, qui exercitui praeessent; in eis Miltiadem, Aristidem et Themistoclem: inter quos magna fuit contentio, utrum moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque decernerent, non expectato Lacedaemoniorum auxilio. Hi enim profectionem differebant, legis religione detenti, qua cautum erat, ne spartanus exercitus ante plenilunium urbe egrederetur. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum esset, et civibus animum accessurum, quum viderent, de eorum virtute non desperari, et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit, praeter Plataeensium: ea mille misit milites. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt; quae manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate; quo factum est, ut plus quam collegae Miltiades valuerit. Eius enim auctoritate impulsi Athenienses, copias ex urbe

eduxerunt, locoque idoneo castra fecerunt; deinde postero die, sub montis radicibus, acie e regione instructa, nova arte, vi summa proelium commiserunt. Datis etsi non aequum locum videbat suis; tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat; eoque magis, quod priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, proeliumque commisit: in quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent; adeoque perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves peterent. Lacedaemoniorum duo millia postridie victoriam Marathonem advenerunt.

In hoc proelio plusquam sex millia hominum Persae amiserunt. Cecidit et Hippias tyrannus atheniensis, auctor et concitor eius belli. Ex Graecis centum tantummodo, duo et nonaginta desiderati sunt. Tanta autem virtus singulorum fuit, ut cuius laus prima esset, difficile iudicium videretur. Themistoclis adolescentis gloria profecto emicuit, in quo iam tunc indoles futurae imperatoriae dignitatis apparuit. Miltiadi vero, qui hac victoria Athenas, totamque Graeciam liberarat, talis honor tributus est, ut in porticu, quae Poecile vocatur, quum pugna depingeretur marathonia, in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, isque hortaretur milites, proeliumque committeret.

Sed gloria, quam Miltiades hac praesertim victoria erat consecutus, magnaque auctoritas, qua apud omnes gaudebat, illum in suspicionem Atheniensibus adduxerunt; qui opportunitatem nacti, maluerunt, eum innoxium plecti, quam se diutius

esse in timore. Athenienses videlicet, post proelium marathonium, classem septuaginta navium eidem Miltiadi dederant, ut insulas, quae barbaros adiuverant, bello persequeretur. Quum autem, in Paro insula oppugnanda, adversa usus esset fortuna, atque infectis rebus Athenas magna cum offensione civium suorum rediisset; accusatus est proditionis, quod a rege corruptus a pugna discessisset. Causa cognita, capitis absolutus, pecunia est multatus: eaque lis quinquaginta talentis (1) aestimata est. Hanc pecuniam quod solvere in praesentia non poterat, in vincula publica est coniectus, ibique diem obiit supremum. Hoc primum ingrati animi documentum dederunt Athenienses, quo saepe viros praestantissimos, optime de se meritos, male mulcarunt.

CAPUT III.

Xerxes bellum infert Graeciae. - Proelium ad Thermopylas. - Leonidas. - Pugna ad Salamina. - Themistocles. - Persarum fuga.

An. ante Chr. n. 480.

Ad delendam maculam marathonia pugna susceptam, bellum adversus Graecos instaurabat Darius; sed arma parantem mors intercepit. Xerxes filius, hortatu praesertim Mardonii, et precibus Pisistratidarum adductus, post quinquennium Graeciam petiit cum tantis copiis, quantas neque ante a, neque postea habuit quisquam. Huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam

(1) Talentum fuit apud Graecos pecuniae summa, efficiens 5,710 *franchi*. Quare L talenta = 285,500 *franchi*.

duo millia onerariarum sequebantur: terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt.

Xerxis introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac foedus discessus fuit. Nam quum Leonidas, rex Spartanorum, cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset ne longius barbari progrederentur, Xerxes, contemptu paucitatis, eos pugnam capessere iubet, quorum cognati marathonia pugna interfecti fuerant; qui dum ulcisci suos quaerunt, principium cladis fuere; succedente deinde inutili turba, maior caedes editur. Triduo ibi cum dolore et indignatione Persarum dimicatum. Quarto die quum nuntiatum esset Leonidae, a viginti millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios recedant, et se ad meliora patriae tempora reservent: sibi cum Spartanis fortunam experiendam; plura se patriae, quam vitae debere; ceteros ad praesidia Graeciae servandos. Audito regis imperio, discessere ceteri; soli Lacedaemonii remanserunt. Initio enim belli sciscitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut urbi cadendum. Idcirco rex Leonidas quum in bellum proficisceretur, ita suos firmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut maiore gloria vinceret, aut minore damno reipublicae caderet.

Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos, utcumque proeliantibus cadendum esse: caverent, ne fortius mansisse, quam dimicuisse videantur; neque expectandum ut ab hoste circumirentur, sed dum nox occasionem daret, securis et laetis super-

veniendum; nusquam victores honestius, quam in castris hostium perituros. Nihil erat difficile iis persuadere, qui mori iam animo destinaverant. Statim arma capiunt; et tercenti viri castra quingentorum millium irrumpunt; statimque regis praetorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri. Spartani, posteaquam regem non inveniunt, per omnia castra victores vagantur; caedunt sternuntque omnia, ut sciant, se pugnare non spe victoriae, sed in mortis ultionem. Proelium a principio noctis in maiorem partem diei tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium catervas occiderunt.

Dum Leonidas cum tercentis militibus ad Thermopylarum angustias sese pro patria devoveret, classis communis Graeciae tercentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum ad Artemisium, inter Euboeam continentemque terram, cum classiariis regis conflixit; angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. Hinc etsi pari proelio discesserant, tamen Graeci eodem loco non sunt ausi manere, ne si pars navium adversariorum Euboeam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Artemisio discederent, et exadversum Athenas, apud Salamina classem suam constituerent.

At Xerxes, Thermopylis expugnatis, experiri maris fortunam statuit, et protinus accessit Athenas, quas hominibus vacuas invenit. Namque Athenienses post pugnam marathoniam, praemonente Themistocle, victoriam illam de Persis non finem, sed causam belli fore, centum naves aedificaverant

ea pecunia, quae quotannis ex metallis redibat. Adventante autem Xerxe, quum Delphos misissent consultum, quidnam facerent de rebus suis, deliberantibus Pythia respondit, ut moenibus ligneis se munirent. Id responsum quo valeret, quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum enim a Deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naves triremes; suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina, partim Troezena asportant; arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu, ac sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

Quum igitur ferro in cives non posset, in Athenarum aedificia igne grassatur Xerxes. Huius incendii fama perterriti sunt praesertim classiarii athenienses, qui, uti supra memoravimus, angustias salaminii freti occupaverant. Quumque, deserto bello, ad sua tuenda dilabi vellent, Themistocles unus restitit, et universos esse pares aiebat, dispersos testabatur perituros. Idque Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore affirmabat. Quem, quum minus quam vellet, moveret, noctu de servis suis quem habuit fidelissimum, ad Xerxem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios eius in fuga esse: qui si discessissent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita, Barbarus nihil doli subesse credens,

alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit (1), ut eius multitudo navium explicari non potuerit; quarum aliae captae, aliae mersae; pars etiam non minus saevitiam regis, quam hostem timentes, domum dilabuntur.

Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere posset hostes. Interim ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles veritus, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur; idque ei persuasit. Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est, seque a Themistocle non superatum, sed conservatum iudicavit. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum marathonio possit comparari tropaeo. Nam pari modo apud Salamina, parvo numero navium, maxima post hominum memoriam classis est devicta. Hac clade perculsus Xerxes in regnum abit, relicto in Thessalia Mardonio genero cum trecentis millibus armatorum, lectis ex omnibus copiis; qua manu Peloponnesum se perdomiturum sperabat.

(1) IX cal. octobres; anno ante Chr. nat. CCCC. LXXX.

CAPVT IV.

Mardonius frustra Athenienses in Xerxis amicitiam sollicitat. – Proelium ad Plataeas. – Pugna navalis ad Mycalen montem. – Moenia Athenarum. – Pausanias. – Themistocles.

An. ante Chr. n. 479.

Appetente vere, Mardonius Thessalia egressus est cum tercentis millibus barbarorum, quibus quinquaginta fere millia subinde accesserunt Graecorum auxiliarium. Olyntho in Thracia expugnata, Athenienses per Alexandrum, Macedonum regem, in spem pacis amicitiamque Xerxis sollicitat, spondens, fore ut incensa illorum urbs etiam in maius restitueretur. Posteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incensis quae aedificare coeperant, copias in Boeotiam apud Plataeas transfert. Eo et Graecorum exercitus secutus est, qui centum et decem millium fuit. Universis summa auctoritate praeerat Pausanias; octo Atheniensium millibus imperabat Aristides, Lysimachi filius, cuius iustitia praesertim factum erat, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent. Ibi atrox proelium commissum est, quod Graeciae libertatem asseruit. Postquam dux ipse Mardonius, cum strenuissimo quoque, pugnans cecidisset, Graeci multitudinem barbarorum adgressi, qui in munita castra confugerant, eos ad internecionem trucidarunt; ut vix tria millia superfuerint, praeter quadraginta millia, qui ante pugnam, Artabazo duce, fuga salutem petierant.

Eodem forte die, quo Mardonii copiae apud

Plataeas deletae sunt, etiam navali proelio in Asia ad Mycalen montem adversus Persas dimicatum est. Horum classis quadringentarum numero navium a Graecis capta atque incensa est. Terrestri simul navalique clade barbarorum opes adeo fuerunt accisae, ut spem Graeciae subigendae abiecisse viderentur. Confecto bello, quum de praemiis civitatum ageretur, omnium iudicio, Atheniensium virtus ceteris praelata. Inter duces quoque Themistocles, civitatum testimonio princeps iudicatus, gloriam patriae suae amplificavit.

Itaque Athenienses aucti et praemiis belli et gloria, urbem ex integro condere moliuntur. Quum autem triplicem Piraei portum Themistoclis consilio moenibus circumdedissent, suspecti esse Lacedaemoniis coeperunt, recte reputantibus, quibus ruina urbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura munita civitas. Mittunt ergo Athenas legatos, qui monerent, ne munimenta hostibus et receptacula futuri belli exstruant. Themistocles ut vidit, spei urbis invideri, non existimans inconsulte agendum, respondit, ea de re legatos Lacedaemonem ituros. Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, opus maturent. Dein ipse, interiecto tempore, in legationem proficiscitur: et nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi iure nihil possit, diem de die proferendo, spatium consummando operi quaerebat: quum interim nuntiatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. Tum Themistocles per servum magistratibus scribit Atheniensium, legatos spartanos vinciant, obsidesque teneant, ne in se

gravius consulatur. Postquam vero audivit, non multum superesse munitionis, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit, et apud eos liberrime professus est, Athenienses suo consilio urbem muris sepsisse, quo facilius se ab hoste possent defendere; Lacedaemonios autem male et iniuste facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. Quare si suos legatos recipere vellent, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam essent recepturi. Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, a civibus excipitur.

Interim Graeci Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret. Secunda fortuna in ea re usus, elatius se gerere coepit, maioresque res appetere. Nam quum, Byzantio expugnato, cepisset complures Xerxis propinquos, hos clam regi remisit, petens ut filiam sibi nuptum daret. Id si fecisset, et Spartam et Graeciam sub Persarum potestatem se redacturum pollicetur. Rex confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit, in qua eum collaudat ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae pollicetur; id si fecerit, nullius rei a se repulsam laturum. Huius Pausanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedaemoniorum. Domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur; multatur tamen pecunia. Quam ob causam ad classem remissus non est.

At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi dementi ratione cogitata perfecit. Tunc Lacedaemonii legatos ad eum cum scytala mise-

runt, in qua erat scriptum, nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos. Spartam ut rediit, ab ephoris in vincula publica coniectus est. Hinc tamen se expedivit, etiamsi opinio maneret, eum cum rege habere societatem, atque Helotes spe libertatis sollicitasse. Quum enim harum rerum nullum esset apertum crimen, quo argui posset, ephori non putabant, de tali tamque claro viro suspicionibus oportere iudicari. Quum tandem se ipse indicasset, ephori eum comprehendi iusserunt. Pausanias, re cognita, in aedem Minervae confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas eius aedis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, quo facilius sub dio interiret. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Quum enim semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.

Post Pausaniae mortem Lacedaemonii, ob Athenarum moenia Themistocli irati, legatos Athenas miserunt, qui eum accusarent, quod haud aliter ac Pausanias, societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset. Hoc crimine absens proditionis damnatur. Id ut audivit, quod non satis tutum se alibi videret, ad Artaxerxem, Persarum regem, venit, qui paullo ante Xerxi patri successerat. Regi pollicitus est, si suis uti consiliis vellet, fore ut universam Graeciam bello opprimeret. Ab Artaxerxe, qui talem virum sibi conciliari cupiebat, magnis muneribus donatus, in Asiam rediit, domiciliumque Magnesiae sibi constituit. Namque hanc urbem ei rex donarat, ex qua quinquaginta ei talenta quotannis redibant.

CAPVT V.

Cimon. - Bellum messeniacum. - Finis bellorum medicorum.

An. ante Chr. n. 469.

Dum Themistocles, civium suorum invidia, patria careret, Graeci, suffragante praesertim Aristide, ducem constituunt Cimonem atheniensem, filium Miltiadis, cuius futuram magnitudinem pietatis documenta prodiderunt. Quum enim pater eius litem aestimatam populo solvere non posset, ob eamque causam in carcere decessisset, translatis in se vinculis, pretio sibi comparavit sepeliendi patris potestatem. Neque in bello iudicium deligentium fefellit. Namque primum imperator apud Strymona flumen magnas copias Thracum fugavit: Amphipolim oppidum constituit, eoque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen, Cypriorum et Phoenicum ducentarum navium classem devictam cepit; eodemque die pari fortuna in terra usus est. Namque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, atque uno concursu maximam barbarorum vim prostravit.

Hac victoria magna praeda potitus, quum domum reverteretur, quod iam nonnullae insulae, propter acerbitatem imperii, defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coëgit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres urbe insulaque eiecit, agros civibus divisit. Thasios opulentia fretos, suo adventu fregit. His

ex manubiis arx Athenarum, qua ad meridiem vergit, est ornata.

Rebus tam prospere gestis, tantaque opum accessione, timor Lacedaemoniis est iniectus, ne Athenienses vim suam in reliquas Graeciae civitates exercerent. Quare duo potentissimi Graeciae populi, institutis Solonis, et Lycurgi legibus pares, ex aemulatione virium in bellum ruebant. Et iam inde ex quo Cimon Thasios oppugnabat, horum rogatu Spartiates impressionem in Atticam fecissent, nisi Taygeti montis magna pars terraemotu abrupta corruisset, Spartamque oppressisset. Tantae cladis opportunitate usi Helotes et Messenii iugum exuerunt, atque Ithomen confugientes, Lacedaemoniis magno impetu locum oppugnantibus, per decem annos fortissime restiterunt. In iis rerum adiunctis, Lacedaemonii auxilium ab Atheniensibus petere sunt coacti. Quorum fidem quum suspectam haberent, mox supervacaneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. Hanc rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quam in stipendium persici belli universa Graecia contulerat, Delo Athenas transferunt, et foedus cum Argivis faciunt, Lacedaemoni inimicis. Tunc enimvero principes popularis factionis oblatam sibi occasionem non praetermiserunt calumniandi Cimonis, qui paullo ante censuerat, auxilium Lacedaemoniis non esse denegandum adversus Messenios; quique idcirco decem annorum exsilio multatus est.

Cimonis in exsilium exigendi praecipuus auctor fuerat Pericles, Xanthippi filius, qui ambitionis studio populi partes fovebat. Cuius facti mox ipsum poenituit. Quum enim Lacedaemonii bellum Athe-

niensibus indixissent, et confestim notae Cimonis virtutis desiderium esset consecutum, post annum quintum quam expulsus erat, adnitente potissimum Pericle, revocatus est. Ille quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur, satius existimans contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. Post neque ita multo, Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, maiorem eius insulae partem devicit. Quum autem in eo esset, ut gloriosam Graeciae civitatibus pacem cum rege Persarum componeret, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus.

In has vero conditiones pax convenit, ut graecae omnes coloniae asiaticae, liberae atque immunes essent; classis persica a litore occidentali triduum semper abesset; Persarum navigia Aegaeo mari et Mediterraneo intercluderentur; Athenienses Cypro insula abirent, neque in posterum regis fines uspiam vexarent.

Sic postquam annos quinquaginta cum potentissimo omnium imperio armis decertassent, Athenienses, singulari Miltiadis, Themistoclis, Aristidis et Cimonis virtute Persas ex Europa tandem expulerunt.

LIBER II.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCCCL AD ANNVM CCCCIV.

Capvt I.

Pericles. – Initium belli peloponnesiaci.

An. ante Chr. n. 450.

Post bella medica, ad summam amplitudinem maxima cum gloria pervenerant Athenae; ut universae ferme Graeciae principatum obtinerent. Quum autem hac tempestate atheniensem rempublicam arbitratu suo diutissime rexerit Pericles, iuvabit de tanto viro pauca dicere, qui ob praeclaras virtutes cognomento olympius est appellatus ..

Hic, tum paterno tum materno genere, clarissimis maioribus erat prognatus. Praeceptorem habuit Anaxagoram, clazomenium philosophum, a quo intelligens iudicium hausit, ornatam et magnificam orationem, qua ab Aristophane (1) poëta in concionibus fulgurare et tonare dictus est, postremo illam gravitatem et dignitatem, quam in omnibus rerum adiunctis praeseferre consueverat, quaeque Atheniensium admirationem illi conciliavit.

Iam inde ab anno quadringentesimo, nono et sexagesimo ante Christum natum Pericles, quod Cimoni obtrectaret, princeps factionis popularis habebatur. Exinde nihil praetermisit, quo populi gratiam aucuparetur, et viam sibi muniret ad

(1) Inter praecipuos comicos poëtas enumeratur apud Graecos **Aristophanes**, aequalis Socratis, quem exagitat in *Nubibus*.

evertendos optimates; neque prius quievit, quam, mortuo Cimone et pulso Athenis Thucydide milesio, unus in civitate omnia posset. Quem quidem principatum diu tenuit eloquentia, nominis auctoritate et spectata praesertim abstinentia, qua factum est, ut annos quadraginta in reipublicae administratione versatus, rem familiarem a patre relictam, ne minimum quidem augeret.

Neque solum civilibus, sed militaribus etiam artibus eluxit Pericles. Namque Samum post diuturnam obsidionem cepit; postea civibus persuasit, ut Corcyrae faverent, quae a Corinthiis defecerat, causam interponens, illius insulae classem, mari plurimum pollentem, mox Athenis usui futuram. Ubi vero Thebani Plataeis occupatis, Athenarum sociis, peloponnesiacum bellum inchoarunt, Pericles Athenienses hortari non destitit, ut omnia bello opportuna pararent, sese urbis moenibus clauderent, sociorum animos firmarent, classem instruerent, in qua civitatis salus potissimum nitebatur. Haud ita multo post Lacedaemoniorum exercitus Atticae fines ingressus, ad Acharnas castra posuit. Hic vero Pericles ab effusa praedandi licentia hostem non cohibuit, ne forte Athenienses, re male gesta, de summa imperii periclitarentur; satisque habuit centum naves ad vastandam Peloponnesi oram mittere, interea dum ipse Megaridem horrendum in modum depopularetur.

Cessante per hiemem bello, Athenienses civibus de more parentarunt, qui pugnantes pro patria cecidissent. Pericles vero laudationem habuit (1), qua

(1) Exstat haec Periclis laudatio apud Thucydidem De Bello peloponnesiaco lib. II, cap. 35–47.

Athenarum opes atque instituta magnificis verbis est prosecutus. Ineunte vere, Peloponnesii cum sociis in Atticam populabundi rursus invaserunt. Paullo post in agros urbemque gravissima pestilentia incidit, quae ex Aethiopiae regionibus orta, Aegyptum, Lybiam et Persarum regnum vastaverat.

In tanta rerum difficultate constantiam, prudentiam et perseverantiam retinuit Pericles. Haud aliter atque anno superiore, obstitit, quominus pugnandi copia hostibus fieret, ne summam rerum temere in non necessariam aleam daret. Cum classe paratissima adversus Peloponnesum est profectus. Sed quum mortifera lues classem corripuisset, dum Epidaurum obsideret, inde, irrito incepto, ei fuit abscedendum. Interea mala, quibus Athenae affligtabantur, fecerant, ut civium studia in Periclem defervescerent. Invidiose illum criminabantur, quod pacis dissolvendae auctor fuisset, omnesque belli calamitates in eum transferebant. Legatos etiam de pace Lacedaemonem miserunt. Sed quum res ad pactionem non venisset, in populi odium offensionemque magis et magis Pericles incurrit. Itaque imperio spoliatus et ingenti pecunia multatus est.

Neque ingrato civium animo, neque propinquis et amicis pestilitate absumtis, ingemuit Pericles. Sed illius virtutem atque animi firmitatem prostravit filii mors, qui unus ei reliquus erat. Quum enim ad cadaver, coronam impositurus, accessisset, tanto dolore est affectus, ut multas cum singultu lacrimas effunderet. Luctuosum illud inconstantis fortunae spectaculum, quae talem virum ex beato miserum fecisset, atheniensem populum movit;

qui reputans, quanto ceteris ducibus antistaret Pericles, civem tam bene de republica meritum, paullo postquam damnatione in illum saevierat, ad rerum gubernacula revocavit, copiisque iterum praefecit. Sed pauco interiecto tempore, grassanti morbo tentatus, delatum civitatis principatum pariter ac vitam amisit. Tunc enimvero patuit, quantus vir Atheniensibus fuisset ereptus; et qui Periclis vivi potentiam aversarentur, mortuum laudibus ornare, atque insigne reipublicae praesidium appellare non dubitarunt.

CAPVT II.

Bellum peloponnesiacum. - Cleon.- Nicias. - Induciae quinquaginta annorum. - Alcibiades. - Atheniensium expeditio in Siciliam.

An. ante Chr. n. 429.

Post Periclis mortem Cleon, qui populi rebus studebat, et Nicias optimatum fautor, de principatu in urbe Athenis decertarunt. Victor ex certamine discessit Cleon, qui, de publico largiendo, multitudinis gratiam captaverat. Interea, exardescente bello peloponnesiaco, septem annorum spatio nunquam cessatum est, quin Athenienses et Lacedaemonii, aut terra aut mari, varia proeliorum fortuna invicem se trucidarent. Quod quidem bellum acrius gestum est, postquam Brasidas, Lacedaemoniorum dux, ratus, futurum, ut Atheniensium opes facile concuteret, si illorum coloniis potiretur, in Thraciae et Macedoniae oram cum navibus adveniens, Amphipolin urbem per vim expugnaverat. Hoc nuntio accepto, Athenienses Cleonem cum classe illuc miserunt, et sub ipsis urbis moenibus tam perti-

naciter pugnatum est, ut Cleon in proelio caderet, Brasidas autem victor, haud ita multo post ex vulneribus interiret.

Nicias adversario et obtrectatore suo liberatus, Atheniensibus tot malis fessis persuasit, ut pacem in annos quinquaginta facerent, quam nisi sex annis non servarunt. Namque inducias proprio nomine pactas, ex sociorum persona ruperunt, adnitente praesertim Alcibiade, qui, summo genere natus, disertus, consilii plenus, laboriosus, liberalis, affabilis et temporibus callidissime inserviens, maximam sibi ad populum auctoritatem conciliaverat. Huius igitur consilio Athenienses bellum Syracusanis indixerunt; ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo praeterea collegae dati, Nicias et Lamachus. Id quum appararetur, priusquam classis centum, quatuor et triginta navium exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermae, qui erant Athenis, deiicerentur. Quod quum appareret, non sine magna multorum consensione esse factum, magnus multitudini timor est iniectus, nequa repentina vis in civitate existeret, quae libertatem opprimeret populi. Hoc autem maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior quam privatus existimaretur. Aspergebatur etiam infamia, quod sacra initiorum Cereris evulgasset, quae silentio premi solebant. Hoc crimine in concione ab inimicis accusabatur. Qui tamen quiescendum in praesenti, quia noceri non posse intelligebant, et illud tempus exspectandum decreverunt, quo exisset, ut sic absentem aggrederentur; itaque fecerunt.

Dum Alcibiades in Sicilia bellum cupidius quam

felicius gerit, ei nuncius a magistratu missus est, ut domum ad causam dicendam rediret. Qui sive conscientiam, sive indignationem rei non ferens, parere noluit. Itaque Thurios in Italiam contendit, unde primum Elidem, deinde Thebas venit. Postquam vero se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, Lacedaemonem demigravit, ibique Lacedaemonios impellit, ut Deceliam in Attica muniant, et Syracusanis auxilium ferant. Ex eius sententia mittitur Gylippus, qui auxiliis partim in Graecia, partim in Sicilia contractis, loca bello opportuna occupat. Duobus deinde proeliis victus, congressus tertio, occiso Lamacho, et hostes in fugam compulit, et Syracusanos obsidione liberavit. Interea Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem et Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt: Peloponnesii quoque communi civitatum decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere: et quasi Graeciae bellum in Siciliam translatum esset, ex utraque parte summis viribus dimicabatur.

Prima congressione navalis certaminis Athenienses vincuntur. Super haec mala, quum etiam terrestri proelio victi essent, Demosthenes censebat, ut abirent Sicilia. Nicias, seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei civium, seu demum, impellente fato, manere contendit. Reparatur igitur navale bellum. Sed inscitia ducum, qui clausi maris angustiis Syracusanos aggressi fuerant, facilé vincuntur. Eurymedon dux, in prima acie fortissime dimicans, primus cadit; triginta naves, quibus praefuerat, incenduntur. Centum et triginta naves, a Demosthene et Nicia relictas, Gylippus invasit; ipsos deinde insequitur; fugientes

capit, partim caedit. Demosthenes, amisso exercitu, a captivitate morte voluntaria se vindicat; Nicias autem, frustra Demosthenis exemplo admonitus ut sibi consuleret, cladem suorum auxit dedecore captivitatis.

CAPVT III.

Bellum peloponnesiacum. - Darius, Persarum rex. - Alcibiades populiscito in patriam restituitur. - Exsul iterum. - Lacedaemoniorum victoria apud Aegos flumen. - Lysander Athenas occupat.

An. ante Chr. n. 411.

Ad tantae cladis nuncium, universa Graecia, veluti ad exstinguendum commune incendium, concurrit; tantum odium Athenienses, immoderati imperii crudelitate, contraxerant. Darius quoque rex Persarum, memor paterni avitique in Athenas odii, facta cum Lacedaemoniis societate per Tissaphernem, praefectum Lydiae, omnem belli sumtum pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Graecis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Atheniensibus, ad se Lacedaemonii arma transferrent. Quis igitur miretur, tam florentes Atheniensium opes ruisse, quum ad opprimendam hanc urbem totius Orientis vires concurrerent? Non tamen inerti neque incruento cecidere bello: sed proeliati ad ultimum, victores etiam interdum, consumti magis fortunae varietate, quam victi sunt. Principio belli ab his etiam socii desciverant, uti fit: quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat.

Alcibiades quoque motum adversus patriam bellum, non gregarii militis opera, sed imperatoriis

virtutibus adiuvat. Quippe, acceptis quinque navibus, in Asiam contendit, et tributarias Atheniensium civitates, auctoritate nominis sui ad defectionem compellit. Sciebant enim domi clarum, neque exsilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Atheniensibus ducem, quam Lacedaemoniis traditum; partaque cum amissis imperia pensabant. Neque tamen Lacedaemonii his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quam timore ab eo abalienati. Nam, quum acerrimi viri praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne caritate patriae ductus, aliquando ab ipsis descisceret, et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiendi quaerere instituerunt. Id Alcibiadi diutius celari non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset; praesertim quum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem, praefectum regis Darii, se contulit; cui se celeriter officii comitate, et obsequendi gratia insinuavit. Namque erat aetatis flore et forma, quae venerationem conciliaret, nec minus eloquentia insignis. Persuadet igitur Tissapherni, ne tam enixe auxiliis Lacedaemonios iuvet, ut Athenienses penitus evertant; eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur; domesticis bellis Graeciam obterendam, ne ad externa animum adiungat; expugnandasque vires partium, et inferiores auxilio levandos; dissentientibus autem Graecis, regem Persarum arbitrum pacis ac belli fore. Alcibiadis consilio paruit Tissaphernes. Itaque commeatus maligne praebere; classem regiam non totam mittere, ne aut victoriam totam daret, aut deponendi belli necessitatem imponeret.

Interea Alcibiades hanc operam apud cives suos ostentabat: ad quem, quum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si respublica a populo translata ad senatum foret; sperans, futurum, ut, aut concordante civitate dux belli ab omnibus legeretur, aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. Sed Atheniensibus, imminente periculo belli, maior salutis, quam dignitatis cura fuit. Itaque, permittente populo, imperium ad senatum transfertur. Qui quum, insita genti superbia, crudeliter in plebem consuleret, singulis impotentiam tyrannidis sibi vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exsul revocatur, parique absens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo et Theramene.

Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paullo ante victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus; in quibus ducentas naves triremes amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes graecas, quae in ora sitae sunt Asiae, quarum expugnarant complures; in his Byzantium. Neque minus multos consilio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos clementia fuerant usi. Inde praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis, Athenas venerant.

His quum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem vulgus conflueret, perinde ac si solus advenisset. Sic enim populo

erat persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse eius opera. Itaque et Siciliae amissum, et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur; nam postquam exercitui praeesse coeperat; neque terra neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant, simulque venerant in Piraeum, tamen illum omnes prosequebantur; et, quod nunquam antea usuvenerat, nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo donabatur. Ille lacrimans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postquam Astu venit, concione advocata, sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin eius casum lacrimarit, inimicumque his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat; proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tunc flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publice bona; iidemque illi Eumolpidae sacerdotes, rursus resecrare sunt coacti, qui eum devoverant; pilaeque ille, in quibus devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

Dum haec aguntur, Lysander classi belloque praeficitur; et in locum Tissaphernis Darius, rex Persarum, Cyrum filium Ioniae Lydiaeque praeposuit, qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. Aucti igitur viribus, Alcibiadem cum centum navibus in Asiam profectum, dum agros securius populatur, et praedae dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites

habet, repentino adventu oppressere: tantaque caedes palantium fuit, ut plus vulneris eo proelio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant. Quo factum est ut Athenienses alium in Alcibiadis locum substituerent; arbitrati, victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris, apud quem plus prior offensa valuisset, quam recentia beneficia. Alcibiades veritus multitudinis impetum denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.

Neque tamen a caritate patriae potuit recedere. Nam quum apud Aegos flumen Philocles, praetor Atheniensium, classem constituisset suam, neque longe abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium, ibique, praesente vulgo, agere coepit: si vellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare aut pacem petere: Lacedaemonios eo nolle confligere classe, quod pedestribus copiis plusquam navibus valerent: sibi autem facile esse Seuthen, regem Thracum, deducere, ut eos terra depelleret; quo facto necessario aut classe conflicturos, aut bellum composituros. Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit. Ab hoc discedens Alcibiades: quoniam, inquit, victoriae patriae repugnas, illud moneo, iuxta hostes castra habeas nautica. Periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander, quum per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram praedatum exisse, navesque pene inanes relictas, tempus rei gerendae non dimisit, atque, impetu facto, tantam hostium stragem edidit, ut bello finem imponeret, quod

sexto iam et vicesimo anno in Peloponnesios gerebatur; Atheniensium vero non imperium modo, verum etiam nomen deletum videretur.

Quae quum Athenis nuntiata essent, omnes, relictis domibus, per urbem discurrere pavidi; alius alium sciscitari; auctorem nuntii requirere. Alii fratres aut filios aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, et cum privatis casibus querelam publicam miscent. Sic defletae ac prope perditae urbi hostes superveniunt, et, obsidione circumdata, obsessos fame urgent. Sciebant enim, neque ex advectis copiis multum superesse, et ne novae advehi possent, providerant. Quibus malis Athenienses fracti, post longam famem et adsidua suorum funera, pacem petivere; quae an dari deberet, diu inter Spartanos sociosque deliberatum. Quum multi delendum Atheniensium nomen, urbemque incendio consumendam censerent; negarunt Spartani, se ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos; pacem polliciti, si demissa Piraeum versus muri brachia deiicerent, navesque, quae reliquae forent, traderent; resque publica ex semetipsis triginta rectores acciperet. In has leges traditam sibi urbem Lacedaemonii formandam Lysandro tradiderunt.

LIBER III.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCCCIV AD ANNVM CCCLV.

CAPVT I.

Triginta tyranni Athenis impositi. - Alcibiades et Theramenes interficiuntur. - Thrasybulus xxx tyrannos evertit atque Athenas liberat. - Darii mors. - Cyri expeditio. - Ἀνάβασις x millium Graecorum.

An. ante Chr. n. 404.

Mutato Athenarum statu, etiam civium conditio mutatur. Triginta rectores reipublicae constituuntur, qui fiunt tyranni: quippe a principio tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope nec civium superfuerat: et quasi parvus hic ad continendam civitatem exercitus esset, septingentos milites a victoribus accipiunt. Caedem deinde civium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub obtentu libertatis invaderet. Quem quum profectum ad Artaxerxem, Persarum regem, comperissent, Sysamithrem et Bagoam citato itinere miserunt, qui eum interciperent. Illi, quum eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa eam casam, in qua quiescebat, eumque vivum in cubiculo cremarunt.

Liberati hoc ultoris metu tyranni, miseras urbis reliquias caedibus et rapinis exhauriunt. Quod quum displicere uni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Fit igitur ex urbe passim omnium fuga,

repleturque Graecia Atheniensium exsulibus, Quod etiam ipsum auxilium quum miseris eriperetur (nam Lacedaemoniorum edicto civitates recipere exsules prohibebantur), omnes se Megaram et Thebas potissimum contulere. Ibi non solum tutum exsilium egerunt, verum etiam spem recuperandae patriae receperunt.

Erat inter exsules Thrasybulus, vir strenuus et domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria et pro salute communi etiam cum periculo ratus, collectis exsulibus, Phylen occupat, quod est castellum in Attica munitissimum. Nec deerat quarundam civitatum, tam crudeles casus miserantium, favor. Itaque Ismenias, Thebanorum princeps, etsi publicis non poterat, privatis tamen viribus adiuvabat; et Lysias, syracusanus orator, exsul tunc, quingentos milites, stipendio suo instructos, in auxilium patriae communis misit. Fit igitur asperum proelium: Sed quum hinc pro patria summis viribus, inde pro alia dominatione securius pugnaretur, tyranni vincuntur; victi in urbem refugiunt, quam exhaustam caedibus, etiam armis spoliant. Omnes Athenienses, proditionis suspectos, demigrare ex urbe iubent, et in brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare. Post haec, quum auxilia a Lacedaemoniis petiissent, de integro bellum instaurant, in quo Critias et Hippomachus, tyrannorum saevissimi, cadunt.

Hic Thrasybulus non minus prudentia est usus, quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit, cives enim civibus parcere aequum censebat. Tyranni victi emigrare Eleusinam iubentur, substitutis decem, qui rempublicam regerent. Dum haec gerun-

tur, nuntius affertur Lacedaemoniis, denuo Athenienses in bellum exarsisse, ad quod opprimendum rex Pausanias mittitur. Hic, inter Thrasybulum et eos qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: nequi, praeter triginta tyrannos et decem, qui postea praetores creati superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exsilio, neve bona publicarentur; reipublicae procuratio populo redderetur. Nequa vero dissensio ex anteactis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, discordiarum oblivionem (ἀμνηστίαν) fore.

Per idem ferme tempus Darius, rex Persarum, moritur, Artaxerxe et Cyro filiis relictis. Regnum Artaxerxi, Cyro civitates, quarum praefectus erat, testamento legavit. Sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur. Itaque occulte adversus fratrem bellum parabat. Quod quum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem, et innocentiam dissimulatione belli simulantem compedibus aureis vinxit; interfecissetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus iam non occulte bellum, sed palam, nec per dissimulationem, sed aperte parare coepit; auxilia undique contrahit. Lacedaemonii memores, atheniensi bello enixe se eius opera adiutos, velut ignorantes, contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda, ubi res eius exegisset; quaerentes apud Cyrum gratiam, et apud Artaxerxem, si vicisset, veniae latrocinia, quum nihil adversus eum aperte detrevissent. Sed quum in bello fortuna utrumque fratrem pugnae obtulisset, prior Artaxerxes a fratre vulneratur; quem quum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus a cohorte regia oppressus inter-

ficitur. In eo proelio decem millia Graecorum Cyro auxilium tulere; quae et in cornu in quo steterant, vicerunt, et post mortem Cyri neque armis a tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; et revertentes, Xenophonte duce, inter tot indomitas nationes et barbaras gentes, per tanta itineris spatia, virtute se usque ad patriae fines defenderunt.

CAPVT II.

Agesilaus, rex Lacedaemoniorum. - Eius expeditio in Asiam. - Conon. - Thebanorum de Spartanis victoria. - Epaminondas. - Graeciae status et conditio post mortem Epaminondae.

An. ante Chr. n. 399.

Lacedaemonii non contenti, atheniensium opum accessione vires sibi duplicatas, totius Asiae imperium affectare coeperunt. Itaque contractis undique auxiliis, bellum ad Dercyllidam detulerunt; qui cum intelligeret, adversus duos Artaxerxis praefectos, Pharnabazum et Tissaphernem, sibi esse dimicandum, cum altero pacificari decrevit. Aptior visus Tissaphernes, cum quo pacis conditiones statueret. Quod ubi resciit Pharnabazus, Artaxerxi persuadet, ut in locum Tissaphernis, navalis belli ducem, eligat Cononem atheniensem, qui, amissa patria, Cypri exsulabat. Mox Lacedaemonii, qui haud satis Dercyllidae confiderent, Agesilaum summae rei praepositum in Asiam cum ingentibus copiis mittunt; intereadum Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriae relictus, classem summis viribus instruit, fortunam belli adversus Cononem tentaturus. Conon tunc primum cum ho-

stium exercitu concursurus, magna etiam cura ordinat suos; summaque non tam ducum, quam militum aemulatio fuit. Sed quanto maius proelium, tanto clarior victoria Cononis, qui Lacedaemonios apud Cnidum fugat, multas naves capit, complures deprimit. Victor in patriam rediens, muros dirutos a Lysandro utrosque et Piraei et Athenarum reficiendos curat; pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat.

Hac victoria non solum Athenae, sed cuncta Graecia liberata est, quae sub Lacedaemoniorum fuerat imperio. Tunc auxiliantibus Atheniensibus, primi bellum Lacedaemoniis intulerunt Thebani. Fit igitur terrestre proelium ad Haliartum eadem Spartanorum fortuna, qua pugnatum adversus Cononem navali proelio fuerat. In hoc Lysander interficitur, et Pausanias, dux alter Lacedaemoniorum, victus, proditionis accusatus, in exsilium abit. Tanta clade territi Lacedaemonii Agesilaum ex Asia ad patriae defensionem arcessunt. Hic etiamsi victori praeesset exercitui, maximamque fiduciam haberet regni Persarum potiundi, iussis absentium magistratuum dicto audiens fuit; multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias traiecit, tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic triginta diebus transierit. Quum iam haud ita longe abesset a Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Boeotii, ceterique eorum socii apud Coroneam, quos omnes gravi proelio vicit.

Sed mox Boeotii, virtute Epaminondae ducis,

victores apud Leuctra, ad spem imperii Graeciae erecti sunt, et ipsam Lacedaemoniorum urbem occupare sunt conati. Itaque principio noctis taciti Spartam proficiscuntur. At incautos cives aggredi non potuerunt. Quippe senes et cetera imbellis aetas, quum adventum hostium praesensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; et adversus quindecim millia militum non amplius centum iam effoetae aetatis viri pugnae se offerunt. Tantum animorum viriumque conspectus patriae et penatium subministrat, tantoque praesentia, quam recordatione sui maiores spiritus largiuntur! Namque uti viderunt, inter quae et pro quibus starent, aut vincendum sibi aut moriendum censuerunt. Pauci igitur senes aciem sustinuerunt, cui pridie universa iuventus par esse non potuit. In eo proelio duo hostium duces cecidere; quum interim, Agesilai adventu nuntiato, Thebani recesserunt.

Nec tamen bellum diu dilatum; siquidem Spartanorum iuventus, senum virtute et gloria incensa, teneri non potuit, quin apud Mantineam decerneret Quum autem, acie instructa, Epaminondas audacius instaret hostes, cognitus a Lacedaemoniis, quod in eius unius pernicie patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt; neque prius abscesserunt, quam magna caede facta, multisque occisis, ipsum Epaminondam fortissime pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt. Huius casu aliquantum retardati sunt Boeotii; neque tamen prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. At Epaminondas quum animadverteret, mortiferum se vulnus acce-

pisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum; usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audivit: satis, inquit, vixi; invictus enim morior. Tum ferro extracto, confestim exanimatus est.

Cum Epaminonda rei publicae quoque vires ceciderunt. Nam neque ante hunc ducem ullum memorabile bellum gesserunt Thebani, nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere; unde iam illud patet, patriae gloriam et natam et exstinctam cum eo fuisse. Incertum autem est, vir melior an dux esset. Nam et imperium non sibi, sed patriae semper quaesivit; et pecuniae adeo parcus fuit, ut defuerit ad funeris sumptus. Gloriae quoque non cupidior quam pecuniae; illi enim omnia imperia ultro sunt delata, honoresque ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, ut mirum sit, unde tam insignis militiae scientia homini inter litteras nato.

Hic uxorem numquam duxit. In quo quum reprehenderetur, quod liberos non relinqueret, a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret: vide, inquit, ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque vero stirps mihi potest deesse; namque ex me natam relinquo pugnam leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est. Quo tempore, duce Pelopida, exsules Thebas occuparunt, et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas,

quamdiu facta est caedes civium, domi se tenuit; quod neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret; namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idem postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedaemoniis coeptum est, in primis stetit.

Morte Epaminondae etiam Atheniensium virtus intercidit; siquidem amisso cui aemulari consueverant, in segnitiem torporemque resoluti, non ut olim, in classem et exercitus, sed in dies festos apparatusque ludorum redditus publicos effundunt; et cum actoribus nobilissimis poëtisque theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes; illos laudantes, qui aptiores essent versibus condendis, quam exercitibus ductandis. Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur, cum urbano populo dividi coeptum est. Quare, inter otia Graecorum, sordidum et obscurum antea Macedonum nomen emersit; et Philippus, obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et Pelopidae virtutibus eruditus, Macedoniae regnum Graeciae et Asiae cervicibus, veluti iugum servitutis imposuit

LIBER IV.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCCLXI AD ANNVM CCXXII.

CAPVT I.

Macedonia eiusque reges. - Philippus regno potitur. - Huius res gestae. - Interficitur a Pausania.

An. ante Chr. n. 361.

Ex quo bella medica fuerunt coorta, Macedonum reges difficultatibus atque incommodis non caruere, quae tot per annos Graecos afflictaverant. Tandem vero post proelium ad Plataeas liberi a vectigalibus, quae Persis penderent, Atheniensium inimicitiam subiere, qui maritimas colonias in ditionem suam redegerant. Perdicas, huiusce nominis secundus, foedere icto cum Lacedaemoniis, praesidium sibi adversus Atheniensium impotentiam comparavit. Huic Archelaus successit; quo interfecto, regnum ad Amyntam II pervenit, qui tres liberos ex Eurydice suscepit, Alexandrum, Perdicam et Philippum, Alexandri Magni patrem, et postquam gravia bella gessisset adversus Illyrios et Olynthios, senex decessit. Post Amyntam ad rerum gubernacula sederunt Alexander et Perdicas III, quorum uterque insidiis Eurydices matris occubuit. Itaque Philippus Amyntae, Perdicae fratris filii, tutelam suscepit. Sed quum graviora bella imminerent, neque ullum in infante auxilium esset, compulsus a populo regno est potitus.

Vt imperium Philippus obtinuit, magna de illo spes omnibus fuit propter ipsius ingenium, quod

magnum spondebat virum. Quum autem omnibus bellis par esse non posset, quae veluti conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam ex diversis locis uno tempore confluebant, dispensanda ratus, alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimos quosque adgrediendo, quorum victoria trepidos militum animos firmaret. Primum illi cum Atheniensibus certamen fuit, quos quum interficere omnes posset, incolumes sine pretio dimisit. Postea bello in Illyrios translato, multa hostium millia caedit: Larissam urbem capit. Hinc Thessaliam expugnat, unumque corpus equitum pedestriumque copiarum invicti exercitus facit. Quibus gestis, iam non contentus submovere bella, ultro etiam quietos lacessit. Quum Methonam urbem oppugnaret, in praetereuntem de muris sagitta iacta, dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversus hostes factus est; ut, interiectis diebus, pacem petentibus dederit.

Dum Graeciae civitates imperii cupidine in mutuum exitium sine modo ruunt, Philippus, rex Macedoniae, libertati omnium insidiatus, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque regiam servitutem subire coëgit. Huius mali causa Thebani fuere; qui victos armis Lacedaemonios et Phocenses apud Amphictyonas superbe accusaverunt. Lacedaemoniis crimini datum, quod arcem thebanam induciarum tempore occupassent; Phocensibus, quod Boeotiam essent depopulati. Vtrique tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non poterat. Itaque Phocenses, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, templum Apollinis Delphis

invadunt. Inde auro et pecunia divites, conductis mercenariis militibus, bellum Thebanis inferunt. Etsi omnes Phocensium factum exsecrabantur ob sacrilegium; plus tamen invidiae contraxerunt Thebani, qui illos ad hanc necessitatem adegerant. Quum igitur Athenienses et Lacedaemonii auxilio Phocensibus venissent, commisso proelio, Philomelus fortiter dimicans cecidit, et sacrilegii poenas sanguine luit. In huius locum dux Onomarchus creatur; Thebani vero Philippum, Macedoniae regem, sibi ducem eligunt, qui Phocenses fugat funditque.

Athenienses, audito belli eventu, ne in Graeciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum occupaverunt. Rex autem, quasi timens, ne ab hostibus sacrilegii scelerę vinceretur, civitates, quarum paullo ante dux fuerat, quaeque sub eius auspiciis militaverant, hostiliter occupatas diripuit; coniuges liberosque omnium sub corona vendidit. Inde, velut rebus egregie gestis, in Cappadociam traiicit, ubi bello, pari perfidia facto, captisque per dolum et occisis finitimis regibus, universam provinciam imperio Macedoniae adiunxit. Post haec Olynthios aggreditur, eorumque urbem antiquam et nobilem exscindit. Postremo Thermopylas transgressus, Phocidem invadit, et bello finem imponit.

In Macedoniam reversus, populos et urbes, ut illi vel replenda, vel derelinquenda quaeque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Alios populos in finibus ipsis hostibus opponit; alios in extremis regni terminis statuit; quosdam bello captos in urbes diversas distribuit, ut civium nu-

merum suppleret. Atque ita ex multis gentibus nationibusque unum regnum populumque constituit.

Compositis ordinatisque in Macedonia rebus, Philippus bellum toti Graeciae inferre statuit. Quum autem arbitraretur, se facilius cogitata sua perfecturum, si Byzantium, nobilem et maritimam urbem, receptaculum terra marique copiis suis futurum, in potestatem redegisset; eandem claudentem sibi portas obsidione cinxit. Diuturna obsidionis mora exhaustus, ut pecuniam sibi compararet, se ad piraticam convertit. Deinde ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus cum fortissimis, multas Chersonensium urbes expugnat; et Alexandrum filium, octodecim annos natum, ut sub militia patris tirocinii rudimenta poneret, ad se arcessit. In Scythiam quoque praedandi causa venit, impensas belli alio bello refecturus. Quamvis autem virtute et numero praestarent Scythae; Philippi tamen astu vincuntur. Viginti millia puerorum ac feminarum et magna pecoris vis capta. Revertenti ab Scythia Triballi Philippo occurrunt; negant, se transitum daturos, ni partem accipiant praedae. Hinc iurgium et mox proelium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut telum, per eius corpus adactum, equum interficeret.

Vbi primum ex vulnere convaluit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert; quorum causae Thebani se iunxere, metuentes, ne victis Atheniensibus, veluti vicinum incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas paullo ante infestissimas civitates societate, Demosthene potissi-

mum adnitente (1), legationibus Graeciam fatigant; communem hostem putant communibus viribus submovendum; neqûe enim cessaturum Philippum, si prospere prima successerint, nisi omnem Graeciam domuerit. Proelio commisso ad Chaeroneam, Atheniensium copiae profligantur; non tamen immemores pristinae gloriae cecidere; quippe adversis vulneribus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit.

Huius victoriae laetitiam callide dissimulavit Philippus. Omnium civitatum legatos ad res publicas ordinandas evocari Corinthum iubet, ubi pacis conditiones universae Graeciae, pro meritis singularum civitatum, statuit. Interea nuptias celebrat Cleopatrae filiae, et Alexandri, quem regem Epiri fecerat. Dies erat, pro magnitudine duorum regum, et collocantis filiam et uxorem ducentis, apparatibus insignis. Nec ludorum magnificentia deerat; ad quorum spectaculum quum Philippus sine custodibus corporis, medius inter duos Alexandros, filium generumque contenderet, a Pausania, nobili ex Macedonibus adolescente, in transitu obtruncatur. Decessit Philippus annos natus septem et quadraginta, quum annos quinque et viginti regnum obtinuisset.

(1) Demosthenes, atheniensis, graecorum oratorum facile princeps, aliquot habuit orationes, ut bellum Atheniensibus suaderet adversus Philippum, quae inscribuntur: Φιλιππικοὶ λόγοι.

Caput II.

Alexander, cognomento Magnus, Macedoniae regnum auspicatur. - Thebas diruit. - Persis bellum infert. - Pugna ad Granicum flumen. - Alexander nodum gordium caedit. - Pugna ad Issum. - Pugna ad Arbela. - Darius interficitur. - Alexander Indiam petit. - Porum proelio vincit. - Graeciae rebellio. - Mors Alexandri.

An. ante Chr. n. 336.

Philippo Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre maior. Hic pueritiam exegerat sub Aristotele doctore, inclito omnium philosophorum. Imperium deinde adeptus, periculis undique circumventum, quum vicesimum aetatis annum ageret, confestim de se multa pollicitus, omnium favorem sibi conciliavit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit; orientes nonnullas seditiones exstinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Graeciam contendit; ubi, exemplo patris, Corinthum evocatis civitatibus, summus dux in locum eius substituitur. Inchoatum deinde a patre persicum bellum adgreditur; in cuius apparatu occupato nuntiatur, Athenienses et Thebanos ab eo ad Persas defecisse. Quibus artibus occursurus, tanta celeritate instructo paratoque exercitu Graeciam oppressit, ut quem venire non senserant, videre se vix crederent. Sed Athenienses, sicuti primi defecerant, ita primos coepit poenitere, contemtum hostis in admirationem vertentes. Itaque, missis legatis, bellum deprecantur; quibus auditis et graviter increpitis, Alexander bellum remisit. Inde Thebas cum exercitu est profectus, eadem indulgentia usurus, si parem poenitentiam invenisset. Sed Thebani armis non precibus usi sunt.

Itaque victi urbis excidium et gravissima quaeque miserrimae captivitatis supplicia pertulerunt.

Pacatis Graecis, et successu rerum ferocior Alexander persicum bellum repetit. Ad quod profecturus Graeciae et Macedoniae Antipatrum praeposuit. In exercitu eius fuere peditum duo et triginta millia, equitum quatuor millia quingenti, naves centum et octoginta. Hac tam parva manu, traiecto Hellesponto, cum Persis primum congressus est in campis Adrastiis, ad Granicum flumen. In hac pugna sexcenta millia hostium non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum fuerunt superata. Post haec Gordion urbem petit, quae posita est inter Phrygiam maiorem et minorem; cuius urbis potiundae non tam propter praedam cupido eum cepit, quam quod audierat, in ea urbe, in templo Iovis, iugum Gordii (1) positum; cuius nexum si quis solvisset, eum in tota Asia regnaturum antiqua oracula cecinisse. Itaque Alexander, capta urbe, quum in templum Iovis venisset, iugum plaustri requisivit; quo exhibito, quum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo usus, loramenta caedit; atque ita, resolutis nexibus, latentia in nodis capita invenit.

Haec agenti Alexandro nuntiatur Darius cum ingenti exercitu adventare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit, atque in Ciliciam venit, ubi ad Issum oppidum proelium ingentibus animis committitur. In eo uterque rex vulneratur; et tamdiu certamen anceps fuit, quoad

(1) Intellige iugum plaustri, in cuius loris erat nodus adeo implexus, ut indissolubilis haberetur.

fugeret Darius. Exinde magna caedes Persarum secuta est. Inter captivos castrorum mater et uxor eademque soror et filiae duae Darii fuere. Ad quas visendas quum Alexander venisset, timentibus mortis metum demsit, easque haberi uti reginas iussit.

Geminata iam victoria intellexerat Alexander, quam parum virtutis esset in illa Persarum multitudine, quae armata sibi occurrerat. Itaque honestissimas pacis conditiones aspernatur a Dario oblatas, certus iam universi Persarum regni potiundi. Sed primum omnium maris imperium studuit obtinere, Tyro urbe post diuturnam obsidionem expugnata. Mox in Aegyptum proficiscens, Alexandriam condit; deinde Asiam ingressus, tertiam de Dario victoriam retulit apud Arbela. Hoc proelio Asiae imperium rapuit Alexander, quinto post acceptum regnum anno; cuius tanta felicitas fuit, ut posthac nemo rebellare ausus sit, patienterque Persae, post imperium tot annorum, iugum servitutis acceperint. Donatis refectisque militibus, diebus quatuor et triginta praedam recognovit. In urbe deinde Susis quadraginta millia talentum invenit. Expugnat et Persepolim, caput persici regni, urbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis. Postremo Darium a Besso per proditionem interfectum, regio more sepeliri iubet, ac macedonici regni fines ad Iaxartem fluvium profert.

Post haec Alexander, velut in eorum leges transiret, quos vicerat, habitum regum Persarum, et diadema, insolitum antea regibus, adsumit. Quae ne invidiosius in se uno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem, auratam purpureamque in-

duere iubet. Sed gloriae cupidine instinctus, neque partis adhuc acquiescens, Indiam petit, ut Oceano ultimoque Oriente finiret imperium. Inde Adrestas, Cathaeos, Praesidas, Gangaridas, caesis eorum exercitibus, expugnat, atque ad Acesinem amnem pervadit; per hunc in oceanum devehitur.

Ab ultimis litoribus oceani Babyloniam revertenti nuntiatur, legationes Carthaginiensium, ceterarumque Africae civitatum, Hispaniarum praeterea, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnullas quoque ex Italia eius adventum Babyloniae opperiri. Adeo universum terrarum orbem nominis eius terror invaserat, ut cunctae gentes veluti destinato sibi regi adularentur.

Dum haec aguntur, epistolae Antipatri ex Macedonia Alexandro redduntur, quibus bellum Agidis, regis Spartanorum in Graecia, bellum Alexandri, regis Epiri in Italia, bellum Zopyrionis, praefecti eius in Scythia continebatur. Quibus varie adfectus, plus tamen laetitiae, cognita morte duorum aemulorum regum, quam doloris amissi cum Zopyrione exercitus suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Graecia ferme omnis, opportunitate usa recuperandae libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique et pacem soli spreverant, et leges respuerant. Dux huius belli Agis, rex Lacedaemoniorum fuit; quem motum Antipater, contractis militibus, in ipso ortu oppressit.

Pacatis rebus, dum Alexander Orientis atque Occidentis imperium coniungere meditaretur, immaturo fato Babylone decessit, quum tertium vix et trigesimum aetatis annum esset egressus.

CAPVT III.

Aridaeus rex designatur. - Alexandri duces provincias inter se dividunt. - Graecorum conatus. - Phocion. - Contentiones inter successores Alexandri Magni. - Graeciae civitates aliae in alias adsurgunt. - Gallorum in Macedoniam irruptio. - Foedus aetolicum atque achaicum. - Pugna ad Sellasiam.

An. ante Chr. n. 324.

Mortuo Alexandro Magno, duces in regiam coëunt ad formandum rerum praesentium statum. Aliis aliter sentientibus, Aridaeus tandem, ex Perdicae consilio, rex designatur, servata regni parte Alexandri filio, quem ex Roxane propediem nasciturum sperabant. Interea duces provincias administrandas inter se dividunt. Phrygia maior Antigono, Philippi filio, adsignatur; Lycia et Pamphylia Nearcho; Ptolemaeo Aegyptus; Thracia et regiones pontici maris Lysimacho; Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur; Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data; Antipater et Craterus Europae regionibus praeficiuntur. Summus castrorum tribunatus Seleuco, Antiochi filio, cessit. Ili non magno post tempore, quasi regna non praefecturas divisissent, sic reges ex praefectis facti, magnas opes non sibi tantum paraverunt, verum etiam posteris reliquere.

Dum haec in Oriente aguntur, in Graecia Athenienses atque Aetoli bellum summis viribus instruebant. Causae belli erant, quod reversus ab India Alexander, epistolas in Graeciam scripserat, quibus omnium civitatum exsules restituebantur. Quae recitatae, praesente universa Graecia, in conventu olympico, magnos motus fecerunt, propterea quod

plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant. Verebantur autem iidem principes, ne revocati potentiores in republica fierent. Itaque palam iam tunc multae civitates libertatem bello vindicandam clamitabant. Principes tamen omnium Athenienses atque Aetoli fuerunt. Athenienses igitur, contracto triginta millium exercitu et ducentis navibus, bellum cum Antipatro gerunt, cui Graecia sorte evenerat; eumque, proelium detrectantem atque Heracleae moenibus se tuentem, obsidione cingunt. Tunc Demosthenes, atheniensis orator, pulsus patria, forte Megaris exsulabat; qui ut missum ab Atheniensibus Hyperidem legatum cognovit, secutus eum, Sicyona, Argos et Corinthum ceterasque civitates eloquentia sua Atheniensibus iunxit. Ob quod factum, missa ab Atheniensibus nave, ab exsilio revocatur. Intereadum Antipatrum obsideret, Leosthenes, dux Atheniensium, telo e muris in transeuntem iacto, occiditur. Quae res tantum animorum Antipatro dedit, ut etiam vallum rescindere auderet. Auxilium deinde a Leonato per legatos petit; quem ubi venientem cum exercitu audiverunt, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuere, ibique equestri proelio, gravi vulnere ictus exstinguitur. Antipater recepto Leonati exercitu, quum par hostibus etiam proelio videretur, solutus obsidione in Macedoniam est profectus; neque haud ita multo post in expeditione adversus Aetolos decessit.

Erant eo tempore Athenis duae factiones: quarum una populi causam agebat, altera optimatum; in hac erat Phocion. Harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. Nam populares Polysperchonti

favebant, qui ab Antipatro Graeciae ac Macedoniae fuerat praepositus: optimates cum Cassandro, Antipatri filio, sentiebant. Interim a Polysperchonte Cassander Macedonia pulsus est. Quare populus superior factus, statim duces adversariae factionis, capitis damnatos, patria pepulit; in quibus Phocionem; deque ea re legatos ad Polysperchontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Huc eodem profectus est Phocion. Quo ut venit, causam apud regem Philippum verbo, reipsa quidem apud Polysperchontem iussus est dicere; namque is tum regis rebus praeerat. Hic ab Agnonide accusatus, quod Piraeum Nicanori prodidisset, ex consilii sententia in custodiam coniectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret iudicium. Huc ubi perventum est, quum propter aetatem pedibus iam non valeret, vehiculoque portaretur, magni concursus sunt facti; quum alii reminiscentes veteris famae, aetatis misererentur; plurimi vero ira exacuerentur propter proditionis suspicionem Piraei, maximeque quod adversus populi commoda in senectute steterat. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas, et dicendi causam. Inde iudicio, legitimis quibusdam confectis, damnatus, traditus est xI viris, quibus ad supplicium, more Atheniensium, publice damnati tradi solent. In hoc tantum fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire; itaque a servis sepultus est.

Interea Cassander auctoritate usus, quam sibi rursus apud cives comparaverat, popularis factionis opes concussit, reique publicae administrationem penitus immutavit. Quod aegre ferens Antigonus, postquam multa conatus esset, ut Graeciae impe-

rium illi eriperet, Ptolemaeum, unum ex ducibus suis, misit, qui Cassandri dominationem everteret. Tunc vero inter successores Alexandri Magni, interposita pactione convenit, ut unusquisque ea retineret, in quorum possessione esset; hac tamen lege, ut Graeciae civitates in libertatem restituerentur. Sed mox oborto inter Ptolemaeum et Antigonum bello, Cassandro rursus copia data est Graeciae imperium obtinendi usque ad annum tercentesimum secundum, quo a Demetrio Poliorceta ex Graeciae finibus est exactus.

Antigonus victoria elatus, seque unicum Alexandri Magni heredem ferens, regem se a populo appellari iubet. Sed Ptolemaeus et Cassander, ceterique alterius factionis duces indignati, quod ab Antigono tamquam vectigales haberentur, bellum communibus viribus instruunt. Proelium committitur in Phrygia, in quo Antigonus occiditur, Demetrius, filius eius, in fugam vertitur. Sed socii, profligati hostili bello, denuo in semetipsos arma verterunt; et quum de praeda non conveniret, iterum in duas factiones diducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemaeus Lysimacho iunguntur. Cassandro defuncto, Philippus filius succedit. Sic quasi ex integro nova Macedoniae bella nascuntur.

Post Cassandri et Philippi filii continuas mortes, Thessalonice regina, uxor Cassandri ab Antipatro filio occiditur, propterea quod post mortem mariti in divisione regni propensior fuisse Alexandro videbatur. Alexander ut maternam necem ulcisceretur, gesturus cum fratre bellum, auxilium a Demetrio petit; nec Demetrius spe invadendi macedonici regni moram fecit. Cuius adventum timens

Lysimachus, persuadet Antipatro genero, ut malit cum fratre in gratiam redire, quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem quum praesensisset Demetrius, Alexandro per insidias interfecto, Macedoniae regno potitur. Quum autem totis macedonici regni viribus instructus Asiam invadere statuisset, Ptolemaeus, Seleucus et Lysimachus, pacta societate collectisque exercitibus, bellum adversus Demetrium transferunt in Europam. His comitem se et belli socium iungit Pyrrhus, rex Epiri, sperans, non difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse, quam acquisierat. Neque spes frustra fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipsoque in fugam acto, Macedoniae regnum occupavit.

Sed inter Lysimachum et regem Pyrrhum, socios paullo ante adversus Demetrium, adsiduum inter pares discordiae malum bellum moverat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho, Macedoniam occupavit. Postea vero quum bellum adversus Seleucum Nicatorem suscepisset, in quem magno et inveterato odio ferebatur, cum vita regnum pariter amisit. Agatocles, maximo natu filius, a coniuratis caesus, vindices nactus est Lysandram uxorem et Ptolemaeum Ceraunum levirum, qui Seleucum ex Syria advocarunt.

Seleucus Macedoniae rex declaratur; sed vix ad Europam appulsus, a Ptolemaeo Cerauno interficitur, cui, rogatus, subsidio venerat. Antiochus filius, patrem ulturus ex Asia confestim advolavit. Dumque Ptolemaeus Ceraunus, Antiochus atque Antigonus bello inter se dissiderent, omnes ferme Graeciae civitates, ducibus Spartanis, veluti oc-

casione data, ad spem libertatis erectae, missis invicem legatis, per quos in societatis foedera adligarentur, in bellum prorumpunt; et ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur, socios eius Aetolos adgrediuntur, causas belli praetendentes, quod consensu Graeciae sacratum Apollini Cirrhaeum campum per vim occupassent. Huic bello ducem eligunt Arean, qui, collecto exercitu, urbes sataque in his campis posita depopulatur; quae auferri non poterant incendit. Quod quum e montibus conspicati Aetolorum pastores essent, congregati admodum quingenti, sparsos hostes, ignorantesque quanta manus esset, quoniam conspectum illis fumus incendiorum abstulerat, consectantur, trucidatisque admodum novem millibus, praedones in fugam verterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium multae civitates negaverunt, existimantes, dominationem eos, non Graeciae libertatem quaerere. Interea bellum inter reges finitur; nam Ptolemaeus, pulso Antigono, quum regnum totius Macedoniae occupasset, pacem cum Antiocho facit, adfinitatemque cum rege Pyrrho, data ei in matrimonium filia, iungit.

Haud ita multo post Galli, quos iam non capiebant terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes novas quaerendas miserunt. Ex his pars in Italia consedit; alii se in Graeciam effundentes, Brenno duce, Delphos petunt, templi opes direpturi. Ubi Gallos adventantes audiverunt Delphi, sociorum viribus aucti, urbem suam muniverunt. Galli sine respectu periculorum in bellum ruunt. Delphi autem cum contemptu hostium resi-

stunt; scandentesque Gallos e summo montis vertice, partim saxis, partim armis obruunt. Quin et dei ipsius praesentiam senserunt. Namque terraemotu pars montis abrupta Gallorum stravit exercitum; et dux ipse Brennus, quum dolorem vulnerum ferre non posset, pugione vitam finivit. Belgius, alter ex ducibus, cum decem millibus Samiorum, citato agmine, Graecia excessit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit. Siquidem adsidui imbres et fames et lassitudo et gentes, per quas iter habebant, infelicis belli reliquias obtriverunt.

Post varios casus Antigonus, Demetrii I filius, iterum Macedoniae regno potitus, de universa Graecia subigenda cogitavit. Sed diu adversus Graecos, aetolico atque achaico foedere iunctos, tum illi, tum successoribus fuit obnitendum. Quum vero Antigonus Doson, frater Demetrii II, Cleomenem, Spartae regem, ad Sellasiam devicisset, illius regnum in ditionem suam redegit. Exinde Lacedaemoniorum opes sensim senescere, ac tandem penitus corruere visae sunt.

LIBER V.

AB ANNO ANTE CHRISTVM NATVM CCXXII AD ANNVM CXLVI.

CAPVT I.

Philippi III foedus cum Hannibale. – Aetolorum cum Romanis. – T. Quintius Flamininus, consul, Philippum vincit ad Cynoscephalas.- Graeciae libertatem promulgat.

An. ante Chr. n. 222.

Post Antigoni Dosonis mortem, Macedoniae regnum suscepit Philippus III, filius Demetrii II, in quo, septemdecim tantum annos nato, magna indoles virtutis enitebat. Quum autem illa tempestate Romani, re feliciter gesta in Illyrico, Graecis iam metum afferre viderentur, Philippus cum Hannibale, Carthaginiensium duce, foedus atque amicitiam iunxit his ferme legibus: ut Philippus quam maxima classe in Italiam traiiceret, maritimamque oram vastaret: bellum pro parte sua terra marique gereret. Ubi debellatum esset, Italia omnis cum ipsa urbe Roma Carthaginiensium atque Hannibalis esset, praedaque omnis Hannibali cederet. Perdomita Italia, navigarent in Graeciam, bellumque cum quibus regibus placeret, gererent; quae civitates continentis, quae insulae ad Macedoniam vergunt, eae Philippi regnique eius essent.

Vbi primum Romanis nuntiatum est, Philippum in Italiam copias traiecturum, Laevinum praetorem cum instructis navibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui, quum in Graeciam traiecisset, multis

pollicitationibus impellit Aetolos, ut bellum adversus Philippum suscipiant. Philippus quoque Achaeos in Romanorum bella sollicitat. Interea Dardani, quum Macedoniae fines vastare coepissent, Philippum a romano bello ad tuendum regnum revocarunt. Eodem tempore Laevinus Graeciam populatur. Quibus cladibus perculsae civitates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant; Illyriorum etiam reges, lateri eius haerentes, adsiduis precibus promissa exigebant. Ad haec vastati Macedones ultionem flagitabant. Omnibus propediem auxilia se missurum pollicetur Philippus. Prima tamen expeditio adversus Dardanos fuit, qui maiore belli mole Macedoniae imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, qui ad Carthaginis excidium spectantes, satis habuerunt interim bellum macedonicum distulisse.

Sed praesentiens Philippus, Romanos, eversa statim Carthagine, in se arma laturos, pacis opportunitate usus, populorum opes minuere conatur, quos Romanis favere intelligebat. Quare legationes regis Attali et Rhodiorum, Philippi iniurias querentes, Romam venerunt. Quae res omnem cunctationem macedonici belli senatui exemit. Itaque per speciem ferendi sociis auxilii, bellum statim adversus Philippum decernitur, legionesque cum T. Quintio Flaminino consule in Thessaliam mittuntur. Hic, proelio ad Cynoscephalas commisso, regis copias profligavit. Caesa eo die octo Macedonum millia, quinque capta; ex victoribus septingenti ferme ceciderunt. Fractus igitur bello Philippus, pace a Flaminino consule petita, nomen quidem regium retinuit, sed omnibus Graeciae

urbibus, veluti regni membris amissis, solam Macedoniam servavit.

Offensi tamen Aetoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque ademta regi et data sibi in belli praemium esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis in romana bella, spe societatis universae Graeciae impellerent. Ut Aetolorum offensioni occurreret consul, Graeciae libertatem in ludis isthmiis promulgandam curat. Quum igitur Romani ad spectaculum consedissent, praeco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam, unde solemni carmine ludicrum indici solet, processit, et, tuba silentio facto, ita pronuntiat: Senatus romanus et T. Quintius imperator, Philippo rege, Macedonibusque devictis, liberos, immunes, suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses, Locrensesque omnes, et insulam Euboeam, et Magnetas, Thessalos, Perrhaebos, Achaeos, Phthiotas. Audita voce praeconis, tantus cum clamore plausus est ortus, ut facile appareret, nihil omnium bonorum multitudini gratius, quam libertatem esse. Sed Lacedaemon Nabidi tyranno relicta, et pax a Romanis cum eodem composita haud diuturnum gaudium Graecis praebuerunt.

Caput II.

Aetoli a Romanis subacti. - Messenii et Achaei de principatu contendunt. - Philopoemen. - Persei bellum adversus Romanos. - Paullus Aemilius. - Perseus victus capitur. - Bellum achaicum. - L. Mummius Achaeos vincit. - Graecia universa in Romanorum dominatum venit.

An. ante Chr. n. 190.

Aetoli, qui post pugnam ad Cynoscephalas Antiochum in bella romana impulerant, victo eodem,

soli adversus Romanos, et viribus impares et omni auxilio destituti, remanserunt; nec multo post victi libertatem, quam illibatam adversus dominationem Atheniensium et Spartanorum, inter tot Graeciae civitates soli retinuerant, amiserunt. Quae conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam, Asiae Italiaeque terribilem, delphico bello fregerant: quae gloriosa recordatio magis magisque desiderium libertatis augebat.

Per idem tempus, inter Messenios et Achaeos de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est. In eo Philopoemen, nobilis Achaeorum imperator, capitur; non quia pugnando vitae pepercerit, sed dum suos in proelium revocat, in transitu fossae equo praecipitatus, a multitudine hostium oppressus est. Quem iacentem Messenii, seu metu virtutis, seu verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt. Itaque velut in illo omne bellum confecissent, captivum per universam civitatem in modum triumphi circumduxerunt, effuso obviam populo, ac si suus, non hostium imperator adventaret; nec victorem Achaei avidius vidissent, quam victum hostes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iusserunt, ut omnes contuerentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde, in carcerem ducto, venenum dederunt; quod ille laetus ac si vicisset, accepit; quaesito prius an Lycortas, praefectus Achaeorum, quem secundum a se esse militiae peritia sciebat, incolumis effugisset. Quem ut accepit evasisse, non male omnino dicens consultum Achaeis, exspiravit. Nec multo post, repa-

rato bello, Messenii vincuntur, poenasque interfecti Philopoemenis pependerunt.

Inter haec, quum morbo ex aegritudine contracto Philippus decessisset, Perseus, qui patris imperio successerat, bellum Romanis indixit. Perseo, praeter macedonicum invictae opinionis exercitum, decennis belli sumptus a patre paratus in thesauris et horreis erat. Quibus rebus inflatus, oblitus fortunae paternae, veterem Alexandri gloriam considerare suos iubebat. Primum equestre proelium fuit, quo victor Perseus suspensam omnium expectationem in favorem sui traxit: misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi suscepturus. Sed Sulpicius consul non minus graves quam victo leges dixit. Dum haec geruntur, metu tam periculosi belli Romani Paullum Aemilium consulem creant, eique extra ordinem bellum macedonicum decernunt; qui, quum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnae fecit. Pridie quam proelium consereretur, luna noctu defecit; triste id ostentum Perseo omnibus praesagientibus, finemque macedonici regni portendi vaticinantibus.

Illuxit tandem saeculum XVIII; quumque Victorius Amadeus, huiusce nominis secundus, post foedus ictum Traiecti ad Rhenum (2) pacem Subalpinis attulisset, omnes curas et cogitationes suas convertit ad provehendam civium humanitatem. Tunc enimvero, ex prudentissimorum virorum consilio, optimas leges sanxit liberalioribus disciplinis fovendis; quodque caput est, peritissimos uniuscuiusque scientiae viros allexit, quorum doctrina in civitate expolienda uteretur (3). Tunc videlicet hu-

(1) V. Vallauri, *Il Cavalier Marino in Piemonte.* Torino, Stamp. Reale, 1847, in-8°.

(2) An. MDCCXIII.

(3) *Storia delle Università degli studi del Piemonte*, Vol. III, cap. 1, pag. 7 e seg.

maniorum litterarum institutiones in Athenaeum tandem fuerunt revocatae. Et primo quidem Bernardus Lama, neapolitanus, homo sane in graecis et latinis litteris probatus et nobilis (1); mox Dominicus Regolottius, romanus; tum Hieronymus Taliazucchius et Iosephus Bartolus, prior quidem Mutina, alter vero Patavio fuerunt acciti, quibus eloquentiae tradendae munus permitteretur. Inter quos Taliazucchius praesertim et Bartolus egregie de Subalpinorum studiis meriti sunt. Namque Mutinensis italicarum litterarum cultum primus impense fovit, quae antea negligerentur; atque optimis propositis exemplaribus, nostrorum aures italici sermonis venustati assuetecit. Patavinus autem, eximia eruditione praeclarus, hoc in primis est laudandus, quod disciplinae litterarum ampliores quam antea fines esse voluit. Siquidem duo, uti nuper aiebam, fuerunt ea tempestate eloquentiae doctores in Taurinensi Academia, quos studiosi per triennium audirent. Ad doctorem qui latinam eloquentiam profiteretur, pertinebat agere quotannis de oratoria institutione, optimos scriptores latinos expendere, atque alios aliis componere. Illius vero, qui italicam eloquentiam traderet, praecipuum munus fuit poëticam Aristotelis, graecos italosque scriptores interpretari. Bartolus, quem non lateret, quantum incommodi ex hac studiorum ratione proficisceretur, ostendit (2), male agi cum eloquentiae alumnis, qui trium annorum spatio eadem semper docerentur. Cur autem, aiebat, ex politiorum litterarum institutionibus expungi artem criticam, veteris et recentioris aevi historiam, tum civilem, tum litterariam, inscriptiones, nomismata, aliaque id genus, quae turpe sit virum ignorare, qui litterarum curriculum sit emensus? Quapropter rei litterariae moderatores enixe hortabatur, ut, disciplina immutata, eloquentiae studiosis commodius consulerent.

(1) V. Bernardi Andreae Lamae, neapolitani, eloquentiae professoris in Academia Taurinensi, Orationes (novem). Aug. Taurinorum, 1728, in 8° picc.
(2) *Storia cit.* Vol. III, cap. 6, pag. 128 e seg.

Nescio quo litterarum fato, quae proposuisset Bartolus publica auctoritate confirmata non fuerunt. Nihilominus saniorem hanc rationem in docendo ipse secutus, eloquentiae scholam aliquantulum erexit, ex qua egregii sane viri prodierunt. Professor Patavinus Carolum Deninam (1) ad historiae studium praesertim excitavit. Hic Tenivellium edocuit, ex cuius disciplina exstitit Carolus Botta, qui memoria nostra historiae principatum Subalpinis asseruit. Quare verissime de Denina scripsit Carolus Boucheronus (2): « Primus doctrinae suae alumnos a verborum angustiis in medias res deduxit; primus historiam uberius audentiusque tractavit. » Nemo autem inficiabitur, Deninam, praestantissimum omnium habendum esse, qui usque ad illa tempora eloquentiam in Taurinensi Archigymnasio tradidissent. Siquidem acerrimo ingenio donatus, idemque laboris patientissimus, illam sibi doctrinam comparavit, ex qua sententiarum et verborum copia efflorescit. Hoc autem se totum litteris abdiderat, quod in animum sibi induxisset, virum, qui antiquitati unice deditus recentiora negligeret, ineptum eloquentiae magistrum fore; e contrario ex eius schola, qui Italorum litteris leviter tinctus atque a veterum doctrina vacuus, elegantioribus dictionibus et sententiolis aucupandis omnino esset intentus, ieiunos homines exstituros, qui verborum lasciviis contenti ad germanam eloquentiam nunquam assurgant.

Quum igitur Bartolus, eiusque sectator Denina, uterque doctissimus, optimam disciplinam in Subalpinos intulissent, castior ex illo tempore fluxit nostrorum oratio: multi enituerunt in expolita latinitate diserti, in litteris etiam graecis non mediocriter versati. Atque ut caeteros omittam, floruerunt illa tempestate Iosephus Barettius,

(1) Carolus Denina a Revello apud Salutienses, obiit annos natus duos et octoginta, idib. decembr., anno MDCCCXIII. — V. *Stor. cit.* Vol. III, cap. 10, pag 197 e seg.

(2) Boucheroni de Thoma Valperga Calusio, Taurini, 1823 in - 8°.

Franciscus Regis (1), Thomas Calusius, et Victorius ille Alferius, qui italicae Melpomenes vindex, veterum tragicorum gloriam est consecutus.

Hisce litterarum ornamentis fulgebat natio subalpina; quum exeunte saeculo xviii atque annis insequentibus maximae rerum publicarum conversiones, et sub externo dominatu peregrinitatis studium litteris graecis, latinis atque italis non parum offecerunt. Sed humanitatis semina semel inducta, etiamsi ad tempus deflorescant, non penitus tamen exarescunt; et, si modo favens adspiret fortuna, facile reviviscunt. Quod quidem memoria nostra factum est, quum duo excellentis ingenii et doctrinae viri lecti sunt, qui litterarum decus in Taurinensi Academia tuerentur. Spectant haec verba ad Iosephum Biamontium et Carolum Boucheronum, viros plane singulares, qui nuper in litteris subalpinae gentis nomen renovarunt (2). Neque velim, quempiam fortasse existimare, me hic magistros meos ultra quam deceat laudare, quasi ipsorum praeconia in laudantem etiam recidant. Quamquam enim eo sum animo erga immortales illos viros, ut, quoad vita suppeditabit, eodem quo parentes honore eorum memoriam sim prosecuturus, nunquam tamen iudicio amor officiet. Quum autem dixero, perpaucos omnino aetatem hanc nostram tulisse aut Biamontio doctiores, aut Boucherono elegantiores, omnes iam mihi facile assensuros confido. Caeterum hoc praesertim laudandos arbitror, quod unus etiamsi italicam tantum eloquentiam doceret; attamen tanta fuit in he-

(1) Franciscus Regis, natus Altoduni in Subalpinis an. MDCCXLIX, litteras graecas atque ital. docuit in Taurin. Academia usque ad annum huius saeculi XII. — V. *Storia cit.* III, cap. 11, p. 209.

(2) Iosephus Biamontius, natus Albii Intemelii apud Ligures anno superioris saeculi LXII, decessit an. MDCCCXXIV; Carolus autem Boucheronus, Taurinensis, ereptus est anno MDCCCXXXVIII, quum nondum attigisset aetatis annum sextum et sexagesimum. Huius vitam vide in libro qui inscribitur: Caroli Boucheroni inscriptiones perpetuis animadversionibus auxit Thomas Vallaurius. Aug. Taurin., ex offic. Reg., MDCCCL., in-8°.

braicis, in graecis et latinis litteris praestantia, ut animatam bibliothecam merito dixisses: alter vero, cui graecae et latinae eloquentiae tradendae munus esset demandatum, tanta cura italica etiam studia secutus fuerat, ut dum omnium sententia, latinorum sui temporis scriptorum nobilissimus habebatur, de italicis operibus verissime iudicaret; ex quo fiebat, ut dicendi facultas in iis non esset ieiuna et nuda, sed adspersa et distincta multarum rerum iucunda quadam varietate; in utriusque vero acroasibus nunquam veterum sapientia a recentiorum doctrina seiungeretur. Iuvat interdum, Didace mi, animo repetere, quoties divinus ille senex Biamontius italicos poëtarum cantus cum exquisitissimis Homeri, Pindari, Sophoclis, aut Horatii carminibus compararet, quorum lectissimos locos pro re nata memoriter recitabat; quoties illustriores Macchiavelli et Guicciardinii narrationes cum Thucydideis, cum Sallustianis et Livianis componeret. Neque minus delectabamur quum Boucheronus Virgilianas atque Horatianas sententias suavissimis Aligherii, Petrarcae, aut Ariosti luminibus hilararet.

Caeterum quum elegantiorum litterarum disciplina latissime pateat, vix fieri poterat, ut duo tantum viri, licet praestantissimi, studiosos intra quadriennium commode instituerent. Quapropter optimo sane consilio, abhinc decem annos, auctis magisteriis, novaque doctrinarum facta partitione, quaterni doctores in Taurinensi Athenaeo exstiterunt, quorum unus historiam veterum populorum per biennium enarraret, reliqui tres in litteris graecis, latinis atque italis tantummodo elaborarent. Qua quidem accessione quum discentium commodis nondum satis fuisse consultum videretur, nuperrime cautum est (1), ut litterarum curriculum quinquennio contineretur, atque in ipso statim disciplinae limine is esset, qui rhetoricas illas praeceptiones fusius traderet, quas

(1) V. *Regolamento del Magistrato della Riforma sopra gli studi pel corso di Belle Lettere nella R. Università di Torino, del* 28 *di luglio* 1847; *art.* 1.

alumni in puerili institutione iam percepissent (1); tum vero septemviri graecas, latinas atque italicas litteras docerent cum historia critica scriptorum, antiquissimarum et recentiorum gentium historiam, archaeologiam, grammaticam generalem atque historiam veteris philosophiae; postremo, ad haec omnia, veluti cumulus (2), accederet μεθοδική, quam terni seorsum viri sic tractarent, ut a maximis ad minima illa se demitterent, quibus pueruli educari, eorumque studia vel a prima aetatula formari consueverunt.

Quid sentiam de hac novissima studiorum ratione, qua plurimum praeceptionibus (3) atque eruditioni, minimum optimorum exemplarium imitationi datum est, iam dixi in quadam scriptiuncula, quam evulgavi abhinc paucos menses (4). Hoc unum in praesens satis sit notare, absurde omnino sanctum fuisse, ut anno quinto politiorum litterarum studiosi, quorum est publicum latinae atque italicae scriptionis specimen dare tum soluta tum numeris adstricta oratione, a schola italicae et latinae eloquentiae penitus abstineant, aliis disciplinis operam daturi, nihil sane ad sermonis elegantiam et venustatem pertinentibus (5). Quorsum tandem res sit

(1) V. *Regolamento cit.*, *art.* 6.

(2) Eadem lege cautum est, ut eloquentiae studiosi, qui praeter caeteras disciplinas μεθοδικὴν etiam arripuerint, laurea donati, Politiorum Litterarum Doctores renuntientur; qui vero rem methodicam praetermiserint, tamquam imi subsellii viri, Rhetoricae Professores tantummodo nominentur! — *Regolamento citato, articoli* 16, 21.

(3) V. *Regolamento cit.*, *art.* 6, 9.

(4) *Osservazioni critiche di* Tommaso Vallauri *sul Regolamento pel corso di Belle Lettere, del* 28 *di luglio* 1847. Torino, Stamperia Reale, 1848, in-8°.

(5) V. *Regolamento cit.*, *art.* 13, 16. — *Osservazioni crit. cit.* — Huic tandem incommodo obviam itum est Regiis Litteris, datis III. nonas octobres, an. MDCCCLI, quibus decretum est, ut, immutata studiorum ratione, alumni elegantioris nostrae doctrinae per quadriennium strenuam operam dent litteris italicis, latinis et graecis, historiae vetustioris et recentioris aevi, postremo archaeologiae tum graecae tum romanae. Quo facto eloquentiae studiosi in posterum vacabunt a schola rhetori-

evasura, penes acutos atque elegantes viros iudicium sit. Equidem nostros, qui hanc disciplinam nuper invexerunt, qua studiosi in multa eademque diversa distracti, rerum pondere obruuntur, admonebo, ut a recentioribus, quos unice colunt et observant, ad Quintilianum (1), doctorem gravissimum, identidem animum advertant, cuius haec sunt verba: Pueris quae maxime ingenium alant atque animum augeant, praelegenda; caeteris, quae ad eruditionem modo pertinent, longa aetas spatium dabit. Quod quidem Fabii monitum eo spectat, ut adolescentes e nostris scholis eloquentes et ornati scriptores prodeant, non inepti, non rudes, non sermone barbari, non ardeliones, non denique eruditi, aut inanibus tantummodo praeceptis imbuti (2).

En habes, Vitrioli, vir doctissime idemque amicissime, historiae quoddam specimen politioris Subalpinorum humanitatis. Nunc vero ut historiam criticam litterarum latinarum aequi bonique facias etiam atque etiam rogo. Vale.

Scripsi Augustae Taurinorum III. cal. Sextiles an. M. DCCC. XXXXVIIII.

carum institutionum, rei methodicae et historiae veteris philosophiae. Iuvat hic exscribere ipsa verba, quibus Rex saluberrimum hoc decretum est exorsus: *L'esperienza di alcuni anni avendo dimostrato, come la moltiplicità delle materie, prescritte pel corso di Belle Lettere col Regolamento del* 28 *di luglio* 1847, *tolga agli studenti il tempo necessario per lo studio dei classici e per l'esercizio dello scrivere,* ecc.

(1) De Instit. orat. I, 8. 8.

(2) Rumor est, fore ut anno proximo (MDCCCLXI), nova studiorum ratione proposita, politioris nostrae disciplinae alumni ad philosophiam pariter et litteras animum adiungant. Quod quidem prudentissimo cuique probatum iri confidimus. Ingeniose enim et vere eloquentia definitur a Tullio copiose loquens sapientia. Id unum exoptamus, ut a nostris scholis illi absint philosophi, qui suis se acuminibus compungunt, quique nimia subtilitatis affectatione frangunt et concidunt quidquid est in oratione generosius, et omnem succum ingenii bibunt. Hoc enim siquis probabit, ita probabit, ut eloquentiae tamen aptum non esse fateatur.

HISTORIA CRITICA

LITTERARVM LATINARVM

OPERIS DIVISIO.

Quum, vel a pueris, romanorum scriptorum nitori assuescamus, qui Augusteo praesertim saeculo provenerunt, in iis plerique conquiescimus, quin unquam latini sermonis incunabula, aut deteriorem illius aetatem persequamur. Hinc autem fit, ut complura nos deficiant litterarum praesidia ad romanam antiquitatem penitus cognoscendam. Si enim parumper animo cogitemus, quam arcta cognatione populorum mores et litterae devinciantur, iam illud est perspicuum, nunquam fore ut nobis de romanae gentis humanitate verissime liceat iudicare, quin ad litterarum latinarum originem primo assurgamus; tum vero, notata earum progressione atque amplitudine, senescentes quoque et ad nihilum ferme venturas, per varias rerum mutationes

contemplemur. Quapropter adolescentibus, latinae eloquentiae studiosis, in brevi veluti tabella, litterarum latinarum vices spectandas exhibere constitui; ratus me optimum facturum, si meam commentationem in quatuor potissimum partes digererem. Et primo quidem historiam criticam breviter perstringerem latinae linguae et latinorum scriptorum ab antiquissimis temporibus ad Syllae dictatoris obitum; deinde auream illam aetatem expenderem, quae inter Syllae et Augusti mortem intercessit; tum sequioris aevi conditionem spectarem, quod ab Augusti excessu ad Hadrianum pertinet; postremo in illud spatium inquirerem, quod inter Hadrianum et Odoacrem effluxit; qua nimirum tempestate Romanorum litterae ad occasum vergere visae sunt.

LIBER PRIMVS.

AB ANTIQVISSIMIS TEMPORIBVS AD SYLLAE OBITVM, QVI FVIT ANNO POST VRBEM CONDITAM DCLXXVI.

CAPVT I.

DE ORIGINE LINGVAE LATINAE.

De primordiis latini sermonis dicturo ea primum perdifficilis quaestio occurrit, quae iamdiu doctos homines torquet, de primis Italiae incolis. Namque in linguarum originem frustra inquiras, nisi prius populorum migrationes et fata iam animo fueris assecutus. Quum autem complures hac de re, eaedemque discrepantes sententiae fuerint prolatae (1), illorum opinio nobis maxime probatur, qui contendunt, Pelasgos, Tyrrhenos, Iberos aliosque ex Asia in Graeciam pariter atque in Italiam fuisse profectos (2).

(1 Hanc sententiarum discrepantiam vide apud DIONYS. HALIC., Antiq. rom., lib. I et II — I. N. FUNCCIUM, De origine et pueritia linguae latinae etc. Marburgi Cattorum 1735, in-4°, cap. VI, VII, VIII, pag. 96-134. — Cf. FRÉRET, *Recherches sur l'origine et l'ancienne histoire des différens peuples de l'Italie* (*Vol.* VIII. *de l'Hist. de l'Acad. des Inscriptions et BB. LL.*). HEYNE, Origines, vestigia et memoria artium et litterarum in Italia antiqua etc. (Vol. v. opuscul. academic.) — SCHOEL, *Histoire abrégée de la littérat. romaine.* Paris 1815, in-8° *Tom. I. Introduction, Origine de la population de l'Italie, pag.* 7 *et suiv.*). — G. GALVANI. *Delle genti e delle favelle loro in Italia dai primi tempi storici sino ad Augusto. Firenze, tipografia Galileiana*, 1849, in-8°.

(2) V. HERODOT., 1, 94. — C. VELLEII PATERC., Hist. rom., I, 1. — PLIN. H. N., III, 5. — Cf. CHR. CELLARII, De fatis linguae

Huiusmodi sententia, qua docemur, Graeciae atque Italiae populos eodem genere fuisse prognatos, acerrimum vindicem habuit Theodorum Ryckium (1), virum olim apud Batavos maximae existimationis, quem complures ex recentioribus (2) secuti sunt. Hinc autem necessario conficitur, linguam graecam et latinam uno eodemque fonte fluxisse, et sororio inter se vinculo contineri.

Iam illud quo que verisimillimum videtur, latinam linguam, perinde ac graecam, dialectis diversorum populorum fuisse conflatam (3), qui in unam gentem coaluerunt. Quemadmodum vero dialecti citius fuerunt expolitae in graeca regione, ingeniis expromendis aptissima; ita apud Italos diutius incultae atque horridae permanserunt inter vitae pastoralis simplicitatem, inter agrestes incolarum mores (4), qui a finitimis bello continenter vexati, innumeris rerum conversionibus iactarentur. Ex his autem dialectis ea potissimum praevaluit, quae in tractu regionis erat, quam Tiberis finit, cuique postea Latio nomen fuit.

Per aliquot saecula, tum graeca tum latina lingua sic viguit, ut neutra quidpiam a sorore mutuaretur, et suis unaquaeque viribus tantummodo cresceret. At dum graeca, elegantissimis iam scriptoribus florens, suis ipsa vestigiis insisteret, latina, cuius perpauca exstarent monu-

latinae, pag. 457. — ANDR. BORRICHII, De fatis et aetatib. variis ling. lat., pag. 2, 3. — I. G. WALCHII, Hist. crit. lat. ling. Lipsiae 1761, in 8°, cap. I, § 4, pag. 28 et seq. — CHR. Walz, De religione romanorum antiquissima, partic. I. Tubingae 1845. — GALVANI, op. cit., pag. 32 e seg., 229 e seg. 270.

(1) V. THEODORI RYCKII Dissertatio de primis Italiae colonis et Aeneae adventu. Lugduni Batavorum 1684, in-fol.

(2) LANZI, *Saggi di lingua etrusca e di altre antiche d'Italia ecc.* Roma 1789, 3 vol. in 8°. — *Degli Etruschi, Dissertazione dell'abate* G. B. ZANNONI, Firenze 1810, in-8°. — A.E. EGGER, Latini sermonis vetustioris reliquiae selectae etc. Parisiis 1843, in-8° (V. Praefat., pag. XI et seq.) aliique passim.

(3) GALVANI, op. cit., pag. 48 e seg., 98.

(4) Ille rudis, ille pastorius populus vereque terrester. FLOR., [illegible] 2. — Cf. PROPERT., IV. *I.* — SALL., Catil., VI.

menta, maioribus mutationibus obnoxia, a pristina illa forma sic desciit (1), ut qua tempestate Pyrrhus in Italiam cum copiis venit, Romani atque Epirotae diverso penitus sermone iam uti viderentur.

Sed postquam humaniore cultu expoliti in litterarum originem Romani coeperunt inquirere, tunc enimvero ex utriusque linguae collatione ipsarum affinitas patuit; tunc demum cognitum est, latinam linguam ad aeolicam praesertim rationem accedere (2), atque opinionem illam de Orientalibus in Italiam traiectis, iam populi sermone et poëtarum figmentis late celebratam, inter aniles fabulas non esse amandandam.

Caeterum communem hanc graeci et latini sermonis originem quatuor praesertim argumenta confirmant; quorum primum eruitur ex ipsis litterarum formis, quibus utraque gens uteretur (3); alterum ex etymologia; tertium ex multis vocibus, Graecorum et Latinorum communibus atque idem plane significantibus; quartum denique ex grammatica ratione, quam *σύνταξιν* Graeci vocant. Qua quidem posita linguarum cognatione, hoc praesertim intelligi volo, frustra niti latinarum litterarum studiosos ut aliquam doctrinae praestantiam consequantur, si graecas ne leviter quidem attigerint.

(1) *Τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις, τῆς νῦν πρός τὴν ἀρχαίαν ὥστε τοὶς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν.* POLYB. III, 22.

(2) *Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν οὔτ' ἄκραν βάρβαρον, οὐδ ἀπηρτισμένως Ελλάδα φθέγγονται μικτὴν δὲ τινα ἐξ ἀμφοῖν ἧς ἐστιν ἡ πλείων' Αἰολίς.* DION. HAL., Antiq. rom., I, 90. — Cf. QUINTIL., Inst. orat., I 6, 31. — SCALIG., De causs., l. I., cap. 63, 78. — SCHARDAMI, thes. quae inscribitur: Latina lingua est dialectus linguae graecae. Leydae 1776. — RHUNKEN, *Eloge d'Hemsterhuis.*

(3) DION. HAL., Antiq. rom., IV, 26. — TAC., Ann., XI, 14: Et formae, ait, litteris latinis, quae veterrimis Graecorum. Haud aliter PLIN. H. N., VII, 1: Veteres (litteras) graecas fuisse easdem paene, quae nunc sunt latinae, indicio erit delphica tabula antiqui aeris, quae esthod ie in palatio, dono Principum Minervae dicata in bibliotheca cum inscriptione tali: *Ναυσικάτης Τισαμένου' Αθηνασῖς ἀνέθικεν.*

CAPVT II.

DE VETVSTIORIBVS LATINAE LINGVAE MONVMENTIS.

Si in antiquissimam latini sermonis aetatem inquiramus, omnia tenebris circumfusa nobis obversantur quamdiu regnum Albanum stetit. Nulla enim supersunt monumenta, ex quibus vagientis illius latinae linguae conditio nobis innotescat. Quare hoc tantum licet assequi coniectura, priscam videlicet italicorum populorum linguam agrestibus ipsorum moribus apprime respondisse.

Post Romam vero conditam, usque ad annum urbis ducentesimum quartum et quadragesimum, quo reges fuerunt exacti, perpauca etiam exstant monumenta, quae latini sermonis vultum atque indolem nobis exhibeant. In his porro enumerantur carmina, quae pertinebant ad ritus religiosos atque ad invocationes deorum immortalium. Quum enim, uti habet Plato in Phaedone (1), nihil sit tam cognatum mentibus nostris quam numeri, quorum summa vis carminibus est aptior et cantibus; ita apud Romanos haud aliter atque apud Graecos, in sacris mature usurpari coepti sunt hymni, quibus deorum laudes celebrarent.

Huc accedunt carmina, quae vel assa voce (2) vel ad fides et tibiam canerentur in epulis aut in funeribus (3), ad clarorum virorum virtutes praedicandas; tum vero ballistea et saltatiunculae, quas milites et tunicata plebs in duces triumphantes iculariter iactactarent (4).

(1) Cf. TULL., de orat., III, 51.
(2) V. NON. ad vocem assa. — TULL., Tuscul. disput., I, 2; IV, 2. — De orat., III, 51. — Brut., XIX. — QUINTIL., De instit. orat., I, 10, 20. — VALER. MAX., II, 1; III, 1, 10.
(3) TULL., De leg. II, 24;
(4) V. LIV., IV, 20, 53; V, 49., VII, 10, 38; X, 30; XXIV, 29. — Versus ludicri in Romanorum Caesares priores olim compositi. Ed. G. H. BERNSTEIN. Halis Saxon. 1810, in 8°. — Huiusmodi fuit vulgatissimum illud carmen, quod Iul. Caesaris

Omnium quidem vetustissimum latinae linguae monumentum, ex communi eruditorum sententia, est *Carmen Fratrum Arvalium*, quod nonnulli ad Romuli, plerique vero ad Numae aetatem referunt. Hoc sane, ad linguam quod attinet, adeo distat a reliquis vetustioris aevi monumentis, ut hactenus praestantissimi philologi vix probabilem inde sensum exsculperent (1).

Ad Numae aetatem pertinent etiam *Hymni Saliares* (2),

milites in gallico triumpho, eius currum prosecuti canerent (SVET., Iul., XLIX):

Gallias Caesar subegit,
Nicomedes Caesarem:
Ecce Caesar nunc triumphat,
Qui subegit Gallias:
Nicomedes nunc triumphat,
Qui subegit Caesarem.

Huius etiam modi fuere cantilenae in divum Aurelianum compositae, quibus, uti ait Fl. Vopiscus, pueri, bellicam Imperatoris virtutem celebrantes, diebus festis militariter saltitabant:

Mille, mille, mille, mille,
Mille, mille decollavimus.
Unus homo mille, mille,
Mille, mille decollavimus,
Mille, mille, mille vivat,
Qui mille, mille occidit.
Tantum vini habet nemo,
Quantum fudit sanguinis.

(1) V. Acta Fratrum Arvalium sub Imp. M. Aur. Antonino Elagabalo, ex marmoribus modo in urbe repertis descripta. Romae 1778, in-fol. — C. MARINI, *Gli atti e monumenti dei Fratelli Arvali scolpiti già in tavole di marmo, ed ora raccolti, diciferati e commentati*. Roma 1795, vol. 2 in-4° — LANZI, *Saggio di lingua etrusca*, 1, 8, § I, tom. 1, pag. 141 et seq. — G. HERMANN, Elementa doctrinae metricae, lib. III, c. 9, § 6, ubi conf, grammaticor. loc. pag. 608 et seqq. — SCHOEL, *Hist. abr. de la littér. rom.* Paris 1815, tom. I. pag. 14 — M. G. F. GROTEFEND, *Gröss, latein. grammat. für. Schulen*, tom. II, pag. 290. — M. KLAUSEN, De carmine Fratrum Arvalium. Bonnae 1836, in-8° — Cf. AE. EGGER, Latini sermonis vetust. reliquiae selectae. Paris 1843, pag. 68 et seqq. — GALVANI. op. cit. (*Studio* 10, *di alcune conghietture sul carme.., dei Fratelli Arvali*) a pag. 407 e seg.

(2) V. I. N. FUNCC., De orig. et puerit, lat. linguae. Marburgi Cattor. 1735, in-4°. cap. III, § XIII, pag. 289 et seqq. — EGGER,

qui mense martio a Saliis, Martis sacerdotibus (1), canerentur. Ili quidem cantus, quos passim veteres scriptores commemorant (2), temporis iniuria interciderunt, si brevissima tantum fragmenta excipias, et singularia quaedam vocabula, quae apud grammaticos occurrunt (3). Qua tamen in re est animadvertendum, nobis non esse exploratum, utrum huiusmodi reliquiae ad vetustiorem aetatem pertineant, an fuerint temporis lapsu interpolatae. Hoc unum constat inter omnes, tum cantus Fratrum Arvalium et Saliorum, tum reliqua carmina, de quibus supra commemoravi, horrido illo Saturnio numero fuisse conscripta, cuius formam nobis olim tradidit Terentianus Maurus (4), nuperrime vero Ioannes Galvanius (5), cuius ingenio et doctrina, maxima italicis originibus lux fuit admota.

op. cit. pag. 78. — Inter hymnos Saliares sunt etiam recensenda a x a m e n t a seu a s s a m e n t a, hoc est priva poëmata in Ianum, Iunonem et Minervam conscripta, de quibus disserit SCALIGER in C o n i e c t a n. ad V a r r. L. L. VI.

(1) V. apud POLENUM Supplem, antiq. rom.; TOB. GUTBERLETH, De Saliis, Martis sacerdotibus apud Romanos lib. sing. v. 685.

(2) V. DIONYS. HALIC., Antiq. rom., II, 70 et seqq. — PLUTARCH. in Numa Pompil., XIII. — VARRON., De ling. lat., VI, 1, 14, 45; VII, 2, 3, 26; IX, 60. — TULL., De orat., III, 51. — HORAT., Ep. II, 86. — QUINTIL., De instit. orat., I, 10. — MACROB., Saturn., I 12. — SERV. ad Aeneid., II, 186.

(3) FESTUS, De verborum significatione ad v. M o l u c r u m, M a n u o s, P e s c i a, S a l i a s v i r g i n e s. — PAUL. DIAC., Epit. Festi ad v. a x a m e n t a. — MACROB., Saturn., I, 15.

(4) De litteris, syllabis, pedibus et metris tractatus, cap. IV, v. 2497. — Cf. HERMANN, De metris, pag. 403 et seqq. — ATIL. FORTUNATIAN., De metris, cap. VIII, pag. 323. — LAMBIN. ad Horat., Ep. II, 1 157. — MAFFEI, Diplom., p. 177, et Art. crit., I, 1, 2, pag. 33. — MORCELL., De stilo inscript., vol. II, p. 185 et seqq., edit. 1820: — DÜNTZER et LERSCH, De versu quem vocant Saturnio. Bonnae 1838, in-8°. — EDÉLESTAND DU MÉRIL, *Poësies populaires latines*. Paris 1843, in-8°.

(5) Op. cit, (*Studio 9, della poesia ritmica presso gli antichi Romani, pag.* 388 *e seg..* — *Studio 12, Del verso Saturnio, d* 454 *e seg.*) Ibi gravissimis argumentis confirmat vir eruditissimus, in vetustioribus illis Romanorum carminibus, rhyth-

Haec breviter de vetustioribus monumentis, quae numeris essent adstricta; gradum facturus ad ea, quae soluta oratione fuerunt exarata, et primo quidem ad regiarum legum fragmenta (1), quae antea diffusae et dissipatae, postea vero a Caio quodam Papirio (2) in unum coactae, *iuris civilis Papiriani* nomine fuerunt donatae.

Ad regiarum legum aetatem pertinent etiam *Annales maximi*, qui memoriae publicae retinendae causa a pontificibus maximis perscribebantur (3), quique post urbem a Gallis captam, anno ferme trecentesimo, sexto et sexagesimo, incendio fuerunt absumpti (4).

Hactenus de latinae linguae monumentis, quamdiu Romani regibus paruerunt (5). Exactis autem regibus, translatoque ad consules imperio, Romani bella bellis serendo adversus Sabinos, Latinos, Hernicos, Volscos atque Aequos, rei militari potiusquam litteris intenti, per aliquod tempus humaniorem cultum neglexerunt.

mum potius quam metrum esse spectandum; ita ut ad aurium tantummodo mensuram exacta, similiter decurrentibus spatiis continerentur. Ex illis autem carminibus contendit, italicae poëseos primordia esse repetenda. Quum enim Itali recentiores rhythmicis versibus voces in fine addidissent similiter desinentes, illud italici carminis genus ortum est, cui nomen fecimus *verso rimato*.

(1) Regiae leges passim commemorantur a TULLIO in oratione pro Rabirio, V; in lib. de republ., II, 14; V, 2 - ab A. GELLIO IX, 8 - a SERVIO ad Aeneid., VI, 860; XII, 836 - a FESTO ad voc. p e l l i c e s - ab AUREL. VICTORE in Numa - ab AUGUSTINO, Civ. Dei, II, 16. Cf. BACH, Hist. iurisprud. rom-, I, 1. — SCHEIBNER, Excurs. ad Tacit., Ann., III, 26, sive de legibus rom. regiis. Erford. 1824, in-8°.

(2) Fuit Caius hic Papirius aequalis Tarquinii Superbi. V. POMPON., De orig. iuris, § 2 (Dig. I, 2).

(3) TULL., De orat., II, 12.

(4) LIV., Hist. rom., VI, 1. — Huc accedunt L i b r i p o n t i f i c u m v e l p o n t i f i c i i, L i b r i a u g u r a l e s (TULL., De nat. Deor., I, 30; de rep., II, 31), L i b r i m a g i s t r a t u u m (LIV. IV, 7; IX, 18), L i b r i l i n t e i (LIV. IV, 8, 13, 20 et 23; X, 38; PLIN., H. N., XIII, 21), ad quos adierunt vetustiores historici romani.

(5) TULL., De orat., I, 9.

Quare ab initio consularis imperii usque ad annum urbis trecentesimum secundum, quo decemviri fuerunt creati, nullum exstat litterarum romanarum monumentum.

Post creatos decemviros, primo sese nobis offerunt fragmenta legum xII Tabularum, quas amplissimis laudibus effert Tullius in libris de Oratore (1). Nimirum quum gravissima certamina inter Patres et plebeios perpetuo exardescerent, nec regiae leges ad quaslibet lites dirimendas, atque ad rem publicam rite administrandam iam satis esse viderentur, Romani de novis legibus ferendis tandem cogitarunt, quae ad aequandam civium libertatem pertinerent. Itaque ex senatusconsulto tres consulares (2) in Graeciam miserunt, qui Solonis leges describerent, et graecarum civitatum instituta, mores iuraque noscerent. Quum post triennium legati cum atticis legibus Romam rediissent, placuit creari decemviros, quibus cura novi iuris condendi mandaretur. Hi, adhibito in consilium Hermodoro quodam Ephesio (3), philosopho tunc forte in Italia exsulante, ius omne publicum privatumque in xII Tabulas digesserunt (4).

(1) Tull., De orat., I, 43 et 44.
(2) Missi legati Athenas Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus.
(3) Liv., III, 31 et seqq. — Plin., H. N., xxxiv, 5, testatur, Hermodoro huic Ephesio statuam in comitio publice positam fuisse, propterea quod decemviris leges Solonis esset interpretatus. Huic sententiae suffragatur Gratama (Oratio de Hermodoro Ephesio, vero xII Tab. auctore). Ann. acad. Groning. ann. 1816-1817, Groning. 1818, in-4°. — Cf. Haeckermann, Vindiciae antiqq. rom., fasc. I, De legislatione decemvirali. Gryphiae 1843, in-8°.
(4) Livianae huic narrationi de legatis romanis in Graeciam missis fidem detrahere conati sunt Vicus, Niebuhrus, Lelièvre, Commentat, de leg. xII Tab. Lovanii 1827. — Ex adverso huiusce veritatem tuentur Zimmern, Hugus, Seb. Ciampius, Novum examen loci liviani de legatis rom. Athenas miss. etc. Vilnae 1821. — Cosman, Disput. hist. iurid. de origine et fontibus leg. xII Tab. Amstelod 1829, in-8° — Gravert, De xII Tabul. fontibus atque argumento, Lingen 1836, in-4°. — Roulez, *Sur l'envoi d'une députation en Grèce lors de la législation des* xII *Tables*, Belge 1834.

Dolendum quidem, hoc corpus legum romanarum temporis iniuria intercidisse. Caeterum fragmenta quae hodieque supersunt, ex M. Tullii, Dionysii Halicarnassei, Livii, A. Gellii, aliorumque operibus collecta (1) abunde testantur, Romanos non solum sub regio et consulari imperio, sed et decemvirorum aetate, hoc est usque ad initium saeculi quarti, agresti et rudiori adhuc lingua usos fuisse.

Quam quidem linguae asperitatem nondum fuisse emollitam saeculo insequenti, apertissime ostendunt duo epitaphia (2), quae essent in Scipionum monumento extra portam Capenam; quorum unum eruditi referunt ad annum urbis quadringentesimum septuagesimum (3), alterum vero ad annum quingentesimum tertium (4). A quibus non est seiungenda inscriptio Columnae Rostra-

(1) V. IACOB. GOTHOFREDI, Quatuor fontes iuris civilis, lib. I. - Leges XII Tabular. suis fragmentis restitutae, illustratae a N. Funccio. Rinteln 1744, in-fol. — A. TERRASSON, *Hist. de la jurisprud. romaine*; 1750, in-fol. — BOUCHAUD, *Commentaire sur la loi des* XII *Tables;* vol. II in-4°, 1803. — T. P. BOULAGE, *Conclusions sur les lois des* XII *Tables;* 1 vol. in-8°, Troyes 1804. — L. VALERIANI. *Le leggi delle* XII *Tavole esaminate secondo i principii della politica*. Lucca 1820, in-8°. — Fragmenta XII Tabul., ed. CAR. ZELL. Friburgi 1825, in-4° — VALRAVEN ENGELEN, Specimen iurid. selecta sistens de Decemviris, eorumque legib. Groning. 1826, in-8°. — MACKELDEU, *Hist. des sources du droit romain traduite par M. Poncelet*; 1 vol. in-12°, Paris 1829. — CH. GIRAUD, *Éléments du droit romain par Heineccius, traduits, annotés, etc.* Paris 1835, in-8°. — BLONDEAU, *Institutes de Justinien, etc.* Paris 1839, in-8°

(2) Praeter hasce duas inscriptiones, Scipionum monumento insculptas, quinque aliae afferuntur a cl. viro EGGER (Lat. serm. vetust. reliquiae, pag. 129,, 134, 136.

(3) T. LIV., XXXVIII, 56. — IACOB. FACCIOL., Comment. de lingua lat. Patavii 1729, in-8°. — FR. PIRANESI, *Monumenti degli Scipioni*. Roma 1785, in-fol. — LANZI, *Saggi di lingua etrusca*, 1789, in-8°. — ORELL., Inscript, latin. n. 550, 551. — NIEBUHR, Hist. rom., I, pag. 362 et seqq, — VISCONTI, *Opere varie*, I, pag. 1 et seqq. — DUTENS, *Œuvres mélées;* 1784,

(4) V. SIRMOND. apud Graevium, Antiq. tom., IV. col. 1836. — FUNCCIUS, De orig. ling. lat., pag. 325. — ORELL, Inscr. lat. n. 552.

tae (1), quae, anno urbis conditae quadringentesimo, quarto et nonagesimo, Caio Duilio consuli posita fuit in foro, propterea quod primo punico bello maxima cum laude navalem victoriam de Carthaginiensibus retulisset. Nimirum insolita litterarum forma, discrepantium casuum nexus, et obsoletae illae voces, quae in hisce inscriptionibus occurrunt, puerilem latini sermonis aetatem produnt, qua grammaticae studio in urbem nondum invecto (2), una scribendi loquendique lex erat populi consuetudo.

Ex dictis iam illud conficitur, Romanos perpetuis bellis iactatos, usque ad annum urbis conditae quingentesimum decimum, quo primum punicum bellum fuit confectum, parum aut nihil ferme de litteris cogitasse. Hinc videlicet humanioris cultus initia apud Romanos sunt repetenda. Huius autem vestigia iam deprehendimus tum in senatusconsulto de Bacchanalibus, quod pertinet ad annum quingentesimum, septimum et sexagesimum (3), tum vero in romanis illius aevi scriptoribus, de quibus sumus dicturi.

(1) Ciaccon. apud Graevium, Antiq. rom., iv, pag. 310. — Lips., Antiq. lect., II, 14. — Ganges de Goze, De columna rostr. C. Duilii. Romae 1635. — Funcc., op. cit., pag. 297. — Lanzi, op. cit., I, p. 145 et seqq. — Le Clerc, *Des journaux chez les Romains*, pag. 79.

(2) V. huiusce libri caput. xII,

(3) Liv., xxxix, 8 et seqq. — Senatusconsulti de Bacchanalibus sive aeneae vetustae tabulae musaei Caesarei vindobonensis explicatio, auctore Matthaeo Aegyptio, Neapoli 1729, in-fol.. — Eadem apud Poleni Nova Supplementa utriusque thesauri antiquitatum romanar. et graec., tom. I, pag. 751. — Endlicher, *Catalogue des manuscrits de la bibliothèque de Vienne*, tom. I. Vienne 1836, in-4°. — Haubold, Antiq. rom. monum. leg. n. 3. — Grotefend, *Gross lateinische grammatik für Schulen*, tom. II, pag. 297 et seqq. — Egger, op. cit.. pag. 126 et seqq.

CAPVT III

DE POËSI DRAMATICA.

§ 4.

L. Livius Andronicus. — Cneus Naevius. — Quintus Ennius, aliique vetustiores comici et tragici poëtae, quorum opera desiderantur.

Ludos scenicos in urbem pestis induxit anno trecentesimo, primo et nonagesimo ad deorum iram placandam. Ex Hetruria vero primos histriones Romam accitos fuisse constat, qui saltantes ad tibicinis modos populum oblectarent (1). Hetruscos ludiones postea imitati sunt iuvenes romani in festis quibusdam solemnibus post messes, iocularia inter se inconditis versibus fundentes, quos *fescenninos* a Fescennia, Hetruriae oppido, dixerunt (2). Ex fescenninis hisce versibus, quibus romani iuvenes se invicem carperent, profluxit *satyra*, mordacis comoediae genus, quod varia argumenta complectebatur (3). Postquam vero ludi scenici paullatim in artem

(1) V. Tull., Brut., xviii; Tuscul. disput., I, 1. — Liv., vii, 2, — Valer. Max., Factor. dictor. memorab., ii, 4. — Tacit., Annal,, xiv; 21. — A. Gell., xvii, 21. — Voss., Instit. poët., ii., 2.

(2) Horat., Ep. ii, 1, 139-165. — Serv. ad Aeneid., vii, 695.

(3) De satyra consule Vossium, Inst. poët., iii, 9. — Casaubon., De satyrica Graecorum poësi, et Romanorum satyra. Parisiis 1605, in-8°. — Vulpium, de satyrae natura eiusque scriptoribus. Patavii 1744, in-8°. — Dacier, *Discours sur la satyre (vol. ii des mémoires de l'Acad. des inscript. et BB. LL.)*. — Koenig, De satyra romana eiusque auctoribus praecipuis. Oldenb. 1795, in-8°, — Cherbuliez, *Essai sur la satyre latine*. Genève 1829, in-8°. — Schöntal, De satyrae rom. indole, eiusdemque de ortu et occasu. Heilbronn 1844, in-4°. — Labitte, *La satyre, la comédie à Rome (Revue des deux mondes*, tom. xvi, pag. 548*)*.

verterunt, romana iuventus, aliarum fabularum actu histrionibus relicto, *atellanas* (1) tantum egit, ab Oscis acceptas, quas ab histrionibus pollui passa non est (2).

Omnium autem primus *L. Livius Andronicus*, genere graecus (3), Tarenti natus, et libertus M. Livii Salinatoris, relictis satyris, quae aliquot iam annos Romanorum studia tenuerant, comoedias et tragoedias (4) ex graeco in latinum sermonem versas (5) conscripsit, idemque in scena actitavit (6) iam inde ab anno urbis conditae quingentesimo quartodecimo, post Sophoclis et Euripidis mortem fere centesimo et sexagesimo.

Quinque post annos (7) Livii exemplum secutus *Cneus*

(1) Atellanae fabulae, sic dictae ab Atella Oscorum municipio, aliquam similitudinem babuisse videntur cum Graecorum dramate satyrico: unde exodia atellana dixerunt Romani quasdam fabulas, quae maioribus peractis succederent. Atellanae olim fiebant subito ab actoribus ipsis coram populo spectante. Omnium primus fortasse eas litteris consignavit L. POMPONIUS bononiensis, quem idcirco Velleius Paterculus (II, 9) atellanarum inventorem dicit. Huiusce Pomponii, qui fuit Syllae aequalis, octo et quinquaginta comoediae enumerantur, quarum extant fragmenta. In hanc rem vide librum EDUARDI MUNKII, qui inscribitur: De Lucio Pomponio bononiensi, atellanarum poëta, etc. Glagoviae 1826, in-8°. — De atellanis generatim vide Voss., Instit. poët., II, 35.

(2) TIT. LIV., loc. cit. — VALER. MAX., loc. cit.

(3) Graecam poëtae originem arguit nomen ipsum Ἀνδρόνικος, quod latine sonat virorum victor. — V. A. L. DÖLLEN, de vita L. Andronici disseret. Dorpati 1838, in-8°.

(4) Extant hi comoediarum tituli: Gladiolus-Lydius-Virgo. Tragoediarum vero huiusmodi: Achilles-Adonis-Aegisthus-Aiax-Andromeda-Antiopa-Centauri Equus troianus-Elena-Hermiona-Ino-Laodamia-Protesilaus-Tereus-Teucer. Harum reliquia vide apud REUVENS, Collectan. litter., pag. 30. — Inter fragmenta veterum poëtarum latin. Parisiis 1554, in-8° — apud DELRIUM, Syntagna tragoed. latin. Lutetiae Parisiorum 1618, p. 93 et seqq. - in Collect. veterum tragicorum cum notis Scriverii et Vossii: 1693, in-8° — BOTHE, Poëtae scenici Latinorum. Halberstad 1823, in-8° — DÜNTZER, L. Livii Andronici fragm., etc. Berolini 1835, in-8°, pag. 18.

(5) SVET., De illustr. grammat., 1.

(6) LIV., loc. cit.

(7) GELL., XVII, 21.

Naevius, natione Campanus (1), animum appulit ad tragoedias (2), comoedias (3) et satyram, quarum legimus fragmenta apud Gellium, Servium, Macrobium aliosque (4). Aiunt fuisse Naevium plenum facetiarum et mirae dicacitatis in scribendo (5): quumque acerrime inveheretur in principes civitatis, in vincula coniectus est (6), et tandem Roma pulsus Uticae obiit anno urbis conditae quingentesimo, nono et quadragesimo (7).

Sapientia (8) et poëtica facultate Livium et Naevium longe superavit *Quintus Ennius*, quem vulgo poëseos romanae parentem vocant, praesertim quod relicto Saturnio numero, versum heroicum aliaque Graecorum metra primus apud Romanos usurpavit (9). Natus est Rudiis

(1) Gell., I, 24. Klussmannus tamen Naevium Romae natum testatur. V. Cnei Naevii vita. Descrips. et edid. E. Klussman. Ien. 1843, in-8°.

(2) En tragoediarum titulos, quarum exstant apud grammaticos fragmenta: Alcestis - Danäe - Equus troianus - Hector - Hesiona - Iphigenia - Lycurgus Phoenissae - Protesilaus seu Laodamia.

(3) Comoediarum tituli hi sunt: Acontizomenos - Agido vel Agato - Agitatoria - Agryptiuntes Apella - Assitogiola - Carbonaria - Clastidium - Colax - Corollaria - Cosmetria - Dementes - Demetrius - Diobolaria - Erularia Figulus - Glaucoma - Gymnasticus - Hariolus Lampadio - Lupus - Nautae - Pacilius - Pellex philemporos - Proiectus - Pulli - Quadrigemini - Sanniones - Stalagmus - Stigmatias Tarentilla - Testicularia - Thermus - Triphallus - Tunicularia.

(4) Hermann, op. cit., § 30-37, pag. 638. — Bothe, Poëtae scenici Latinorum, tom. v, pag. 79 et seqq. — Egger, op. cit., xiv, pag. 123 et seqq.

(5) Tull., De orat., II, 63, 70.

(6) Plaut., Mil. glor., II, 2; 57.

(7) Tull., Brut., xv, — Hieronym. in Euseb. Chron.

(8) V. Horat.. Epist. II, 1, 50: Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus. Cf. Gell., xvII, 17, ubi noster laudatur, quod linguas tres, graecam, oscam et latinam apprime calleret.

(9) Hoc gloriatur Ennius ipse apud Tull. in Brut., xvIII, et in Orat., LI. — Cf. Lucret., De rerum nat., I, 188; Hier. Column. ad Ennii fragmenta. Amstelodami 1707, in-4°, adnot. Hessel, pag. 9 et 10.

in oppido Calabriae, anno post urbem conditam DXV (1) Adolescens meruit primum bello aetolico, postea vero in Sardinia, unde in urbem venit a Catone deductus (2). Septuagesimum annum natus, articulari morbo absumptus est, eiusque statua e marmore in sepulcro Scipionum fuit constituta (3).

Plurima scripsit Ennius (4), inter quae octo et viginti tragoediae, et comoediae quinque enumerantur (5). Hoc autem fere convenit inter viros elegantiores, qui de Ennianis operibus scripserunt, Rudium poëtam plus ingenio atque inveniendi facultate, quam arte valuisse (6). Quamquam vero Ennius dictus est ab Horatio (7) sermonem patrium ditasse; in universum tamen eius stilus horridior est, incomtaque lingua. Hinc acerrimo sane iudicio Quintilianus: Ennium, aiebat, sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia et antiqua robora non tantam habent speciem, quantam religionem (8).

(1) TULL., Orat. pro Arch. poëta, IX; Tusc. disp., I, 1; Brut., XVIII. — SIL., XII, 396.

(2) CORN. NEPOS in vita M. Porc. Catonis, I.

(3) TULL., loc. cit. — LIV., XXXVIII, 56. — PLIN. H. N., VII, 30, 31. — VALER. MAX., VIII, 14, 11. — OVID., Art. amat., III, 409.

(4) Ennius primus dicitur illius satyrae generis auctor. quam Lucilius subinde limatiorem fecit. Vide in hanc rem HORAT., Satyr. I, 10, 66. — DIOMED., III., 2, pag. 402 (ed. Putsch.).

(5) Tragoediarum tituli hi sunt: Achilles-Aristarchi-Aiax-Alcestis-Alcmaeon-Alexander Andromacha-Andromeda-Antiopes-Athamas-Cresphontes-Dulorestes-Erechtheus-Eumenides-Hectorislytra-Hecuba-Iliona-Iphigenia-Medea-Medus-Melanippa-Nemea-Neoptolemus-Phoenix-Scipio-Telamon-Telephus-Thyestes. Comoediarum vero: Ambracia-Asotus-Caprunctum-Celestis-Pancratiastes. Harum reliquiae leguntur apud H. BOTHE, Poëtae scenici latin., tom. V. Lipsiae 1842, in-8° — PLANK, Fragmenta Medeae. Gottingae 1867, in-4° — OSANNUM, Analecta crit. poësis rom. scenicae reliquas illustrantia. Berolini 1816, in-8°. — EGGER, op. cit., XX.. pag. 144 et seqq.

(6) HORAT., Ep. ad Pis., 259 et seqq. — OVID., Trist., II, 424, Amor., I, 15, 19.

(7) Ep, ad Pis.. 56 et seqq.

(8) De inst. orat., X, 1, 88.

Post Ennium suppari aetate floruerunt complures alii comici et tragici poëtae, quorum pauculae reliquiae ad nos pervenerunt. Horum agmen ducit *P. Licinius Tegula*, seu *Imbrex*, cuius *Neaeram* comoediam memorat Aulus Gellius (1). Hunc subsecuti sunt *M. Pacuvius* Brundusinus, et *L. Attius* Pisaurensis, tragoediae scriptores, clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Caeterum nitor, et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuebant veteres; Pacuvium videri doctiorem volebant, qui esse docti affectabant (2). Hic septemdecim tragoedias scripsit et duas comoedias, quarum nonnulla exstant fragmenta (3) et tituli (4); Attio autem tribuuntur tres et quinquaginta tragoediae (5).

(1) XIII, 21. — Cf. LIV., XXI, 12; unde patet, Licinium hunc poëtam carmen condidisse a ter novenis virginibus canendum.

(2) QUINTIL., op. cit., X, 1, 97. — Cf. HORAT., Ep. II, 1, 55 et seqq. — VELL. PATERC., II, 9. — De Pacuvio vide etiam TULL. De orat., I, 58; II, 37; De divinat., I, 57; II, 64; Brut., LXIII, LXIV; De finib., I, 2; VII. — De Attio OVID., Am., I, 15, 19.

(3) Apud TULL. De divin., I; 57; II, 61; De finib., V, 22; De nat. Deor., II, 36. — VARR., NON., FEST. aliosque. — V. ROB. et HENR. STEPH., Fragm. vet. poëtar. latin. Parisiis 1564, in-8°. — DELR. Syntagma trag. lat. Parisiis 1620, in-4°, SCRIVER., Collect. vet. tragic. Leydae 1610, in-4°. — FRID. H. BOTHE, poëtar. lat. scenic. fragm., tom. V, p. 98, 155. — Cf. STIEGLITZ, De Pacuv. Duloreste, Lipsiae 1826, in-8°. — NAEKE, Opuscula philolog., tom. I, p. 83-93. Bonn. 1842. — EGGER, op. cit., XXIV, p. 171-176.

(4) Tragoediarum hae sunt inscriptiones: Anchises - Antiopa - Armorum iudicium - Atalanta - Chryses - Dulorestes - Hermiona - Iliona - Medus vel Medea - Niptra - Paulus - Periboea - Pseudo - Tantalus - Tarentilla - Teucer - Thyestes. Comoediarum vero: Mercator - Tunicularia.

(5) Achilles - Aegisthus - Aeneadae seu Decius - Agamemnonidae - Alcestis - Alcmaeon Alphesiboea - Amphitruo - Andromacha - Andromeda - Antenoridae - Antigona - Argonautae

Longe infra Pacuvii et Attii laudem in tragoedia substiterunt *Atilius*, *C. Titius* et *C. Iulius*. Prioris enim *Electram* memorat Tullius (1), e Sophocle male conversam; in altero parum tragicas argutias notat (2); in tertio lenitatem sine nervis (3).

At nobiles ea tempestate inter comoediarum scriptores ferebantur *Quintus Caecilius Statius* (4) insuber, quem a gravitate laudat Horatius (5), *Q. Trabeas* (6), *Dossenus* (7); praeterea *L. Afranius* (8), *Vettius Ti-*

seu Medea - Armorum iudicium - Astyanax - Athamas - Atreus - Authomedia - Bacchae - Brutus - Chrysippus - Clytaemnestra - Deiphobus - Diomedes - Electra - Epigoni - Epinausimache - Erigona - Eriphyla - Eurysaces - Fidicinae - Hecuba - Hellenes - Iliona - Io seu Minotaurus - Menalippa seu Menalippus - Meleager - Myrmidones - Neoptolemus - Nyctegersia - Oenomaus - Paris - Pelopidae - Persidae - Philoctetes - Phoenissae - Prometheus - Stasiastae seu Tropaeum - Telephus - Tereus Thebais - Trachiniae - Troades. Harum fragmenta vide apud EGGER, op. cit., pag. XXVIII, 191-199.

(1) De finib., I, 2; Ep. ad Attic., XIV, — Cf. SVET. in Iul. Caesare, LXXXIV. VOLCAT. SEDIGIT. apud Gell., XV, 24. — VARRON, De ling. lat.. lib. IV et VI.

(2) Brut., XLV.

(3) Ibid., XLVIII.

(4) Huius poëtae memorantur praesertim duae comoediae, Plocium et Synephebi. — V. TULL., Brut., LXIV; Ep. ad Attic., VII, — QUINTIL., X, 1, 99. — A. GELL., II, 23. — Cf. SAGITTAR., Vita Stat. Caecilii., Altenb. 1672. in 8°. — Eius fragmenta leguntur apud TULL., De nat. deor., III, 39; Tuscul. disp., IV, 32. — A. GELL., II 23. — ALMELOVEEN, Fragm. comicor. Londini 1713, in-fol., t. III. — BOTHE, op. cit., t. V, pag. 125 et seqq. — SPENGEL, Caecil. Stat. deperd. fabular. fragm. Monach. 1829, in-4°.

(5) Ep. II, 1, 59.

(6) TULL., De finib., II, 4; Tuscul. disp., IV, 31. — A. GELL., XV, 24.

(7) HORAT., Ep., I, II, 172. — SENEC., Ep. LXX.

(8) TULL., Brut., LXV; De finib., I, 3. — HORAT., Ep.. II, 1, 57. — VELL. PAT., I, 17. — QUINTIL., I, 100.

tinius (1), *T. Quintius Atta* (2), *C. Aquilius* et *Turpilius*.

Poëtae comici et tragici, quos hactenus memoravi, si perpaucos excipias, fabulas docuerunt de Graecis sumtas ac versas; quod vel ipsae fabularum inscriptiones ostendunt. Hinc autem duplex apud Romanos tragoediae et comoediae genus. Nimirum tragoediae, quae graeco fonte manarent, *crepidatae* dictae sunt; quae vero in romano argumento versarentur *praetextatae* (3). Haud aliter comoediae vel *palliatae* vel *togatae* appellabantur, prout graecos vel romanos mores referrent (4).

Quamvis autem vetustiores illi poëtae romani ab ae-

(1) Huius reliquiae leguntur apud Non., Charis. Priscian. et Serv. En comoediarum titulos: Barbatus-Caecus-Ferentinas-Fullones-Gemina-Hortensius-Illecebra-Iurisperita-Proelia-Privigna-Psaltria-Quintus-Setina-Tibicina-Varus-Veliterna.

(2) Quintii Attae fabulae passim memorantur a grammaticis, quarum hae sunt inscriptiones: Aedilicia-Aquaecaldae-Conciliatrix-Epigrammata-Lucubratio-Matertera-Megalensia seu Megarensia-Socrus Supplicatio-Tyro proficiscens.— V. Horat., Ep. II, 1, 79. — A Gell., VII, 9.

(3) Tragoediae crepidatae a crepidis dictae fuerunt, quibus actores in graeca tragoedia utebantur. Constat autem, hunc crepidarum usum a Sophocle esse repetendum. Praetextatae vero nomen duxerunt a toga praetexta, quam romani magistratus et principes viri usurpabant. Vide in hanc rem Diomedem grammaticum et Reuvens, Collect. litter., cap. IV, sect. I, § 2.

(4) Palliatae et togatae commoediae nomen fecerunt pallium et toga. Vide Reuvens, loc. cit., § 2. — In togatis excelluit praesertim Afranius. V. Orat., Ep. II, 1 57. — Vell. Paterc., II, 9. — Togatae vero distinguebantur in trabeatas, tabernarias, motorias etc. — Hic haud abs re erit notare, Romanos, praeter tragoediam et comoediam, habuisse etiam mimos, qui ad comoediam propius accederent, hoc praesertim discrimine, quod in comoedia hominum vitia a pluribus personis perstringebantur, in mimis ab una tantum persona. Quemadmodum vero mimi prò diverso argumenti genere alia etiam donarentur appellatione, Vide apud Reuvens, loc. cit., § 5 et 6. — Idem in sect. III agit de fabula Rhintonica, cuius auctor fertur Rhinton tarentinus.

qualibus laudentur; in universum tamen constat, graecarum fabularum interpretationem tam parum feliciter eis cessisse, ut Quintiliano (1) sermo ipse patrius nativum illud atque elegans Atticorum genus recipere non videretur. Neque id mirum, qua tempestate Romanorum ingenium ab omni graeco lepore abesset quam longissime, et scena Romae primum per Etruscos homines osce (2) peragi coepta, aliquid etiam priscae severitatis retineret (3). Caeterum horum praesertim poëtarum opera factum est, ut Romani asperitatem paullatim exuerent, eorumque litterae exeunte saeculo sexto (4) post urbem conditam sese aliquantulum erigerent. Exinde spes tandem coepit illucescere, futurum ut romana gens aliquando ad Graecorum gloriam in litteris adsurgeret.

§ 2.

M. Attius Plautus.

Hactenus de antiquioribus poëtis scenicis, quorum opera nobis tempus invidit. Venio nunc ad illos, qui ex communi naufragio enatarunt, et doctorum manibus etiamnum teruntur. Horum princeps, si temporis rationem habeamus, est *M. Attius Plautus*, qui Sarsinae natus in Umbria anno urbis conditae DXXVII, vix tertium et quadragesimum aetatis annum ingressus decessit (5). Hic quum admodum adolescens ad comoedias scribendas

(1) De inst. orat., x, 1, 100.

(2) STRABO, I, V. — Cf. TURNEBI Adversaria, I, XII, c. postr.: Osci ludi et fabulae oscae et mimi lingua romana non fiebant, Romanis tamen intellecta. Etsi enim ea gens deleta erat, tamen etiamnum vigebat sermo, et comoediae agebantur Romae osca lingua.

(3) BOUCHERON., praef. ad comoed. Terent. August. Taurin. MDCCCXXV.

(4) Sub idem tempus, hoc est anno DLXX, qui fuit alter post Ennii obitum, prima bibliotheca in urbe Roma publice patuit. V. REUSCH., Dissert. de biblioth. roman.

(5) TULL., Brut, XV.

animum appulisset, mox divitiarum studio ductus ad mercaturam se contulit. Sed adversa usus fortuna, pauper Romam rediit, ibique, ut quotidianum sibi victum pararet, ad circumagendas molas manuarias seu trusatiles, quas vocabant, pistori operam suam locare coactus fuit. Quumque molam in pistrino versaret, horis subsecivis, quibus ab eo labore otium erat, ad intermissum comici poëtae officium dicitur sese revocasse (1).

De numero fabularum, quas Plautus exaravit, mirum quantum dissentiant critici inter se. Alii enim unam et viginti enumerant, alii quinque et viginti, pars quinque et triginta, vel quadraginta; nec desunt qui centenas et triginta (2). Quum autem in tanta opinionum discrepantia nihil omnino certi possimus affirmare, satis sit dicere, aetate nostra viginti superesse fabulas, quae omnium consensu a Plauti ingenio profectae fuisse creduntur. In singulis enim eadem ratio apparet. Harum vero tituli sunt: *Amphitruo*, *Asinaria*, *Aulularia*, *Bacchides*, , *Captivi*, *Casina*, *Cistellaria*, *Curculio*, *Epidicus*, *Menaechmi*, *Mercator*, *Miles gloriosus*, *Mostellaria*, *Persa*, *Poenulus*, *Pseudolus*, *Rudens*, *Stichus*, *Trinumus*, *Truculentus* (3).

Festivissimi ingenii vir fuit Plautus, et totius latinae comoediae parens iure a doctissimis semper habitus est. Quamquam vero pleraque comoediarum argumenta graeco fonte derivavit; ita tamen Philemonem, Diphilum, Apol-

(1) A. GELL., III, 3. — De vita, obitu et scriptis M. Attii Plauti dissertationem edidit I. PHIL. PAREUS in sua Plautina fabularum editione. Francof. 1641, in-8°. — Vide etiam GASP. SAGITTAR., De vitis Plauti, Terentii etc. Altenb. 1671, in-8°. — ROQUEFORT, *Dissertation sur Plaute et ses ouvrages, dans le Magasin Encyclopédique de Millin*, 1815, tom. V.

(2) A. GELL., loc. cit.

(3) Praeter viginti hasce fabulas nonnulla exstant deperditarum fragmenta apud Georgium Fabricium, Taubmannum, Phil. Pareum; et memoria nostra FRID. OSANN. scripsit Analecta critica, poësis Romanorum scenicae reliquias illustrantia, ubi leguntur Plauti fragmenta ab Ang. Maio in cod. Ambros. reperta. Berolini 1816, in 8°.

lodorum, Epicharmum aliosque est imitatus, ut ab eorum vestigiis pro opportunitate recederet. Quod sane Umbro poëtae haud difficile fuit, qui singulari excogitandi vi atque acumine esset donatus. In fabularum oeconomia, praesertim vero in nodi solutione interdum claudicat noster; at spectatores dialogi lepore, et subitariis quibusdam casibus afficit, quos coniectura nondum prospexerant. Praeterea hominum ingenia et mores graphice depingit, omniaque venustissimis iocis adspergit (1).

Ad illius dictionem quod attinet, adeo pura et elegans visa est, ut Marcus Varro scribere non dubitaverit, Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si latine loqui voluissent (2). Quamvis autem eae locutiones apud Sarsinatem nostrum identidem occurrant, quas ἀρχαϊσμοὺς Graeci appellant (3); nativus tamen ille sermonis candor in eius fabulis elucet, quem alibi nequicquam quaeras.

Nec facit quod Horatius (4) plautinos numeros et sales improbaverit. Horatiana haec reprehensio aetati magis consentanea dicenda est quam vera. Quum enim tunc temporis, per otia pacis, graeca elegantia animadverti coepta fuisset, mirum quantum immutati civitatis mores in linguam influxerint. Quum autem quidpiam summe expolitum in poëtis requireretur, quod recentioris aetatis cultum referret, Plautinae comoediae in calumniam inciderunt.

§ 3.

Publius Terentius.

Quemadmodum vi comica et sermonis festivitate excellit Plautus; sic arte potissimum laudatur (5) *Publius*

(1) TULL., De offic., I, 29. — GELL., I. cit. — MACROB., Saturn., II, 1.
(2) QUINTIL., De inst. orat., X, 1, 99.
(3) V. HENR. STEPHANI de Plauti latinitate dissertationem, quam subtexuit libello: De latinitate falso suspecta. Parisiis 1578, in-8°. — Cf. TORNEROS, Diss. de ingenio sermonis Plautini. Upsal 1833, in-4°.
(4) Ep. ad Pis., 270 et seqq.
(5) HORAT., Ep. II, 1, 59.

Terentius, qui Carthagine ortus anno urbis ferme quingentesimo, secundo et sexagesimo, variis belli casibus Romam fuit delatus. Ibi servitutem serviit Terentio Lucano senatori, qui, cognito illius ingenio, artibus liberalibus erudiendum curavit, et mox manumisit (1). Vita usus est admodum brevi. Namque vix quinque et triginta annos natus, quum in Arcadiam se contulisset, Graecorum mores inspecturus, nunquam postea est visus. De ipsius morte alii alia per coniecturam scripserunt (2). Caeterum quamdiu Romae vixit, familiarissime utebatur Scipione Africano et Caio Laelio. Unde factum est, ut nonnulli existimarent, ipsum in comoediis condendis ab hisce doctissimis viris adiutum fuisse (3). Hanc vero suspicionem fovit exquisita Terentiani sermonis elegantia, quam hominem, natione afrum, vix consequi posse putabant Romani.

Terentii comoediae sex adhuc supersunt: *Andria* videlicet, *Eunuchus, Heautontimorumenos, Adelphi, Hecyra, Phormio*. Harum quidem argumenta ex Menandro et Apollodoro noster expressit; nodum tamen atque οἰκονομίαν quam vocant, sic immutavit, ut e penu suo depromptae videantur (4).

In describendis hominum studiis plane singularis dicendus est Terentius. In eius fabulis maxima urbanitas praesertim spectatur, mira orationis venustas et mundities (5), dialogus artificio quodam et varietate distin-

(1) De Terentii patria et conditione docte disseruerunt S. Bettius *(tom.* CXLV *del Giorn. Arcad.)* et C. Cavedonius *(tom.* I *degli Opusc. relig. letter. stampati in Modena)*.

(2) SVET. in vita P. Terentii. — Cf. QUINT., Decl., IX, 20.

(3) TULL., Ep. ad Attic., VII, 3. — QUINTIL., De instit. orat., X, 1, 99. — Cf. prologum Terentianae comoediae, quae inscribitur Adelphi.

(4) V. I. KÖNIGHOFF, De ratione quam Terentius in fabulis graecis latine convertendis secutus est. Comment. Colon. 1843, in-4°.

(5) V. apud SVET. (Vita P. Terentii, V.) carmina de Terentio, quae vulgo C. Caesari tribuuntur. — VELL. PATERC., I, 17. — IUL. SCALIG., Poët., III, 97.

ctus, acerrimum iudicium, plenissima communis naturae cognitio. Siqua vero in Terentianis comoediis culpantur, ea temporibus potius quam poëtae vitio tribuenda, qui veterum mores et instituta diligenter effinxit (1).

CAPVT IV.

DE POESI EPICA.

L. Livius Andronicus. - Cn. Naevius. - Q. Ennius.

Livius ille *Andronicus*, quem primum diximus Romae fabulas docuisse, Odysseam quoque latinam condidit (2), quam ex Homero videtur interpretatus. Huius reliquias ex veteribus grammaticis collegit, et cum locis Homericis, unde profectae sunt, diligenter contulit Hermannus, vir doctissimus (3). In his autem, non secus atque in fabularum fragmentis, horridus ille occurrit et illepidus sermo iam ab Horatio notatus (4); quo factum est, ut Cicero (5) Livianam Odysseam cum rudi aliquo Daedali opere compararet.

At omnium primi res romanas epicis versibus cecinerunt *Cneus Naevius* et *Q. Ennius*. Ille enim carmen historicum (6) luculente quidem, ex Tullii sententia (7),

(1) V. I. H. Hubmann, De comoedia graeca et rom., item de Terentii comoediis. Amberg. 1839, in-8°. — Caussas nonnullas neglectae apud Romanos comoediae Graecorum vet. et med. ex ipsa civitatis romanae forma eruere conatus est Bugge. Christian. 1823. — L. Vaucher, *Dissert., sur la comédie latine*, 1829, in-8°.

(2) Heroici huiusce carminis mentio occurrit apud Gell., III, 16; VII, 7; XVIII, 9. — Priscian., VI, 4, 8; VII, 6, 8; VIII, 11; IX, 6. — Praeterea passim apud Non., Fest., Diomed. aliosque veteres grammaticos. — V. Egger., op. cit., pag. 116.

(3) Elementa doctr. metr., III, 9, § 11-29, pag. 617-628.

(4) Ep. II, 1, 69-75.

(5) Brut., XVIII,

(6) Naevii librorum de bello punico fragmenta edidit E. Spangenberg. Lipsiae 1825, in 8°.

(7) Brut., XIX.

sed minus polite exaravit de primo punico bello, in quo stipendia fecerat. Hic vero praeter poëma de bello punico secundo, quod digessit versibus trochaicis, cuique *Scipioni* nomen fecit, annalium libros XVIII panxit carmine heroico (1), in quibus Romanorum historiam ab antiquissimis temporibus ad aetatem suam ita est persecutus (2), ut ingenio quidem nobilis, sed arte carens poëta merito dictus sit.

CAPVT V.

DE POESI DIDACTICA.

T. Lucretius Carus.

Per haec ferme tempora ad poësin didacticam, quam Ennius primum apud Romanos excogitaverat, animum adiunxit *T. Lucretius Carus*, natus ex familia equestri romana, anno urbis conditae DCLIX. Huic, florenti adhuc aetate, memoriae proditum est, amatorium poculum ab uxore aut Lucilla amica fuisse propinatum, quo in furorem actus semetipsum interfecit, quum annum aetatis ageret quartum et quadragesimum.

Epicureae doctrinae sectator Lucretius, hanc poëmate suo complexus est *De rerum natura*, quod sex libris continetur, carmine heroico exaratis. In quorum primo et secundo docet quae et qualia sint rerum primordia, qui-

(1) De Ennii operibus vide QUINTIL., De inst. orat., X, 1, 88.

(2) De huiusce operis argumento vide PROPERT., Eleg. III, 3, 5 et seqq. — Cf. TULL., Tuscul. disput. I, 15. — Ennii fragmenta, quae passim leguntur apud Varronem, Tullium, A. Gellium aliosque, vide apud Hieron. Columnam. Neapoli 1590, in 4°. — Eadem curante P. Merula. Lugduni Batav. 1595, in-4°. — Hoeb, de Ennianorum annalium fragmentis a P. Merula auctis. Bonn. 1839, in-8°. — Amstelodami, adnotante Hessei, 1707, in-4°. — Opera et studio E. Spangenberg. Lipsiae 1825, in-8°, — EGGER, op. cit., pag. XX, 137 et seqq. — In fragmenta Liv. Andronici, Q. Ennii, Cn. Naevii, M. Pacuvii, L. Attii vide castigationes et notas G. Ioann. Vossii. Amstelodami 1699, in-fol.

bus figuris distincta, quo motu ferantur, et quonam modo caetera procreent. In tertio animae naturam fusius explicat; in quarto agit de imaginibus, quibus homines tum vigilantes, tum dormientes affici consueverunt. In quinto totus est ut confirmet, solem, terram, mare, hanc denique mundi compagem, neque ab aeterno fuisse, neque aeternum duraturam; in sexto demum diligentissime veterum opiniones persecutus de meteoris, deorum providentiam totis viribus oppugnat; tum vero quaedam disputat de morbis et peste; et poëma suum claudit eleganti pestilitatis illius descriptione, quae, exardescente bello peloponnesiaco, Athenas vastavit.

Lucretianum carmen elegans est (1), non multis ingenii luminibus distinctum, sed multa quidem arte expolitum (2). Quamquam vero obsoletis verbis abundat, non parum tamen ipsius lectio confert ad linguae latinae ubertatem ac proprietatem (3). Huic iudicio suffragatur acutissimus ille harum elegantiarum arbiter Carolus Boucheronus, quum ait: Lucretium, interioris doctrinae poëtam, cum esse, ut qui semel adamarunt, nunquam fere e manibus dimittant, ob reconditos sensus et antiquitatis effigiem, quam in asperiore adhuc lingua, necdum emollitis numeris, retinuit (4).

Ne cui vero mirum sit, Lucretianum opus paucioribus, quam reliqua Romanorum carmina, altioris poëseos luminibus nitere. Hoc enim non tam scriptoris ingenio, quam ipsi rei naturae est tribuendum, quam noster tractandam suscepit. Siquidem vel ingeniosissimo viro vix licebit locos, ex intima quaestionum naturalium subtilitate petitos, poëticis amoenitatibus exornare. Ad haec quum doctrina

(1) QUINTIL., X, 1, 87.

(2) TULL., Ep. ad Quintum fratrem, II, 11. Cf. OVID., Amor., I, 15, 23.

(3) V. EICHSTAD, De T. Lucretii vita et carmine (in Lucret. edit. Vol. I). — A. G. REIN, Disputat. de studiis humanitatis. Gerae 1831, in-4°. — VILLEMAIN, *Du poëme de Lucrèce*, Mélanges, tom. II, pag. 250 (ed. IV Bruxell.).

(4) In praefat. ad Lucret., edit. Taurin., an. MDCCCXXXI.

epicurea, quam Lucretius profitetur, deorum providentiam atque animorum immortalitatem respuat, ac propterea nunquam adsurgat ad ea, quae sub sensus non cadunt, sublimes illos spiritus exstinguit, qui orationem attollunt. Ex quo iam patet, quanto platonica doctrina, et christiana sapientia ad poësin excolendam magis conferant, quam illa philosophorum placita, quae potiusquam mortalium mentem ad coelum erigant, humi defigere consueverunt.

CAPVT VI.

DE SATYRA.

Caius Lucilius.

Rudioris aetatis notam non minus quam scenici atque epici poëtae praeseferunt *Caii Lucilii* satyrae, quem aiunt Suessae ortum fuisse in oppido Campaniae, ineunte saeculo septimo (1). Hic primus insignem laudem est adeptus in eo satyrae genere (2), quam Ennius et Pacuvius invexerant, quaeque postea summam expolitionem accepit ab Horatio, Persio et Iuvenale. Sed quum triginta satyrarum libri, quos versu hexametro condidit Lucilius, praeter perpaucas reliquias (3), nunc plane desiderentur, veterum iudicio nobis est acquiescendum.

(1) De Luciniana aetate mirum quantum dissentiant critici inter se. Vide in hanc rem HORAT., Satyr. II, 1, 32 — VELL. PATERC., II, 9. — Cf. BAYLE, *Dict. hist.*. art. *Lucilius*. — VARGES, Specimen quaestionum Lucilianarum in Reinisches museum; 1835, p. 42 et seq.

(2) QUINTIL., De inst. orat., x, 1, 93, 94. — Inter Ennianam et Lucilianam satyram hoc interest, quod illa, uti ait Diomedes (III, pag 482), variis poëmatis constaret, haec autem versu hexametro esset conscripta (V. cap. III).

(3) V. DOUSA, Fragm. vett. poëtar. latin. Lugduni Batav. 1597, in-4°. — Cura Antonii Vulpii; 1735, in-8°. — Apud Havverkampium in editione Censorini; 1743, in-8°. — Cum Persio et Iuvenale; Bipont. 1785, in-8°. — In Persii editione; Parisiis 1812. — REUVENS in Collectaneis litterariis; Lugd. Batav. 1815.

Quamquam vero in contrarias sententias abeunt (1); inde tamen hoc videtur colligi posse, in Lucilio ingenium atque urbanos sales fuisse laudandos, quibus homines perstringeret; duriusculos autem atque impolitos versus, et caetera vitia, quae in eo notabantur, ex doctrinae defectu et quadam negligentia manasse, qua ille in scribendo uteretur. Cuius rei caussam affert Tullius (2), quum ait, non tam doctos tunc fuisse Romanos, ad quorum iudicium Lucilius elaboraret.

CAPVT VII.

DE HISTORIA.

Q. Fabius Pictor. — L. Cincius Alimentus. — M. Porcius Cato, aliique rerum gestarum narratores.

A scriptoribus, qui primum apud Romanos poësin tractarunt, iam venimus ad illos, qui soluta oratione usi, suo quodam iure nomen historicorum (3) sibi vindicare videntur. Horum princeps memoratur *Q. Fabius Pictor*, quem T. Livius scriptorum antiquissimum vocat (4). Hic circa tempora belli punici secundi libros quinque annalium (5) dicitur exarasse, et rerum naturalium libros xvi, qui temporis iniuria exciderunt. Eadem ferme tempestate Hannibalis historiam aliaque complura,

(1) Tull., De orat., II, 6; de finib., I, 3; ep. ad Attic., XII, 5, de orat., I, 6. — Horat., Satyr., I, 4, 1-13; Satyr. I, 10, 1 et seqq. — Quintil., x, 1, 93, 94.

(2) De finib., I, 3.

(3) Iam Naevius atque Ennius, de quibus supra memoravimus, annales condiderant numeris adstricta oratione.

(4) Lib. I; 44. — Passim a Livio memoratur. Vide lib. I; 55; II, 40; VIII, 30; x, 37, xx, 7. Cf. E. Baumgart., De Q. Fabio Pictore, antiquiss. rom. hist. P. I. Vratislav. 1842, in-8°.

(5) Horum reliquiae exstant in libro Ant. Riccoboni de historia, cum fragmentis historicorum veter. latin. Basileae 1579, in-8°. — Item in fragmentis historicorum ab Aus. Popma collectis atque illustr. Amstelod. 1620, in-8°.

quae nunc desiderantur (1), scripsit *L. Cincius Alimentus,* qui a T. Livio laudatur tamquam diligens auctor (2) veterum monumentorum.

Sed omnibus huiusce aetatis historicis longe excelluit *M. Porcius Cato* Censorius, a quo primum aliquod artis criticae lumen romanae historiae fuit admotum. Celeberrimus hic vir, ortus municipio tusculo, anno urbis conditae DXX, obiit octogenario maior ineunte bello punico tertio, quod ipse persuaserat. In omnibus rebus singulari fuit prudentia et industria. Nam et agricola solers, et reipublicae peritus, et iurisconsultus, et magnus imperator, et probabilis orator, et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat; tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facile reperire possis neque de graecis, neque de italicis rebus quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex scribere historias instituit, quarum fuere libri septem. Primus continebat res gestas populi romani: secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit italica; ob quam rem omnes libros *Origines* videtur appellasse; in quarto autem bellum punicum primum; in quinto secundum. Reliqua bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Ser. Galbae, qui diripuit Lusitanos (3). Scripsit praeterea librum de re militari (4), narrationem de expeditione hispanica, apophthegmata, seu dicta memorabilia (5), et carmen *De moribus* (6).

(1) Praeter Hannibalis historiam graeco sermone exaratam, uti narrat Dionysius Halicarn. lib. I, scripsit latine historiam de Gorgia Leontino, librum de fastis, de comitiis, de consulum potestate, de officio iurisconsulti, mystagogicon libros duos, librum unum de verbis priscis, denique libros sex de re militari.

(2) Lib. VII, 3. — Cf. lib. XXI, 38.

(3) CORN. NEPOS in vita Catonis, III. — LACKMANN, De fontib., Liv. I, § 23, p. 42; II, § 9, p. 17. — HEEREN, De fontib. Plutarchi, p. 126.

(4) V. PLIN. in praefat. hist. nat.

(5) TULL., De offic., I, 29.

(6) Huiusce carminis, quod rhytmo potius quam metro constabat, fragmentum exstat apud A. GELL. N. A., XI, 2
Avaritia' — omnia vitia — habere putabant:

Haec autem omnia, praeter nonnulla fragmenta (1), nunc desiderantur. Quare ubi velimus de iisdem iudicium proferre, ad veteres tantummodo est adeundum, qui ea legere. Ex his Tullium potissimum audiamus, cuius haec sunt verba: Catonem quis nostrorum oratorum, qui quidem nunc sunt, legit? aut quis novit omnino?... Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in docendo edisserendoque subtilior? Refertae sunt orationes amplius centum quinquaginta (quas quidem adhuc invenerim et legerim) et verbis et rebus illustribus. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint, omnes oratoriae virtutes in eis reperientur. Iamvero *Origines* eius quem florem, aut quod lumen eloquentiae non habent?... Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quas appellant τρόπους, et sententiarum orationisque formis, quas vocant σχήματα. Non verisimile est, quam sit in utroque genere creber et distinctus Cato (2)... Intelliges, nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse (3).

Sumptuosus, cupidus — elegans, vitiosus,
Irritus qui habebatur — is laudabatur.

(1) Catoniana, sive M. Catonis quae supersunt fragmenta, nunc primum seorsum auctius edidit H.A. Lion. Gottingae 1826, in-8°. — Fragmenta oratorum romanorum ab Appio inde Caeco et M. Porcio Catone usque ad Q. Aurelium Symmachum collegit atque illustravit H. Meyer. Turici 1832, in-8°. — Parisiis 1837. — Turici 1842. — Cf. Wilms, M. P. Catonis Cens. vita et fragm. Dortmund. 1839-43, in-4°.

(2) In Brut., xvii.

(3) Ibid., lxxxvii. — Catonem passim laudat Tullius, praesertim vero in libro De senectute, De orat., iii, 33. — Cf. Plutarch. in vita Caton., Liv. xxxix, 40; Plin. H. N., vii 27; Valer. Max. aliosque. Inter recentiores autem iuvabit adire G. C. Brillenburg., Dissert. litter. in M. Porc. Catonis quae supersunt scripta et fragmenta. Utrecht 1816, in-8°. — Ellendt, Hist. eloquentiae roman., § xiii. Koenisberg 1825, in-8°. — G. E. Weber, Commentatio de M. Porc. Catonis Censorii vita et moribus. Brême 1831. — A. Krause, Vitae et frag. vett. historicor. roman. Berolini 1833, in-8°, p. 89-125.

Extremis Catonis temporibus editi fuerunt Romae annales *L. Scribonii Libonis*, *Auli Postumii Albini*, qui consul fuit paullo ante bellum punicum tertium, atque haud ita multo post *L. Calpurnii* et *C. Calpurnii Pisonum*.

Hos subsecuti sunt L. *Cassius Hemina*, qui libros quatuor annalium conscripsit; tum *C. Fabius Maximus Servilianus*, *Caius Fannius*, *C. Sempronius Tuditanus* et *L. Coelius Antipater*, quorum opera historica passim a veteribus memorantur.

Ad eandem ferme aetatem pertinent *Sempronius Asellio*, *Clodius Licinius*, *Cn. et Sext. Gellii*, *Iunius Gracchanus*, *P. Rutilius Rufus*, *Q. Lutatius Catulus*, *L. Cornelius Sylla*, *L. Ottacilius Pilutus*, *Manilius Senator*, *L. Cornelius Sisenna*, *Q. Claudius Quadrigarius* (1), *Acilianus*, *Q. Valerius Antias*, *C. Licinius Macer*, *Pompilius Andronicus*, aliique nonnulli, quorum libri interciderunt.

Verum si *Antipatrum* excipias, quem constat maiorem vocis sonum historiae addidisse, et *L. Sisennam*, qui dicitur a Tullio (2) superiores omnes historicos facile superasse, caeteri quos hactenus enumeravimus, sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt; et dum intelligeretur quid dicerent, unam dicendi laudem putabant esse brevitatem (3). Quamquam vero alius alio plus habet virium; attamen non exornatores rerum, sed tantummodo narratores dicendi sunt (4).

(1) Q. Claudii Quadrigarii reliquiae exstant apud A. Gelium. lib. II, 1; III, 8; IX, 1; XV, 1.

(2) De legib., I, 2.

(3) Quanta fides historiae romanae vetustioris huiusce aetatis sit adiungenda, fusius disseruerunt POULLY et SALLIER. *Mém. de l'Acad. des Inscr.*, VI, p. 14; VIII, p. 64; L. DE BEAUFORT, *Sur l'incertitude des cinq. prem. siécl. de l'hist. rom.;* Utrecht 1738; BECK, Epicrisis quaestionis de hist. rom. antiq. fontibus et veritate; 1812, in-4°; NIEBUHR, *Stor. rom.*, tom. I.

(4) TULL., De orat., II, 12; De legib., loc. cit.; in Brut. passim. — Vide KRAUSE, Vitae et fragm. veterum historicorum romanor. Berolini 1833, in-8°.

CAPVT VIII.

DE ELOQUENTIA.

Quum Romae, post exactos reges, omnia quae ad rempublicam pertinebant populi arbitrio regerentur, mature eloquentia excoli debuit, cuius est populi voluntates impellere quo velit, unde autem velit deducere. Hinc factum est, ut, quamdiu populare imperium Romae stetit, nemo ferme fuerit acutioris ingenii vir, quin summo studio ad eloquentiam niteretur. Sed, uti pleraque mortalium habentur, exiguis etiam initiis profecta romana eloquentia est; ut primo satis videretur, siquis naturali quadam dicendi vi esset instructus, nulla doctrinae habita ratione (1).

Romanae eloquentiae historiam nobis exhibet Tullius in libro, qui inscribitur *Brutus* (2), ubi enumeratis breviter graecis oratoribus, ad romanos accedit (3). *Marcum* vero *Cornelium Cethegum* primum memorat, de quo sit memoriae proditum fuisse eloquentem (4); tum *M. Catonem* Censorium, cuius orationes cum Lysianis comparat (5). Post hunc complures recenset, qui cum eo grandiores natu vixerunt (6); in quibus *Scipionem Africanum* eiusque filium. Deinde minores aetate *C. Sulpicium Gallum*, *L. Cottam*, *L. Paulum Macedonicum*, praesertim vero *C. Laelium*, *P. Africanum* iuniorem et *Serv. Sulpicium Galbam* (7), quos doctos atque eloquentes in

(1) TULL., Tusc. disput., I, 3.
(2) Cf. SVET., De clar. rhet. — Dialog. de causs. corrupt. eloq. — FR. ELLENDT, Succincta eloq. rom. hist. in edit. Brut. Tull.
(3) Brut., XIV.
(4) Ibid., XV.
(5) Cf. E. SCHOBER, Diss. de M. Porc. Catone Censor. oratore. Neiss. 1825, in-4°.
(6) Brut., XX.
(7) Ibid., XXI. — Cf. Tuscul. disput., I, 3. — De orat., III, 7. — De offic., I, 33.

primis appellat. Huius tamen orationes queritur fuisse exiliores, et redolentes magis antiquitatem, quam aut Laelii aut Scipionis (1).

At superioribus eloquentia praestiterunt *M. Aemilius Lepidus*, cognomento *Porcina, C. Carbo, Tiberius* et *Caius Gracchi*. Et in Lepido quidem Graecorum lenitatem et verborum comprehensionem et artificem stylum laudat Tullius (2); Carbonem et Tib. Gracchum in summis oratoribus habitos fuisse testatur, eorumque orationes memorat nondum satis splendidas verbis, sed acutas prudentiaeque plenissimas (3); Caium denique oratorem dicere non dubitavit grandem verbis, sapientem sententiis, genere toto gravem, et iuventuti praesertim legendum, propterea quod non solum acuere, sed etiam alere ingenium posset (4).

Hos autem aliosque passim memoratos in Bruto (5) aetate consecuti sunt *M. Antonius* (6) et *L. Licinius Crassus* (7), quorum uterque propter egregiam dicendi facultatem una cum Sulpicio, Scaevola, Catulo et Cotta loquens inducitur a Tullio in libris *De Oratore*.

Eiusdem ferme aetatis fuit *C. Tittius* eques romanus, qui, teste Cicerone (8), eo pervenisse videtur, quo potuit fere latinus orator sine graecis litteris et sine multo usu pervenire. Huius orationes tantum argutiarum, tantum exemplorum, tantum urbanitatis habent, ut pene attico stylo scriptae esse videantur.

Denique ut nonnullos omittamus, quorum mentionem iniicit Tullius (9), duobus illis summis Crasso et An-

(1) Brut., ibid.
(2) Ibid., XXV; Tuscul. disput., I, 3.
(3) Ibid., XXVII; Tuscul. disput., loc. cit.
(4) Brut., XXXIII.
(5) Cap. XV, XVI, XVIII, XXXIII.
(6) De Antonio vide in Brut., XXXVII, et XXXVIII; De orat., II, 1; III, 3.
(7) Crassi laudes vide in Brut., XXXVIII et XLIV. — Cf. De offic., I, 30, 37; II, 18; De orat., I, 56.
(8) Brut., XLV.
(9) Ibid., XLVI.

tonio proximi accesserunt *L. Philippus*, satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis (1); et *Iulius Caesar Strabo*, quo nemo unquam fuerat urbanitate. lepore et suavitate conditior (2).

Oratorum scriptiones, de quibus hactenus dictum est, nunc plane desiderantur, praeter perpauca fragmenta, quae Meyerus diligentissime nuper collegit atque illustravit (3). Caeterum etsi huiusmodi oratores tamquam summi et singulares viri in Bruto laudantur; ita tamen de horum laudibus Ciceroni est assentiendum, ut non iam perfectam iis eloquentiam tribuamus, sed illorum orationes, ut illis temporibus, valde probandas putemus (4).

CAPVT IX.

DE PHILOSOPHIA.

Ante Lucretium, de quo supra memoravi, philosophia nullum babuerat lumen litterarum latinarum (5). De hac vero nunc pauca dicturo apte mihi cadere videntur, quae habet Tullius in Tusculanis Disputationibus (6): Sapientiae studium, ait ille, vetus id quidem in nostris (7); sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis, non reperio quos appellare possim nominatim. Quibus adolescentibus stoicum Diogenem, Critolaum peripateti-

(1) Ibid., XLVII.
(2) Ibid., XLVIII.
(3) Fragmenta oratorum romanorum ab Appio inde Caeco et M. Porcio Catone usque ad Aurelium Symmachum coll. et ill. H. MEYER. Turici 1832, in-8°.
(4) Vide in hanc rem Tullium ipsum in Brut., LXXXV, LXXXVI.
(5) V. LUCRET., IV, 1-5.
(6) v. Ibid., IV, 3.
(7) Spectant Tulliana haec verba ad Pythagoram, qui fuit in Italia iis temporibus, quibus L. Brutus patriam liberavit. Illius autem doctrinam in romanam civitatem permanavisse, quum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur.

cum et academicum Carneadem (1) video ad senatum ab Atheniensibus missos esse legatos: qui quum reipublicae nullam unquam partem attigissent... nunquam profecto scholis essent excitati, neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus, temporibus illis, fuissent studia doctrinae. Qui quum caetera litteris mandarent, alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum; hanc amplissimam omnium artium, bene vivendi disciplinam vita magis quam litteris persecuti sunt. Itaque illius vere elegantisque philosophiae, quae ducta a Socrate in peripateticis adhuc permansit, nulla fere sunt aut pauca admodum latina monumenta, sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur.

Ab hac igitur legatione, quae Romam venit anno urbis conditae DXCVIII, romanae philosophiae initia et incrementa sunt repetenda. Tunc enimvero quum alii alium ex hisce philosophis sequerentur (2), stoicam praesertim rationem adamarunt *Scipio Africanus minor*, *Caius Laelius* et *L. Furius Philus*, qui ea tempestate Romanorum principes ferebantur. Quum autem, mortuo Diogene, Panaetium Rhodium, stoicum celeberrimum, audirent, huius disciplinae socios nacti sunt *C. Fannium*, *Q. Mucium Scaevolam, Q. Aelium Tuberonem, M. Vigellium, P. Rutilium Rufum, Sextum Pompeium, A. Virginium, Q. Lucilium Balbum,* postremo complures iurisconsultos, qui rigida stoicorum placita romani iuris severitati apprime convenire existimabant (3).

Reliquis philosophorum familiis atque epicureae in primis nomen etiam dare coeperunt Romani. Iuvat ta-

(1) V. A. F. VERBÜRG, De Carneade Romam legato. Ultraiect. 1827, in-8°.

(2) ROB. HEPKE, De philosophis qui Romae docuerunt ad M. Aurelii Antonini aetatem. Berolini 1842, in-8°.

(3) Vide in hanc rem LYNDENIUM in disputatione De Panaetio, P. I, § 7. — Cf. IAN. MESCHERT VAN VOLLENHOVEN, De exigua vi quam philosophia graeca habuit in efformanda iurisprudentia rom. Amstelod. 1834, in-8°.

men in universum animadvertere, perpaucos omnino tunc fuisse, qui se philosophos profiterentur; caeteros autem ita se ad philosophiam contulisse, ut ad percipiendam colendamque virtutem illius studio adiuvarentur, atque inter graviores reipublicae curas honestam inde animi remissionem peterent (1).

CAPVT X.

DE SCRIPTORIBVS RERVM NATVRALIVM.

M. Porcius Cato.

Pauca iam de M. Porcii Catonis operibus deperditis. Restat ut breviter dicamus de eius libro *De re rustica*, qui solus adhuc exstat. Hanc opellam aiunt critici, talem ad nos non pervenisse, qualem auctor ipse ad filium perscripserat, sed foede a grammaticis detruncatam atque interpolatam fuisse, qui varios pannos ex aliis Catonis libris adsuerent. Sed quaecumque ea demum sit, magni tamen facienda, tamquam monumentum historicum. Siquidem antiquior sermo et quaedam horridiora verba, quae ibi occurrunt, non modo ipsum Catonis animum depingunt, sed et romanarum litterarum illius aetatis specimen nobis exhibent verissimum.

CAPVT XI.

DE IVRISPRVDENTIA.

In summo pretio, vel ab antiquissimis temporibus, fuisse apud Romanos iurisprudentiam, et clarissimos viros huiusce studio praefuisse constat, quam eloquentiae

(1) V. TULL., Orat. pro Archia poëta, VII. — H. F. RENNER, De impedimentis, quae apud veteres Romanos philosophiae negaverunt successum. Hal. Saxon. 1825, in-8°.

tamquam ancillulam et pedissequam adiungerent. Sed quum germana iuris et legum scientia ex media philosophia, ut ait Tullius, sit penitus haurienda, nil mirum, si hac tempestate romani iuris interpretes ad illam praestantiam nequiverunt assurgere, qua postmodum inclaruere qui omne ius civile, antea diffusum et dissipatum, in certa quaedam genera digerentes, ad artem facile redegerunt (1).

Omnium vero, qui hac aetate iurisprudentiam excoluere, primus enumeratur *Marcus* ille *Cato*, cuius commentarios memorat Tullius in libris *De oratore* (2). Hunc consecuti sunt ***P. Mucius Scaevola, M. Iunius Brutus, M. Manilius*** (3); tum *Crassus*, quem eloquentium iurisperitissimum, et *Q. Mucius Scaevola*, quem iurisperitorum eloquentissimum Cicero appellat in Bruto (4). Qui quidem Scaevola, quum peracutus esset ad excogitandum quid in iure aut in aequo verum aut esset aut non esset, primus dicitur ius civile constituisse.

CAPVT XII

DE GRAMMATICA.

Antequam priori huius historiae parti finem imponamus, nonnulla de *grammatica* supersunt dicenda, hoc est de arte emendate loquendi, quae diutius apud Romanos ne in usu quidem, nedum in honore ullo fuit. Qua in re Svetonium praesertim sequemur, cuius exstat *De illustribus grammaticis* liber singularis.

(1) V. I. A. Bach, Historia iurisprud. rom. Lips. 1754. — C. A. Haubold, Institution. iuris rom. hist. dogm. lineam. Lips. 1826. in-8°. — I. G. Tydemann, Disp. histor. de iuris civil. apud Romanos docendi discendique via ac ratione usque ad Iustinianum imperat. Groning. 1837, in-4°.

(2) I, 37; II, 33. — Cf. Liv. xxxix, 40. — Corn. Nep. in vita Caton., III. — Pompon., ff., lib. I, tit. 2, De origine iuris.

(3) Pompon., loc. cit.

(4) Cap. xxxix. — Cf. De orat., I, 39.

CAPVT IX.

DE HISTORIA.

§ 1.

C. Iulius Caesar. - Aulus Hirtius.

Ex iis, quae libro superiore (1) a nobis disputata sunt de historicis romanis, iam patet quam vere Atticus diceret apud Tullium (2), historiam adhuc abesse litteris latinis. Namque ad Augusteam aetatem pertinent qui primum ad germanam historiam scribendam animum appulerunt; atque horum nobilissimi feruntur Iulius Caesar, Sallustius, Cornelius Nepos et T. Livius.

C. Iulius Caesar clarissima ortus est familia (3), anno urbis conditae DCLIV (4). Admodum iuvenis flamen Dialis destinatus, Corneliam, Cinnae consulis filiam, uxorem duxit. Mox, Sylla rerum summam obtinente, conquisitus ad necem, mutata veste, nocturno tempore Roma elapsus est. Quum autem, composita seditione civili, in urbem rediisset, ad eloquentiae famam sibi comparandam, Cornelium Dolabellam, virum consularem, repetundarum postulavit (5); eoque absoluto, Rhodum secedere statuit, et ad declinandam invidiam, et ut per otium Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro, operam daret. Romam reversus tribunatum militum et quaesturam per suffragia populi adeptus est. Quaestori ulterior Hispania obvenit; quumque mandato praetoris Gades venisset, animadversa, apud Herculis templum, Alexandri

(1) Cap. VII.
(2) De leg., I, 2.
(3 De gente Iulia V. GLANCOR., Onomast., pag. 414 et seq.
(4) Iulii Caesaris vitam narraturus ad Svetonium prae caeteris respexi, eius etiam verbis usus, quantum brevitas patiebatur, cui potissimum studebam.
(5) V. Dialog. de caussis corr. eloq. XXXIV.

Magni imagine, ingemuit; et quasi ignaviam suam pertaesus, quod nihil a se memorabile actum esset illa aetate (1), qua Alexander orbem terrarum iam subegisset, missionem continuo efflagitavit ad captandas quamprimum maiorum rerum occasiones in urbe.

Ibi aedilis creatus, praeter comitium et forum et basilicas, Capitolium etiam ornavit porticibus ad tempus extructis. Venationes autem et ludos et gladiatorium munus una cum collega et separatim edidit. Conciliato sic populi favore, tentavit, ut sibi Aegyptus provincia daretur. Sed quum hanc, adversante optimatium factione, non obtinuisset, pontificatum maximum petiit, et non sine profusissima largitione est consecutus.

Praetor renuntiatus, detecta coniuratione Catilinae, senatuque universo in socios facinoris ultimam statuente poenam, solus municipatim dividendos custodiendosque, publicatis bonis, censuit. Post praeturam cum M. Bibulo ad consulatum evectus, quamdiu hunc magistratum gessit, unus omnia in republica ad arbitrium administravit.

Sub idem tempus Calpurniam, L. Pisonis filiam, duxit uxorem, et Iuliam filiam Cn. Pompeio collocavit; quorum ea tempestate maxime valebat auctoritas. His potissimum adnitentibus, Caesar ex omni provinciarum copia Gallias elegit, quibus novem annos cum exercitu praefuit. Complura ibi gessit, ut ait Velleius Paterculus (2), vix multis volumihibus explicanda.

Consul iterum, altiora iam meditans et spei plenus, nullum largitionis aut officiorum genus in cives aut in milites publice privatimque omisit. Nec minore studio reges atque provincias per terrarum orbem alliciebat. Hisce artibus Caesar, dum in Galliis esset, quum omnium favorem captasset, sibi aditum ad dominationem aperuit, quam vel aetate prima iam concupiverat.

Postea vero, devicto Pompeio multisque bellis confectis, quinquies triumphavit. Hinc dictator perpetuus, quum

(1) Annum tunc agebat tertium et trigesimum.
(2) Hist. rom., II, 46.

de ornanda instruendaque urbe, item de ordinando ampliandoque imperio complura in dies agitaret; quadriennio postquam Pompeium bello pharsalico devicerat et rempublicam oppresserat, in curia a coniuratis confossus periit idibus martiis, anno urbis conditae septingentesimo decimo.

Etsi tot tantisque negotiis distentus, animum ad litteras excolendas ita adiunxit, ut Svetonius (1) testaretur, Caesarem eloquentia et re militari aut aequavisse praestantissimorum gloriam, aut excessisse. In re grammatica etiam versatus, scripsit *De analogia* libros duos (2), praeterea *Anticatones* (3) totidem, carmina et libros quosdam *auspiciorum* et *epistolarum* (4). Quae tamen Caesaris opera nunc desiderantur, si fragmenta quaedam excipias, quae diligentissime grammatici collegerunt. Verum hodieque supersunt Caesaris *De bello gallico Commentariorum* libri septem, quorum singuli singulorum annorum res complectuntur; item *De bello civili* libri tres. Qui autem accedunt libri *De bello alexandrino, africo et hispaniensi*, omnium consensu, *Aulo Hirtio* tribuuntur, Caesaris familiari, qui octavum etiam librum gallici belli imperfectum supplevit; etiamsi Svetonius (5) scripserit, fuisse dubitatum, Hirtiusne an Oppius illorum auctor fuerit.

Quot virtutibus niteant Caesaris commentarii apertis-

(1) Loc. cit., LV. Cf. QUINT., X, 1, 114.
(2) QUINTIL. I, 7, 34. Cf. TULL. in Brut., LXXII. SVET., Iul., LVI.
(3) Duae orationes sunt, quibus veluti ad iudices Catonem Uticensem accusavit adversus Tullii librum, quo eundem laudibus ad coelum tulerat. SVET., op. cit., LVI. Cf. TULL., Ep. ad Attic., XII, 40; Topic., XXV. TACIT., Annal., IV, 34. QUINTIL., III, 3. 28. A. GELL., IV, 16.
(4) SVET., loc. cit. A. GELL., XVII. 9.
(5) Loc. cit. — HERZOG, ad Caes. bell. gall., p. 602. — SCHNEIDER. Disp. de indagando belli hisp. scriptore. Vratislav. 1837, in-4° Iuvat hic animadvertere, nonnullos librarios manifesto errore praescripsisse nomen Auli Hirtii Pansae. Namque Hirtius et Pansa duo diversi viri fuerunt, qui consulatu functi anno urbis conditae DCCXI.

sime testatur Tullius in Bruto (1): Etiam commentarios quosdam, ait ille, scripsit Caesar rerum suarum, valde quidem probandos. Nudi sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis, tamquam veste, detracto. Sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius. De iisdem Hirtius (2) ita praedicat: Adeo probantur omnium iudicio, ut praerepta non praebita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior nostra, quam reliquorum est admiratio. Caeteri enim quam bene atque emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos perscripserit, scimus. Quibus verbis voluit Hirtius significare, politissimos huiusmodi commentarios a Caesare innumeris curis distracto, atque inter bellorum tumultus, subitaria scriptione in militaribus tentoriis fuisse exaratos.

Quemadmodum vero iure meritoque ob sententiarum gravitatem et castissimum sermonem laudantur Caesaris commentarii; ita ad res narratas quod attinet, ob quandam negligentiam culpantur. Et Asinius quidem Pollio apud Svetonium (3) parum diligenter parumque integra veritate compositos putat, quum Caesar pleraque, et quae per alios erant gesta, temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit: existimatque rescripturum et correcturum fuisse. Sed quae critici passim notarunt, suspectam quidem historici fidem faciunt; at scriptoris laudem in iis, quae ad orationis elegantiam pertinent, nihil penitus imminuunt. Qualibet vero aetate Iulius Caesar ingenii animi-

(1) Cap. LXXV.

(2) In praef. libri VIII, De bello gall; Cf. HENNE, De Caesare rerum a se gestarum scriptore diss. Bourges et Paris 1845, in-8. MURET., Orat. de via ac rat. tradend. discipl. Vol. II, orat. 21.

(3) Loc. cit., LVI. — Cf. M. G. DÖRING, De C. Iulii Caesaris fide historica. Freiberg 1837, in-4°. — ROTELS. De fide et auctoritate Comm. Caesaris. Friburg., 1833, in-4°.

que virtute inter praestantissimos viros habitus est, qui post hominum memoriam floruerint (1).

§ 2.

C. Crispus Sallustius.

Ex communi eruditorum sententia principem locum inter historicos latinos obtinet *C. Crispus Sallustius* (2), plebeio genere natus Amiterni in Sabinis anno urb. cond. DCLXVIII, Mario et Cinna consulibus. Adolescentulus Romam a patre missus, animum in litteris agitavit (3). Postea vero, quum se ad rempublicam turbulentissima tempestate contulisset, civilibus fluctibus se abripi passus est. Et primo quidem quaestor, deinde praetor renuntiatus, nobilitatis factioni palam coepit adversari, atque acerrimas cum Milone inimicitias praesertim exercuit. Sed neque ambitionis occupatio, nec partium studia obstiterunt, quominus matronarum amoribus inserviret, et foedis se libidinibus inquinaret. Quo factum est, ut infamiae labe notatus, ex senatorum numero a censore expungeretur (4). Quae tamen contumelia non fregit eum, sed erexit. Namque ad studia se referens, a quibus ambitio illum detinuerat, res gestas populi romani, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere aggressus est. Quum autem totus esset in historiis exarandis, Caesare suffragante, quaestor iterum creatus, ut honestus ei in senatoriam dignitatem reditus pateret; ac tandem proconsulis nomine Numidiae provinciae fuit praefectus. In urbem reversus, ingentes opes, proconsulatus spolia (5), secum attulit, et magni-

(1) PLIN., H. N., VII, 25.
(2) MARTIAL., Epigr. XIV, 191. — Cf. RUHNKEN. in bibl. critic., P. IV p. 49 et 50.
(3) SALL., Ep. II, cap. 11 ad Caes., De republ. ordin.
(4) A. GELL. XVII, 18. — DIO CASS, XL. 63.
(5) DIO CASS., XLIII, 9. — Declamat. in Sall., 7, 8.

ficentissimis aedibus in Quirinali monte (1) exstructis, se ad scribendi studium revocavit. Obiit anno urbis conditae DCCXIX, quum quinquagesimum aetatis annum nondum excessisset.

Constat Sallustium sex libros condidisse *Historiarum populi romani* a Syllae excessu ad Catilinae coniurationem; qui annorum ferme duodecim spatio continentur. Sed gravissimae huius historiae pauca tantum supersunt fragmenta (2). E contrario leguntur etiamnunc *Bellum Iugurthinum* et *Bellum Catilinarium* (3), in quibus narrantis animus a spe, metu et reipublicae partibus alienus, spectatae fidei historicum arguit. Pulcherrimae ibi sunt regionum, urbium, proeliorum descriptiones; hominum autem mores tam graphice depinguntur, ut nihil naturae aptius, nihil ad veritatem expressius queas excogitare. Ad haec noster gravis ubique sententiis, dum maxima sagacitate in rerum causas inquirit, singulari quodam dicendi genere utitur, eleganti, presso et roboris pleno. Hinc brevitas illa a Quintiliano (4) tantopere laudata, qua sibi lectoris attentionem conciliat, eique coniectandi locum praebet, quae ipse consulto praetermisit (5). Perperam vero Sallustium culpant nonnulli

(1) V. BECKER; De Romae vet. muris. Lipsiae 1842, in-8°, p. 88.

(2) M. Aemilii Lepidi cons. oratio contra Sullam ad populares suae coniurationis; Oratio L. Philippi in senatu contra Lepidum; Epistola Cn. Pompeii in Hispania imperatoris ad senatum, Oratio C. Cottae cons. ad pop. rom.; Macri Licinii trib. pleb. ad plebem, De restituendo tribunatu: Epistola regis Mithridatis ad Arsacem, Parthorum regem. Praeterea exstant epistolae duae ad Caes., De republ. ordin., quas nonnulli Sallustio etiam tribuendas esse testantur (Voss., De historic., lat. 1, 15). Quod vero attinet ad illas declamationes in Ciceronem, quae Sallustii nomine feruntur, nemo est quin sciat, cuipiam incertae aetatis rhetori esse tribuendas. Mirum sane videtur, a Quintiliano (IV, 1, 63) pro Sallustianis habitas fuisse.

(3) Etiamsi bellum Catilinarium tempore posterius fuerit; attamen in plerisque editionibus praemittitur Bello Iugurthino, propterea quod historicus illud prius quam hoc exaravit.

(4) Cap. IV, 2, 45; X, 1, 32; X, 1, 102 et seqq.

(5) V. NAST., De virtutibus historiae Sallust. Stuttg. 1785, in-4°. — LERMINIER, *Études d'histoire*, 1, p. 309.

(1), quod ad propositam sibi brevitatem assequendam, antiquas voces interdum usurpet ab usu quotidiani sermonis intermissas, atque a Catone praesertim mutuatas; namque ad gravitatem et ornatum orationis conferunt, si parce utaris. Quare haud aliter ac Thucydides, quem sollertissime est imitatus (2), ita creber est Sallustius rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur; ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur (3).

§ 3.

Cornelius Nepos.

Cornelius Nepos Hostiliae natus est, qui pagus olim Veronensium fuit in transpadana Italiae regione (4). Quo anno et quibus parentibus non constat. Hoc tamen est compertum, et ante Caesaris dictaturam, et eo dictatore, et postea vixisse, Catullo et Ciceroni maxime amicum et familiarem; atque a Callisthene liberto veneno interceptum obiisse anno urbis conditae ferme septingentesimo, quarto et vicesimo; quum videlicet Augustus iam rerum omnium potestatem obtineret (5).

Exstant eius *Vitae excellentium Graeciae imperato-*

(1) Asin. Poll. apud Sveton., De illustr. grammat., x. — Senec., Epistol., cxiv. A. Gell., iv, 15. — Cf. Eckard, Comm. de C. Asinio Pollione, iniquo optimor. latinitatis auctor. censore. Ienae 1743, in-4°.

(2) Vell. Pat., II, 36. — Senec., Declam.; ix, 1; Controv. iv, 24. — Quintil., loc. cit.

(3) Tull., De orat. II, 13.

(4) V. Maffei, *Verona illustrata*, vol. III. Milano, in-8°.

(5) De Corn. Nepotis aetate, vita, moribus, doctrina et scriptis videsis Commentarium perpetuum in Corn. Nepotis excell. imperatorum vitas, conscriptum a Car. Henr. Tzschucke. Gottingae 1804, in-8°. — Cf C. F. Rankii, Comm. de Cornel. Nep. vita et scriptis Quedlinburg 1827, in 4°

rum (1), quas graeco fonte (2) deduxit. Hisce subtexuit brevem narratiunculam de regibus Persarum et Graecorum, ubi nonnulla obiter tangit de Cyro et Dario, de Xerse, de duobus Artaxersibus, de Machrochire, Mnemone, Philippo, Alexandro Magno, Pyrrho, Antigono, Demetrio, Lysimacho, Seleuco et Ptolemaeo. Hanc subsequuntur vitae Hamilcaris et Hannibalis, imperatorum carthaginiensium (3). Constat Nepotem litteris etiam prodidisse vitas romanorum belli ducum (4). Verum ex his sola aetatem tulit vita Catonis maioris, in cuius extrema parte ait, se de Catone librum separatim fecisse, qui temporis iniuria etiam desideratur. Denique exstat T. Pomponii Attici vita, in qua conscribenda videtur historicus praecipuum studium posuisse (5).

Qui ieiunitatem quandam in Nepote reprehendunt, inique illi quidem faciunt. Namque unusquisque ex mente qua scripsit, omnino est iudicandus. Hic autem testatur (6) se, multo plura proferre quum posset, idcirco

(1) Viginti enumerantur, Miltiadis videlicet, Themistoclis, Aristidis, Pausaniae, Cimonis, Lysandri, Alcibiadis, Thrasybuli, Cononis, Dionis, Iphicratis, Chabriae, Timothei, Datamis, Epaminondae, Pelopidae, Agesilai, Eumenis, Phocionis et Timoleonis.

(2) Vid, R. H. WICHERS, Disquisitio crit. de fontib. et auctoritate Corn. Nepotis. Groning. 1828, in-8°. — HEINZE, Corn. Nepos ex Thucydide emendandus atque iudicandus. Ed. Eichest. 1323, vol. I, p. 432, 454.

(3) Fuere qui existimarent, huiusmodi vitas aut omnino ab Aemilio Probo fuisse profectas, qui Theodosii aequalis fuit, aut ab eodem in compendium fuisse redactas. Sed aliud suadent operis concinnitas, et illa quae leguntur in vita Epaminondae, ubi historicus iustam brevitatem pollicetur. Hac de re vide LAMBINUM in parisiaca editione, quae inscribitur: Aemilii Probi, seu Cornelii Nepotis excell. imp. vitae. Paris. 1569. — LIEBERKÜHN, Vindiciae librorum iniuria suspectorum. Lipsiae 1844, in-8°. — Cf. BÄHR, *Storia della letter. rom.*, vol. II, § 207, 208.

(4) A GELL., XV, 28.

(5) Alia etiam scripserat noster. Ex his Chronicorum et Exemplorum libri a Gellio (VII, 18: XVII, 21) memorantur, quorum pauca tantummodo supersunt fragmenta.

(6) In vita Epamin., IV.

modum adhibuisse, quod uno volumine vitas excellentium virorum complurium concludere constituisset. Quamquam vero in temporum et locorum notatione interdum claudicat noster; nemini tamen iure in dubium veniet illius auctoritas et fides, quam vel ipsi veteres (1) laudarunt. Caeterum Cornelii vitae praestantissimorum virorum imagines nobis exhibent graphice depictas, atque egregia ad imitandum exempla. In his autem dictio elegans est, facilis, plana, perspicua, et nativa quadam simplicitate sponte fluens, unde tirones germanam pure loquendi consuetudinem haurient (2).

§ 4.

Titus Livius.

Titum Livium Patavii natum plerique arbitrantur anno urb. cond. sexcentesimo, quinto et nonagesimo. Hic ambitione vacuus, et futurae aetatis immortalitatem potius quam praesentem gloriam spectans, ad rempublicam nunquam accessit, seque totum in litteras abdidit. Antiquitatis autem cognoscendae cupidissimus, ad historiam potissimum ferebatur. Quapropter quum magnum illud opus animo agitaret, rerum videlicet principis terrarum populi perscribendarum, in urbem se contulit, sperans se plura et certiora monimenta inventurum. Quo anno Romam venerit parum liquet; venisse tamen constat sub initium imperii Augustei. Itaque quum diu vixisset in urbe terrarum domina, summisque viris, omni eruditione ornatis, maxime affluenti, nullum ei defuisse adiumentum videtur ad ingenium omni genere doctrinae excolendum. *Historiam romanam* exorsus inter actiacum et cantabricum bellum, anno ferme urb. cond. DCCXXIV, eam evulgavit, vivo adhuc Caesare Augusto. Post huius

(1) GELL., XV, 28. — POMP. MELA, De situ orbis, III, 5.
(2) OLAUS BORRICH., Conspect. auct. ling. lat. — WYTTENBACH, Bibl. critic., P. XII, pag. 116.

excessum in patriam rediit, ubi a civibus honorificentissime exceptus diem obiit, imperante Tiberio, quum esset annos natus sex et septuaginta (1).

Livianae historiae maxima pars interiit. Etenim ex centum quadraginta libris, quibus res romanas ab urbe condita ad mortem Drusi Germanici complexus fuerat, quinque et triginta solum supersunt; neque illi quidem omnes ordine. Decem enim integri libri inter decimum et vicesimum desiderantur; alii praeterea omnes post quintum et quadragesimum (2).

Quum autem vel librariorum ignorantia, vel alia quavis temporum iniuria in reliquam huiusce operis partem complura menda irrepsissent, huic castigandae impense studuerunt Beatus Rhenanus, Laurentius Valla, Sigonius, Gronovius, Drackenborchius, et memoria nostra Walchius (3), Iacobsius (4) aliique. Sed omnium maxime laudandus Ioannes Freinshemius, vir sane immortalitate dignus, qui, collectis undique monumentis, quatuor supra centum Livianos libros deperditos supplevit, romani historici stilum atque elegantiam, quantum fieri posset, imitatus.

Quantae molis esset Romanorum res universas, ab urbe condita ultra septingentesimum annum domi forisque gestas, posterorum memoriae mandare, quisque facile existimabit, qui magnitudinem imperii, et innumeras rerum conversiones, et civium virtutem, et bellorum et eventuum varietatem perpendat. Qua tamen in re ita versatus est Livius, ut omnes historici numeros obi-

(1) V. RUPERTI, Prooemium de Livii vita et historia rom., in tom. I editionis Liv.

(2) Liviani libri omnes adhuc supererant seculo V post Christum natum. Cf. hac de re Symmachi Ep. IV, 17, et Sidonii Apollinaris Ep. IX, 14.

(3) Emendationes Livianae auctore G. L. Walch. Berolini 1815, in-8°

(4) Livii historiarum librum XXXIII auctius atque emendatius cum Fr. Iacobsii suisque notis ex cod. Bamberg. edid. F. Goeller. Francofurti 1822, in-8°.

isse videatur. Iure igitur Quintilianus: non indignetur, inquit, sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam enarrari potest, eloquentem: ita quae dicuntur omnia, cum rebus tum personis accommodata sunt: affectus quidem, praecipue eos, qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est (1).

Fuit quidem Asinius Pollio, acerbus ille scriptorum castigator aevi sui, qui patavinitatem quandam Livio exprobraret (2). Verum hac de re sane longam edidit disputationem Morhofius vir clarisssimus (3), ex qua colligi potest, eo solum spectasse hanc Pollionis animadversionem, ut quasdam in Livio locutiones carperet, quae patavinum loquendi genus fortasse redolerent. Quibus tamen historici nostri fama non est obscurata; quin immo singularis facundiae vir ab elegantioribus semper habitus est.

Fuere etiam ex recentioribus nonnulli, qui acerbius in Livium invecti, omnem prope auctoritatem ei detrahere conarentur (4). Livium, aiunt, splendido ac poëtico ingenio a natura donatum, suavem atque ornatum rerum gestarum narratorem fuisse; at in iis, quae de prioribus urbis saeculis perscripsit, omnino ei fidem esse detrectandam, propterea quod necessariis adiumentis careret ad exarandam historiam, eique fabulas inseruerit, quae ad heroicas, quas vocant, aetates pertinerent. Adde frequentem illam prodigiorum et portento-

(1) De inst. orat., x, 1, 101 et seqq. — Cf. M. A. SENEC., Suasor., VI, pag. 46, 47. — L. A. SENEC., De ira, I, 16; Epist. XLVI, — WYTTENBACH., Bibl. Crit., P. XII, pag. 28 et 29.

(2) QUINTIL., op. cit., VIII, 2, 3.

(3) Exstat inter eius disputationes academicas. Hamburgi 1699, item in edit. Liv. Drackenborch. Lipsiae 1801, 1804, in-8°, — Cf. TIRABOSCHI, *Stor. della letter. ital.*, III, 3, 11.

(4) His prae ceteris adnumerandus est B. G. Niebuhrus, acerrimi ingenii et singularis doctrinae vir.

rum enumerationem, quae nemini sane probabuntur, si indoctum popellum excipias; adde complures locos, quibus contraria de eadem re tradit; multa denique praetermissa, aut fusius narrata, aut nimia brevitate obscurata, plane ut inter Milesiarum fabularum scriptores, potius quam inter gravissimos historicos enumerandus esse videatur.

At suam Livio auctoritatem firmissimis iam argumentis asseruerunt Rupertius, Heerenius, Ernestius, Antolinius, aliique; nuperrime vero Lachmannus (1) confirmavit, historico nostro sinceros fontes non defuisse, ex quibus narrationes suas derivaret. Quis autem tam hospes in rebus romanis est quin sciat, abunde Livio monumenta patuisse, ex quibus certam rerum narrandarum notitiam consequeretur? Quid annales memorem, in quibus res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus? Quid libros censuales, quid columnas, arcus, titulos statuis, sepulcris, imaginibus passim inscriptos, aereas denique tabulas, quarum tria millia, imperante Vespasiano, conflagrasse narrat Svetonius (2), ubi pene ab exordio urbis senatusconsulta et plebiscita continerentur?

Quod si noster a fabulis non abstinuit, quae de romanae gentis primordiis ferebantur, quis merito illum arguat, quum et vetustiora tempora μύθοις sint involuta, quos ingenuo historico non liceat praetermittere, et Livius ipse vel ab initio historiae suae testetur, eos nec affirmare, nec refellere sibi in animo fuisse? Quod autem plurimum fuerit in commemorandis prodigiis et portentis, quae Romanorum animos in religionem motos terrerent, id laudi potius quam vitio historici tribuendum arbitror, qui sic Romanorum opiniones, mores et instituta verissimis coloribus depinxit.

Caeterum ad mathematicam rationem haec omnia sic

(1) De fontibus historiarum Titi Livii., Comm. I Gottingae 1822, in-4°; Comm. II. Gotting. 1828, in-4°.
(2) Vespas., VIII.

exigenda non puto, ut si qua in tantae molis opere minus accurata historico exciderint, idcirco levitatis aut mendacii insimulandus esse videatur; quum praesertim nonnulla occurrant apud veteres gravissimorum virorum testimonia (1), qui Livium eloquentiae ac fidei praeclarum in primis praedicare non dubitant. Hoc igitur tenendum, Livium rara illa temporum felicitate usum, quibus res Romanorum pari eloquentia ac libertate memorabantur, totam illam populi romani maiestatem in immenso suo opere mirum in modum expressisse, sive res ab ipso narratas spectes, quae tot tamque memorabiles casus complectuntur, sive demum magnificum illum ornatum orationis et lacteam ubertatem, quam Quintilianus (2) in illo laudabat.

§ 5.

Trogus Pompeius, aliique historici, quorum opera desiderontur.

Ad hanc aetatem pertinent alii rerum gestarum narratores. Inter quos eminet *Trogus Pompeius* (3), maioribus Gallis prognatus, qui libris quatuor et quadraginta, universi orbis sed praecipue Graecorum historiam complexus est. Theopompum secutus, historias suas *Philippicas* appellavit; namque a libro septimo ad primum et quadragesimum res persecutus est regni Macedonici, quod angustis antea finibus inclusum Philippus, Alexandri Magni pater, ampliavit. Sed horum librorum tan-

(1) Cremutius Cordus apud Tacit., Annal., IV, 34. — Cf. Elogia et iudicia de T. Liv. in vol. I hist. Livianae, quam evulgavit Lutetiae Paris. LEMAIRE V. Cl.

(2) Op. cit., X, 1, 32.

(3) De Trogo Pompeio vide Iustin., Praefat.; lib. XLIII, et 5. — IACOB. BONGARS. — G. VOSS., lib. I, 19, De histor. lat. — A. H. L. HEEREN, De Trogi Pompeii eiusque epitomatoris fontibus et auctoritate, vol. XV Comment. soriet. Gottingae; item in epit. Iustini, edit. Aug. Taurin. 1848, in-8°.

tunmodo exstat epitome a Iustino (1) concinnata. Desiderantur etiam *M. Terentii Varronis, Asinii Pollionis* (2), *Lucii Luceii*, *Hortensii*, *Aelii Tuberonis*, *M. Bruti*, *T. Pomponii Attici, Messallae Corvini* (3), *Augusti* (4) et *Agrippae* opera historica. Ex tot autem monumentorum naufragio emerserunt fragmenta quaedam annalium *L. Fenestellae* (5), et reliquiae *Fastorum* anni romani, quos *M. Verrius Flaccus* (6) a se ordinatos, in foro Praenestino circa hemicyclium, marmori incisos publicavit.

CAPVT X.

DE ELOQVENTIA.

§ 1.

M. Tullius Cicero.

Quamquam nulla aetate uberior fuit oratorum foetus; attamen quum perpauci ferantur memoria digni, neque ita multi qui omnino nomen habuerint, res ipsa admonet

(1) Vide huius hist. crit. lib. IV, cap. VIII, § 1.

(2) THORBECKE, Comment. De Asinii Pollionis vita et studiis doctrinae. Lugd. Bat. 1820, in-8°.

(3) De Augusti progenie libellus, qui sub Messallae nomine pluries editus fuit, ex communi eruditorum sententia, plane suppositicius est.

(4) WEICHERT, De Caesaris Aug. script. eorumque reliquiis comm. I. Grimm. 1835, in-4°; Comm. II. Ib. 1836, in-4°; Imp. Caes. Aug. operum reliquiae. Ib. 1841. in-4°.

(5) Scripserat Fenestella annal. libros XXII. Horum fragmenta cum notis variorum edidit Haverkampius in vol. II Sallustii ab eo illustrati. Amstelod, 1742.

(6) V. SVET., De illustr. grammat., XVII. — Horum fastorum fragmenta, effossa anno christiano MDCCLXX, edita sunt in libro, qui inscribitur: Fastorum anni romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae, cura P. Fr. Foggini. Romae MDCCLXXIX, in-fol. — Accedunt Verrii Flacci operum fragmenta omnia.

ut de *M. Tullio Cicerone* paullo fusius dicamus, qui, omnium iudicio, primas in eloquentia facile tulit.

In agro Arpinati, ex equestri familia natus est anno post urbem conditam DCXLVII. Qui acerrimum et docile ingenium nactus, postquam ex domestica M. Tullii patris disciplina haud poenitendos fructus perceperat, adolescentulus una cum Quinto fratre Romam fuit deductus. Ibi litteras primum doctus est ab Aulo Licinio Archia poëta, cuius tunc maxime celebratum erat in urbe nomen. Postea vero Apollonium Molonem Rhodium, actorem summum causarum et magistrum, Diodotum stoicum, Phaedrum et Zenonem epicureos, et Philonem academicum audivit; iuris autem civilis praeceptorem habuit Q. Mucium Scaevolam, cui ita fuit deditus, ut, quoad posset, ab eius latere nunquam discederet.

His igitur ingenii et doctrinarum praesidiis egregie ad eloquentiam institutus Cicero in foro coepit versari; primaque causa pro Sexto Roscio dicta tantum habuit commendationis, ut nulla esset, quae non digna eius patrocinio videretur.

Erat eo tempore in Cicerone summa gracilitas et infirmitas corporis; quumque amici et medici eum hortarentur, ut causas agere desisteret, ad firmandam valetudinem in Asiam profectus est. Quum venisset Athenas, sex menses fuit cum Antiocho, nobilissimo veteris academiae philosopho, simulque disciplina usus est Demetrii Syri, non ignobilis dicendi magistri. Postquam vero Asiam totam peragrasset, Rhodum petiit, seque ad eundem, quem Romae audiverat, Molonem applicavit.

Ita in urbem se recepit biennio post non modo exercitatior, sed prope mutatus. Tunc enimvero cum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad se dicendi novitate convertit. Quare primum quaestor, deinde aedilis curulis et praetor primus incredibili populi voluntate fuit renuntiatus; ac tandem anno urbis conditae ferme DCXC consulatum adeptus, ob detectam et exstinctam Catilinae coniurationem in primis

enituit. Haud ita multo post in Clodii aliorumque improborum civium invidiam adductus, patria exsulavit; donec P. Cornelio Lentulo et Pompeio praesertim adnitentibus, sextodecimo mense summa cum dignitate in urbem fuit revocatus.

Annos natus quatuor et quinquaginta in collegium augurum cooptatus est; mox vero proconsul Ciliciam provinciam sortitus, bellum ibi feliciter gessit, et imperatoris nomen promeruit. Exardescente bello civili, Pompeii partes secutus est. Quamquam vero mortuo Pompeio in gratiam redierat cum Caesare; attamen quamdiu hic rerum omnium dominatum tenuit, noster administratione reipublicae liberatus, sese totum philosophiae tradidit, a quà et doloris medicinam et otii oblectationem honestissimam peteret. Post dictatoris caedem civilibus fluctibus iterum iactatus, Antonii triumviri iussu, cuius odium *philippicis* sibi maxime contraxerat, interfectus est anno urbis conditae DCCXI, quum aetatis annum ageret quartum et sexagesimum (1).

Etsi Tullius queritur (2), infinitum forensium rerum laborem, senatoria munera et turbulentissimas reipublicae tempestates obstitisse, quominus confirmata aetate eas artes celebraret et recoleret, quibus a puero deditus fuerat; attamen in maximis illis rerum asperitatibus et angustiis temporis, quantum ei vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel respublica tribueret otii, ad scribendum potissimum contulit. Et plurima quidem tulliana opera temporis iniuriam evaserunt, ex quibus supersunt *novem et quinquaginta orationes*, quas ille habuit vel ad populum, vel in senatu. In his autem tot virtutes elucent, ut, teste Quintiliano (3), in hoc romano oratore totas vires suas eloquentia experta sit.

(1) V. PLUT. in vita Cicer. — AUR. VICTOR, De vir. ill., cap. LXXXI. — Memorabilia vitae Ciceronis per annos digesta a SCHÜTZIO, atque emendata a L. USTERI. Bernae 1828. in-8°. — *Cicéron et son siecle par* A. F. GAUTIER *aîné*. Paris 1842, in 8°.

(2) De Orat., I, 1.

(3) De inst. orat., X, 1, 108.

Quis enim docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam iucunditas affuit? Ipsa illa quae extorquet, impetrare eum credas, et quum transversum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Iam in omnibus quae dicit tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat; quum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa, qua nihil pulcrius auditu est, oratio praesefert tamen felicissimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus aetatis suae regnare in iudiciis dictus est (1); apud posteros vero id consecutus, ut Cicero iam non hominis nomen, sed eloquentiae habeatur (2). Idem Quintilianus (3) Tullium cum Demosthene comparans: Ipsorum virtutes, ait, plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas (4): densior Demosthenes, copiosior Tullius; ille concludit astrictius, hic latius; pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere; illi nihil detrahi potest, huic nihil adiici; curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione, qui duo plurimum effectus valent, vincimus. Praeterea hoc nomine praesertim laudandus est noster, quod stilum prudenti ratione rebus et hominibus accommodavit. Quod quidem non in *orationibus* (5) tantum

(1) Vide TULLIUM ipsum in epist. ad famil., VII., 24; IX, 18.

(2) LACTANT., De opific. Dei, XXIX. — S. AUG., De magist., XVI; De civ. Dei, IX, 5.

(3) Op, cit., X, 1, 106.

(4) Hanc quidem diversitatem nemo sanus reprehendet. Namque tum graecus, tum romanus orator audientium auribus orationem suam prudenter accommodavit.

(5) Sunt qui putent, quinque ex hisce orationibus ex numero operum tullianorum esse expungendas, atque ab aliquo declamatore, ostentandi ingenii causa, fuisse conscriptas. — Vide in hanc rem: M. T. Ciceronis, quae vulgo feruntur, orationes IV: 1° post reditum in senatum; 2° Ad Quirites post reditum; 3° pro domo sua ad pontifices; 4° de haruspicum responsis. Recognovit, animadversiones integras I. Marklandi et I. M. Gesneri suasque adiecit Frid. Aug. Wolfius. Berolini 1801,

spectatur, sed et in *epistolis*, quae octingentae et amplius enumerantur ab eo scriptae ad familiares, ad Atticum, ad Quintum fratrem (1), ad Brutum (2). Quae sane epistolae tum ad mores et ingenium Ciceronis cognoscendum, tum ad turbida reipublicae tempora explicanda, tum vero ad civilem prudentiam atque elegantiam stili mirum in modum conferunt (3).

Verum Tullius non modo oratorum romanorum facile princeps fuit; sed omnes qui oratoriae artis praecepta traderent, longe superavit. Eius opera, quae ad rhetoricam pertinent, octo enumerari consueverunt:

1° *De inventione rhetorica* libri II; opus mutilum, quod Tullius admodum adolescens exaravit.

2° *De oratore* libri III, *ad Quintum fratrem*, in quibus agit de oratore instituendo, et eloquentiae laudes celebrat.

3° *Brutus, sive De claris oratoribus*, ubi celeberrimos oratores, maximeque romanos depinxit.

4° *Orator, seu De optimo genere dicendi, ad Brutum.* In hoc libro perfecti oratoris imaginem nobis exhibet Tullius.

5° *Topica ad Trebatium*, hoc est de fontibus probationum, seu de locis, unde eruuntur argumenta.

6° *De partitione oratoria dialogus*, quo Cicero Marcum filium docet praecepta artis oratoriae. In hac ieiuna

in-8°. M. T. Ciceronis, quae vulgo fertur, oratio pro M. Marcello. Recognovit, animadversiones selectas interpretum suasque adiecit F. A. Wolfius. Berol. 1802, in-8°,

(1) Epistolarum ad diversos libri XVI; ad T. Pompon. Atticum libri XVI; ad Quintum fratrem libri III.

(2) Exstat Epistolarum liber singularis ad Brutum, quae vulgo Tullii nomine feruntur. Sed a criticis elegantioribus tamquam spuriae habentur. Vide in hanc rem: M. T. Ciceronis epistolae... Recensuit... et suis animadversionibus illustravit CHR. SCHÜTZ. Hal. 1809, in-8°. — In contrariam sententiam disserit C. FR. HERMANN, Vindiciae latinitatis epistolar. Cicer. ad M. Brutum, et Bruti ad Ciceronem. Gotting. 1844, in-4°.

(3) V. PLIN., Ep., IX, 2. — Cf. BOTTICER. De lectione epist. Cicer. in scholis instituenda. Osnabrück 1836.

scriptiuncula desiderantur praesertim exempla, quibus praecepta illustrentur.

7° *De optimo genere oratorum;* brevis disputatio, quam Tullius veluti prologum praemiserat duabus orationibus Demosthenis atque Aeschynis, a se e graeco in latinum sermonem conversis.

8° Denique *Rhetoricorum ad C. Herennium* libri IV. Quod tamen opus, potiusquam Ciceroni, plerique criticorum Lucio Cornificio, vel M. Antonio Gniphoni, vel L. Aelio Stiloni, vel alii demum ex veteribus tribuendum censent (1).

Quamquam vero laudantur tulliana opera *De rhetorica*, quae hactenus memoravi; ex his tamen, omnium sententia, praecipuam tulerunt laudem libri tres *De oratore* ad Quintum fratrem, in quibus Crassus, Antonius, Catulus senex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta et Sulpicius loquentes inducuntur. In hisce dialogis non aliorum tantum rhetorum more praecepta tradit noster; sed de ipsis praeceptis iudicat. Et primo quidem libro disserit de artibus, quibus instructus esse debeat orator; in secundo agit de inventione et dispositione; in tertio demum quae spectant ad elocutionem eleganter atque ornate persequitur. Hos libros quanti fecerit Tullius ipse, patet apertissime ex quadam epistola ad Atticum (2): Sunt etiam, inquit, *De oratore* libri tres, mihi vehementer probati. Et in alia epistola ad eundem Atticum (3): De libris oratoriis factum est a me diligenter:

(1) Docte egit de hac re C. G. Schützius in prolegomenis, quae libris ad Herennium praemisit (M. T. Ciceronis opera rhetorica recensuit et illustravit Chr. Schütz. Lipsiae 1804, in-8°). — Cf. Disputationem I. A. C. Van Heusde, cui titulus: Disquisitio de L. Aelio Stilone... Traiecti ad Rhenum 1839, in-8°.

(2) Lib. XIII, ep. 19.

(3) Lib. IV, ep. 13 Cf. Tullii ep. ad Leptam (ad famil. VI, 18). Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo, me quidquid habuerim iudicii de dicendo, in illum librum contulisse. Qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum; sin aliter, non recuso, quin, quantum de illo libro, tantundem de mei iudicii fama detrahatur.

diu multumque in manibus fuerunt; describas licet. Et revera praeterquamquod abhorrent a communibus praeceptis et omnem antiquorum rationem oratoriam complectuntur, ea nitent sermonis elegantia, ut nihil hac in re perfectius, nihil iucundius a tulliano ingenio posset proficisci.

§ 2.

Q. Hortensius, aliique huiusce aetatis oratores et rhetores.

Postquam diximus de M. Tullio Cicerone, satis erit eos oratores et rhetores memorasse, qui huiusce temporis aequales, aut paullo posteriores, in eadem palaestra elaborarunt. Horum quidem princeps fuit *Q. Hortensius Hortalus*, qui, quum admodum adolescens orsus esset in foro dicere, celeriter ad maiores causas adhiberi coeptus est (1). Erat autem in verborum splendore elegans, compositione aptus, facultate copiosus; eaque erat quum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Postremo maxima eius vis in actione erat sita, unde fiebat, ut orationes eius pronuntiatae magis quam lectae placerent. Hunc aiunt Ciceronis aemulum, quum dicendi studium paullum remisisset, ab eo tandem fuisse superatum (2).

Ad Hortentium proximi accedunt *M. Licinius Crassus, L. Torquatus, Cn. Pompeius Magnus, M. Messalla*, duo *Metelli, C. Lentulus Marcellinus, Triarius*, duo *Lentuli*, *P.* et *L. C. Pisones* et *M. Caelius*, quorum virtutes et vitia exposuit Tullius in Bruto (3). Hos tamen omnes

(1) Tull. in Brut., lxxxviii.

(2) De Hortensio vide Tull. in Brut., I, II, lxiiI, lxxxviiI et seqq. — Cf. L. C. Lusac., Specim. hist. iurid. de Q. Hortensio oratore, Ciceronis aemulo. Lugd. Batav. 1810, in-8°. — Io. Gabr. Linsen, et Iac. Ioann. af Gadolin, Disser. de Q. Hortensio oratore, Cicer. aem. Aboae 1823, in-4°.

(3) Cap. lxvI, lxx, lxxvI, lxxxviI. Cf. Plut. V. Crass. 3 et 7.

vincit *M. Calidius*, qui non fuit orator unus e multis, sed potius inter multos prope singularis (1).

Ut autem praetermittamus *C. Curionem* et *L. Licinium Calvum*, qui si diutius vixissent, magnam essent eloquentiae laudem consecuti, iuvat prae caeteris nominare *Marcellum*, quem Brutus (2) Ciceroni similem fore iudicavit, et *Iulium Caesarem*, qui ab Attico dictus est omnium fere oratorum latine loqui elegantissime (3). Quibus demum adiungendus *M.* ille *Brutus*, quem Tullius (4) dicere non dubitavit, non linguam modo acuisse exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisse graviorum artium instrumento, et iisdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisse.

Hactenus de oratoribus, in quibus nihil nisi sincerum et sanum occurreret. Venio nunc ad illa tempora, quibus romana respublica in unius Augusti dominatum concessit. Exinde paullatim defloruit eloquentia, cuius mox interiturae quasi semina, iam se vivo, sparsa fuisse Tullius querebatur (5). Neque aliter fieri potuit. Namque, stante republica, eloquentiae studio maxima erant proposita praemia vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Quum autem omnia unius voluntate regerentur, cives non iam eloquentia, sed largitionibus, corruptelis, adsentationibus, aliisque malis artibus ad divitias, ad potestatem, ad imperia nitebantur. Quominus tamen eloquentia subito caderet atque ad nihilum veniret, obstitit Augusti liberalitas et magnificentia; eoque imperante, aliquot etiam fuerunt insignis facundiae viri

(1) Ibid., LXXX. — Cf. QUINTIL., X, 1.
(2) Apud TULL. in Brut., LXXI.
(3) Ibid., LXXII. — QUINTIL., De inst. orat., X, 1, 144: Si C. Caesar, ait, foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur; tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. — Novem praecipue Caesaris orationes ferebantur; de quibus vide FABRIC., Bibl. lat., lib. I, cap. 10.
(4) In Brut., XCVII. — QUINT., X, 1.
(5) Tuscul. disput., II, 2; De offic., II, 19.

ut *M. Valerius Messalla Corvinus*, et *C. Asinius Pollio*, quorum primus dicitur a Quintiliano (1) nitidus et candidus, et quodammodo praeseferens in dicendo nobilitatem suam; in altero multa inventio laudatur et summa diligentia (2).

Omnium vero, qui hac aetate, post exstinctam rempublicam, dicendi laude floruerunt, eloquentissimus habitus est *Caesar Germanicus*, cuius ingenium in utroque eloquentiae et doctrinae genere praecellens laudat Svetonius (3).

Messalla igitur, Pollio et Germanicus, etsi a vetere illa et recta dicendi via paullulum iam deflexerant (4), a plerisque tamen laudantur, propterea quod illorum orationes pluribus etiam virtutibus niterent. Culpantur e contrario *Cassius Severus, Gallio* et *Maecenas*, qui, qua erant vitae mollitie, eadem orationem suam contaminarunt; ut eorum potissimum opera, romana eloquentia corrumperetur (5).

Caeterum etsi maximus fuit hac tempestate latinorum oratorum proventus, iuvat tamen animadvertere, bene dicendi scientiam, quam ῥητορικὴν Graeci vocant, sero apud Romanos fuisse receptam (6), nonnunquam etiam legibus prohibitam exerceri (7). Postea vero quam latinae eloquentiae disciplina utilis atque honesta apparuisset, multi eam praesidii causa et gloriae appetive-

(1) De inst. orat., x, 1, 113. Cf. Dialog. de caussis corrupt. eloq., xxI, xxvIII. — M. A. Senec., Controv., II, 12.

(2) Quintil.. ibid. Cf. Plin. H. N. vII, 30. — L. A. Senec., De tranquill. animi, xvI.

(3) In Calig., III. — Cf. Dion. Cassium, LVI, 26. — Ovid., Fast., I, 21.

(4) Vide Dialog. de caussis corrupt. eloq., xxI.

(5) Hoc apertissime testatur auctor Dialogi, quem modo memoravi in cap. xxvI. — Cf. Quintil., op. cit., IX, 4, 28; x, 1 116. — Svet. in August., LXXXVI. — Senec., Ep. CXIV.

(6) Svet., De clar. rhetor., I.

(7) Vide Tull., De orat., II, 24. — Svet., loc. cit. — Apud. Gell. (xv, 11) verba senatusconsulti de exigendis urbe Roma philosophis et rhetoribus; item verba edicti censorii, quo improbati et coërciti sunt qui disciplinam rhetoricam Romae

runt. Et extremis quidem Lucii Crassi temporibus (1) latini primum magistri dicendi exstiterunt, quorum insignis maxime fuit *L. Plotius* gallus, apud quem, puero Cicerone, studiosissimus quisque exerceretur. Hunc subsecuti sunt *L. Otacilius Pilitus*, *Epidius*, *Sextus Clodius*, *M. Albutius Silus*, novariensis, *L. Caestius Pius*, *M. Porcius Latro* (2) et *Rutilius Lupus* (3), qui Gorgiam secutus, graecum sui temporis rhetorem, opellam exaravit *De figuris sententiarum et elocutionis* (4), quae hodieque exstat.

CAPVT XI.

DE PHILOSOPHIA.

§ 1.

M. Tullius Cicero.

Ad oratoriam Ciceronis facultatem, ut ipse profitetur, plurimum contulit immensa illa doctrinae seges a graecis philosophis petita, quam ipse aetate maturior cum civibus suis ita communicavit, ut merito dictus sit philosophiam a Graecis ad Romanos primus transtulisse (5).

instituere et exercere coeperant. — Cf. CELLAR., Dissert. de Romanorum studiis litter., s. I, * 8. — I. CLERIC., Art. crit., P. II, s. I, c. 17.

(1) TULL., De orat., III, 24. — Cf. QUINT., II, 4, 42. SVET., De clar. rhetor., II.

(2) De Caestio et Latrone aliisque nonnullis egerat Svetonius in ea parte libri sui De claris rhetoribus, quam tempus nobis invidit. V. QUINT., X, 5, 18. — PLIN. H. N., XX, 14, 57.

(3) QUINTIL., IX, 2, 101 et seqq.

(4) P. Rutilii Lupi. De figur. sententiar. et elocut., libri II; recensuit, et adnotat. adiecit David Ruhnkenius. Lugd. Batavor. 1768, in-8°.

(5) WYTTENBACH., Bibl. crit., I, P. 3, p. 2. — R. KÜHNR., Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita. Hamburg. 1825, in-8° — S. AUG., Controv. academ., I, 8.

Exstant, praeter nonnulla fragmenta, duodecim tulliana opera philosophica (1); quorum veluti prooemium haberi possunt libri II *Academicorum*, in quibus agitur de academiae recentioris doctrina (2) ab Arcesila usque ad Philonem, sive, ut brevius dicam, de veritate humanarum cognitionum (3).

In libris V *De finibus bonorum et malorum* exquirit noster quidnam de summo bono et summo malo senserint epicurei, stoici et peripatetici (4).

Tusculanae disputationes, quae libris V continentur, sunt veluti *miscellanea* philosophica, in quibus res aguntur ad bene beateque vivendum maxime necessariae, ita tamen ut certum unicuique libro sit propositum argumentum (5).

Epicureorum, stoicorum atque academicorum placita de Deo et providentia complectuntur libri III *De natura deorum* (6). Cuius quidem scriptionis veluti appendix haberi potest disputatio *De divinatione*, quam noster

(1) Perierunt ex tullianis operibus philosophicis: 1° Platonis Timaeus latine redditus, cuius tantummodo restat fragmentum; 2° De gloria libri II, quos vivo Petrarca (V. Sen., XVI, 1), scimus superfuisse; 3° Oeconomicus, in quo Xenophontem secutus fuerat; 4° Platonis Protagoras, quem latine fuerat interpretatus; Laus Catonis; 6° Consolatio seu De luctu minuendo; 7° Denique Dialogus, Hortensii nomine inscriptus, quem Tullius exaraverat, ut romanam iuventutem ad philosophiae studium excitaret. Huiusce operis fragmenta, quae pauca supersunt, collegerunt prae caeteris SIGONIUS in Cic. fragm., pag. 20: 98, 118 et seqq. — PATRICIUS in Cic. fragm. pag. 49, 56, 156, 163 et seqq.

(2) Multiplex est academiarum divisio. Cicero duas tantum academias enumerat: Veterem, in qua floruerunt, praeter caeteros, Socrates et Plato: novam, in qua enituit Arcesilas. Vide in hanc rem RITTER. *Histoire de la philosophie*.

(3) V. A. C. RANITZ, Comment. de libris academic. Lipsiae 1809, in-8°.

(4) V. G. P. KRUG, De formulis, quibus philosophi stoici summum bonum definierint. Lips 1834, in-4°.

(5) I. C. ORELLI, ad Cic. Tuscul., IV, § 77.

(6) V. WYTTENBACH., Schol. in Cic, De Nat. deor.

bifariam ita divisit, ut in libro primo Quintum fratrem inducat ex stoicorum doctrina profitentem, se divinationem sequi, omnium populorum consensu comprobatam; in altero vero stoicorum sententiam de divinatione a Quinto fratre defensam ipse refellat (1). Hisce libris de natura deorum et de divinatione tamquam complementum accedit liber mutilus, in quo implicatissimam *De fato* quaestionem pertractavit (2).

Libros *De legibus* numero sex exaraverat Cicero. Sed quum quartum, quintum et sextum temporis iniuria nobis inviderit, tres priores tantummodo supersunt. In his Tullius ipse inducitur loquens cum Quinto fratre et Tito Pomponio Attico de origine et natura iuris universi, et de legibus, quibus Romani potissimum regerentur (3).

In libris III *De officiis* agitur praesertim de rebus honestis et utilibus (4); in opella *De senectute* (5) refelluntur quae vulgo senectuti obiici solent; in libro *De amicitia* ea tangit philosophus romanus, quibus vera a falsa amicitia dignoscatur, et leges proponit, quibus illa sit regenda. *Paradoxa* (6) vero complectuntur absurda quaedam stoicorum placita.

Restant libri VI *De republica*, quos si quis cupiat definire, recte, mea quidem sententia, dixerit, esse quamdam romani imperii historiam, in qua per summa capita ea narrantur, quae Romani ad rempublicam consti-

(1) SCHOLTEN, Diss. de phil. Cic. loco, qui est De divinat. nat.

(2) Principium huiusce disputationis De fato, quod desiderabatur, cum nonnullis aliis fragmentis an. MDCCCLIII ex palimpsesto, el forte oblato, eruit Florentiae LUDOVICUS CHRYSOSTOMUS FERRUCCIUS vir cl.

(3) V. TH. KELBH, Comment. de legg. Ciceronis, P. I. Elbing. 1826, in-4°.

(4) V. I. F. SACHSE, Quaestio de libr. Cic., qui sunt De offic. indole atque proposito. Quedlinburg 1825, in-4°.

(5) V. G. RICHTER, De laud. et vituper. in libro Cic. De senect. Guben 1803, in-8°.

(6) V. MORGENSTERN, Prolegom. in Cic. paradoxa. Dorpat 1819.

tuendam et tutandam sanxerunt; quibus multae animadversiones accedunt ex philosophia et civili prudentia, depromtae. Omnibus tullianis operibus philosophicis hoc esse anteponendum concordes testantur critici doctissimi. Dolendum igitur, aliqua dumtaxat fragmenta, nullo saepe inter se vinculo consociata, ad nos pervenisse (1).

Hic si quis forte requirat, quinam fuerit tullianae philosophiae fons praecipuus, aio, Ciceronem a prima inde aetate ad summam senectutem, omnium graecorum philosophorum studiosissimum, Platonem prae caeteris adamasse, atque ad academicorum doctrinam se in primis applicuisse, quod hac oratorem maxime ali adiuvarique arbitraretur (2). Qua tamen in re eo praesertim videtur spectasse, ut doctrinae varietatem, adhibito iudicio et delectu, ad elegantem vitae et philosophandi usum accommodaret. Caeterum quum philosophia usque ad tullianam aetatem nondum fuisset latinis litteris explicata (3), Cicero primus eam recte illustravit, et luminibus etiam oratoriis usus, omnem Graecorum copiam et elegantiam expressit; magni existimans interesse ad decus et laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras, latinis etiam litteris contineri (4). Quum autem, ut modo memoravi, graecorum omnium philosophorum rationes plane perspectas haberet noster, et suam de illis sententiam prudenter ac libere ferret, iam patet quantum civibus suis profuerit, et quanta hodieque sint eius in philosophiam merita (5).

(1) Tullianos libros De republica post diuturnam oblivionem iu lucem revocavit ANGELUS MAIUS, vir doctissimus, anno MDCCCXXII. De his V. GRATAMA, Dissert., De Cic., De rep. et De leg. libris iuridica. Groning. 1827, in-8°.

(2) TULL., Orat ad M. Brut, IV. — Cf. Praefat. paradox. ad Brut. — Cf. I. A. C. VAN HEUSDE, M. T. Cicero φιλοπλάτων. Disquisitio de philos. Cic. fonte praecipuo. Traiect. ad Rhen. 1836, in-8°. LACT., Inst. div., I, 2.

(3) V. TULL., Academ. posterior., I, 2.

(4) De nat. deor, I, 4.

(5) V. KÜNHER, op cit.

§ 2.

L. Lucullus. — C. Aurelius Cotta. — M. Terentius Varro, aliique philosophi Augusteae aetatis.

Praeter Philonem, Diodotum aliosque, de quibus iam dictum est, complures graeci philosophi hac aetate Romam adventantes, ibi consederunt vel docendi causa, vel quod principum virorum gratia gauderent. In his *Nicolaum* damascenum praesertim memorant, *Xenarchum, Athenaeum* seleuciensem, peripateticos; *Thrasyllum* platonicum atque *Athenodorum* tarsensem, stoicum. Hinc vero factum est, ut Romani alii aliam graecorum philosophorum familiam sectarentur.

Academicorum rationem, cui Tullius ipse deditus fuit, tenuerunt in primis *L. Lucullus*, summo vir ingenio, et multa doctrina expolitus (1); *C. Aurelius Cotta*, quem in libris *De natura deorum* contra Epicurum et stoicos disputantem videmus; *M. Terentius Varro*, ad quem Cicero scripsit libros quatuor *Academicorum* (2); *M. Brutus*, qui, teste Tullio, philosophiam latinis litteris ita est persecutus, nihil ut iisdem de rebus Graecia desideraret (3); postremo, *Publius* et *Caius Selii*, et *Tetrinius Rogus*, quos Philonis auditores et doctos homines appellat Catulûs apud Ciceronem (4).

Fuere etiam docti ex stoicorum schola complures, inter quos, omnium sententia, eminet *M. Porcius Cato Uticensis*. Hic enim Zenonis praecepta arripuerat non disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Quare incredibilem gravitatem, quam erat a natura sortitus, perpetua constantia sic roboravit, ut stoicae doctrinae

(1) TULL., Academ. disput., II, 2.
(2) V. TULL, Ep. ad diversos, IX, 8; Acad. disput., I, 2 et 3
(3) Academ. poster., I, 3. — Inter Bruti opera philosophica recensetur liber De virtute, quem ad Ciceronem miserat. V. De finib. bonor. et malor., I, 3.
(4) Academ. prior., II, 4.

severitatem et vita pariter et morte referret (1). Praeter Catonem, ut alios praetermittam, stoicis sunt annumerandi *L. Aelius*, eques romanus (2) *C. Blossius* cumanus, et *Boëtus*, quem Tullius in libris *De divinatione* (3) inter illos memorat, qui prognosticorum caussas sunt prosecuti.

Nec praetermittendi nonnulli, qui ad aliorum philosophorum disciplinam se contulerunt. Sic totum se peripateticis tradidit *M. Pupius Piso*, cognomento *Calpurnianus*, quem Cicero de illorum doctrina disserentem inducit in libro v *De finibus bonorum et malorum*; pythagoreis nomen dedit *P. Nigidius Figulus*, vir quum caeteris artibus ornatus, quae dignae libero essent, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur (4). Post Nigidium vero *Q. Sextius*, qui Pythagorae placita alia quadam ratione explicare conatus est (5).

Sed prae caeteris latissime apud Romanos patuit epicureorum doctrina, sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod homines invitarentur illecebris blandae voluptatis (6). Praecipue vero hac aetate epicureae rationis aemuli nominantur *T. Pomponius Atticus* (7), *C. Velleius* (8) et *L. Torquatus*, in quo fuisse dicuntur plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, divina memoria, summa verborum et gra-

(1) De Catone stoico V. Tull. in orat. pro Muraena, xxix et seqq. — Cf. De finib. bonor. et malor., iiI, 18; praefat. ad paradox.; De offic., I, 31.

(2) v. Tull. in Brut., LVI — Svet., De illustr. gramm., iiI. Hic idem ille est L. Aelius Stilo, quem in grammaticis iam memoravimus. Lib. I, c. 12.

(3) I, 8; II, 21.

(4) Tull. in fragm. Timaei Plat., I.

(5) V. Senec., Ep., cviiI; De ira, iiI, 36; Natur. quaest., viI, 32.

(6) Tull., Tuscul. disput., iv, 3.

(7) V. Tull., Ep. ad divers., xiiI, 1; ad Attic., v, 19; De finib. bon. et mal., I, 5; v, 1; De legib., I, 7.

(8) De nat. deor., I, 6; De orat. iiI, 21.

vitas et elegantia (1); quibus adiungendi sunt *T. Albucius*, *C. Cassius*, *M. Fabius Gallius*, *L. Saufeius* aliique nonnulli. Nec plura de philosophis huiusce aetatis, ex quibus egregium quemque nominasse sufficiat.

CAPVT XII.

DE SCRIPTORIBVS RERVM MATHEMATICARVM ET NATVRALIVM.

§ 1.

M. Vitruvius Pollio.

Ut alia complura, ita et mathematicas disciplinas ex graecis fontibus hauserunt Romani; nec multi admodum fuere, qui in intimam illam artium rationem inquirerent, quam θεωρίαν Graeci vocant. Omnibus sane excelluit *M. Vitruvius Pollio*, quem Augustus curae instrumenti bellici, et publicis aedificiis praefecit. In quanam urbe, quibus parentibus, quoque anno ortus sit non constat. Fuisse veronensem plerique autumant; honeste autem fuisse educatum, et sub Iulio Caesare stipendia fecisse ex ipsius opere colligimus (2).

Graecorum vestigia secutus scripsit *De architectura* libros x ad imperatorem Augustum; in quorum primis septem agit de aedium constructione, in octavo de aquaeductibus, in nono de illa architecturae parte, quae in horologiis solaribus conficiendis versatur, quaeque a Graecis γνωμονικὴ dicitur; in decimo de mechanica:

(1) TULL. in Brut., LXXVI; De finib. bon. et mal., I, 5.

(2) Cf. Praefat. lib. I et II, et prooem. lib. IV operis Vitruviani De architectura. — De Vitruvio eiusque opere disputavit Io. Schneiderus. Vide M. Vitruvii Pollionis De architectura, lib. x. Lipsiae apud Goeschen. 1807, IV vol. in-8°. — Cf. *L'architettura di Vitruvio tradotta in ital. da Quirico Viviani, illustrata con note critiche, ecc.* Udine 1830, in-8°.

In huiusmodi libris est Vitruvius melior architecturae, quam latinitatis magister. Eius enim stilus plebeius est, et aurea illa latinae linguae aetate indignus. Quamquam vero orationem peregrinitate et humilibus dictionibus infuscat; attamen propter antiquitatem non est contemnendus; et si minus ad elegantiam, at confert ad linguae integritatem et copiam illius lectio. Inde enim discimus voces ac locutiones, arti architectonicae peculiares, quas frustra apud alios quaereremus.

§ 2.

M. Terentius Varro.

Longior sane et molesta lectoribus accideret titulorum enumeratio, quos Varro plurimis et doctissimis operibus suis (1) praefixit, quosque a veteribus grammaticis servatos collegit Albertus Fabricius in bibliotheca latina. Itaque satis sit memorare, Varronem hunc nostrum de omnibus fere disciplinis scripsisse, quae ad illam diem a veteribus aut aequalibus suis fuissent illustratae. Quapropter iure a Quintiliano (2) Romanorum eruditissimus dictus fuit, peritissimus linguae latinae, et omnis antiquitatis et rerum graecarum romanarumque (3).

Ex Varronianis operibus, praeter alia nonnulla, supersunt libri tres *De re rustica*, quos octogenarius exaravit. In primo docet, quanam ratione terra sit colenda;

(1) Constat ex A. GELLIO (III, 10), Varronem anno aetatis suae octavo et septuagesimo iam quadringenta et nonaginta volumina conscripsisse; ex PLIN. (H. N, XXXIX, 4), quum annum iam ageret octavum et octogesimum, scribendi finem nondum fecisse; postremo ex VAL. MAX. (VIII, 7, § 3), in eodem lectulo et spiritum eius, et egregiorum operum cursum extinctum fuisse.

(2) De inst. orat., X, 1, 95. — Cf. TULL., Academicor., I, 3; BRUT., XV; Ep. ad divers., IX, 8. — SENEC., Consolat. ad Helv., VIII.

(3) Doctas coniecturas in Varronem proposuit GASP. REUVENS in collectaneis litterariis. Lugd. Batav. 1815.

in secundo agit de animantibus, quibus in agro colendo praesertim opus est; in tertio de villaticis pastionibus, hoc est de animalibus, quibus villa aptum pabulum suppeditat. De doctrina, quae in hoc opere continetur, nostrum non est disserere. Stilus elegantior atque ornatior quam catonianus, is ferme est, qui scriptorem deceat aetatis Augusteae. Id unum fortasse quis reprehendat, quod minus apta verborum constructio facit, ut sensus implexus quodammodo et subobscurus interdum legentibus contingat.

§ 3.

Antonius Musa — Aulus Cornelius Celsus.

Si *Antonium Musam* excipias, medicum Augusti Caesaris, cui nonnulla perperam tribuuntur fragmenta *De tuendà valetudine* et *De compositionibus medicis* (1), unus fuit hac tempestate rei medicae scriptor *Aulus Cornelius Celsus* (2), patria romanus. De huius parentibus et vita altum silentium est apud veteres. Quare etiamsi Columella (3), aequalis Imperatoris Claudii, aetatis suae scriptoribus Celsum adnumeret; attamen plerique elegantia et nitore celsianae dictionis permoti, aevo Augusteo (4), a quo certe non abfuit, ipsum adscribendum putarunt (5).

Constat ex Quintiliano (6), Celsum non solum de phi-

(1) Antonii Musae fragmenta, quae extant, collegit Florianus Caldani. Bassani an. 1800, in-8°.

(2) V. C. I. Goldhorn, De archiatris romanis inde ab eorum origine usque ad finem imperii rom. occident. Lipsiae 1841 in-8°.

(3) De re rust., I, 1.

(4) Hac aetate primus Graecorum magna cum laude medicinam Romae factitavit Asclepiades Bithynus, mechanicae sectae auctor. V. Fort. Bianchini, *La medicina di Asclepiade per ben curare le malattie acute, ecc.* Venezia 1769, in-8°.

(5) V. Tiraboschi, *Storia della letter. ital.*, T. I, 342; II, 220 Modena 1794. *Cf.* Celsi vitam a Ioanne Rhodio conscriptam.

(6) Loc. cit.

losophia, de iure civili et eloquentia scripsisse, sed amplius rei militaris et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquisse. Ex quibus operibus, praeter fragmentum *De arte dicendi*, ad nos pervenerunt *De medicina* libri VIII, qui sunt pars sexta operis, quod ipse *De artibus* conscripserat. In his Hippocratem coum praesertim secutus, intima medicinae penetralia dicitur subiisse; occulta, complexa et involuta sic aperiendo, ut firma hinc valetudinis praesidia peti possint. Verum hac de re peritorum iudicium esto. Ad nos quod attinet, satis sit dicere, Celsum concinna et eleganti scribendi ratione sic commendari, ut iure meritoque *medicorum Cicero* fuerit appellatus (1).

CAPVT XIII.

DE IVRISPRVDENTIA.

Ex disciplina Q. Mucii Scevolae, quem supra memoravimus (2), plurimi prodierunt iurisconsulti. In his maxime laudatur *Caius Aquilius*, qui ex Tullii testimonio (3) iuris civilis rationem nunquam ab aequitate seiunxit; qui ita iustus et bonus vir fuit, ut natura, non disciplina consultus esse videretur; ita peritus ac prudens, ut ex iure civili non scientia solum quaedam, verum etiam bonitas nata videretur. Sed omnibus longe praestitit *Servius Sulpicius Rufus* (4), cuius admirabilem quandam et incredibilem ac pene divinam in legibus interpretandis, aequitate explicanda, scientiam extollit Cicero (5); omnesque, ait, ex omni aetate, qui in urbe

(1) V. I. H, SCHULZE, Compendium historiae med. Halae 1742. — LUD. BIANCONI, *Lettere sopra Cornelio Celso*. Roma 1779, in-8°. — G. A. DELCHIAPPA, *intorno alle opere e alla condizione di A. Corn. Celso*. Milano 1819, in-12°.

(2) Lib. I, cap 10.

(3) Orat. pro A. Caecina. XXVII.

(4) Exstant eius epistolae II ad Cicer. (ad famil., IV, 5, 12).

(5) PHILIPP., IX. 5 — Cf. BRUT., XXXXI.

Roma intelligentiam iuris habuerunt, cum Servio Sulpicio non esse comparandos.

Huius vestigiis institerunt *A. Ofilius* et *Alfenus Varus* cremonensis, rerum antiquarum non incuriosus, qui *Digestorum* libros quadraginta perscripsit, quorum nonnulla exstant fragmenta (1). Fuere etiam et *C. Trebatius Testa* (2), et *Cascelius Aulus* (3), et *Q. Aelius Tubero*, *et Verrius Flaccus*, aliique complures viri praestantissimi, qui iuris civilis cognitionem atque interpretationem in possessione sua retinuerunt.

Sed quum iurisprudentia vehementer ad opes augendas et ad gratiam pertineret, plurimi, uti fit, qui neque ingenio, neque auctoritate valerent, senescente republica, se ad ius respondendum dederunt. Quare in maxima illa temporum confusione, sicuti honores et omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor ferme deletus est (4). Tunc enimvero Augustus, ut pristinam iurisprudentiae dignitatem restitueret, prudentissimo cuique et peritissimo ius tantummodo esse voluit publice respondendi (5). Et duo quidem, Augusto imperante, prae caeteris enituerunt, *Caius Atteius Capito* (6) et *Antistius Labeo* (7), quorum quum variae maximeque discrepantes essent de iure sententiae, factum est, ut iurisconsulti, ex illorum disciplina profecti, in duas easdemque diversas familias discederent (8).

(1) A. Gell., vi, 5. — Cf. Hofacker, Dissertatio ad fragmenta, quae ex Alfeni Vari, libris xl Digestorum supersunt. Tubingae 1775, in-4°.

(2) Ep. ad famil., vii, 5.

(3) Horat., Ep. ad Pison., 371.

(4) Tull., De offic., ii, 19.

(5) Apud Romanos, iurisconsultorum responsa tamquam pars iuris scripti habebantur. V. Iustinian. in § Responsa prudentum, De iure nat. gent. et civil.

(6) Macrob., Saturnal., vii 13.

(7) Inter caetera Labeonis scripta enumerantur Πιθανῶν libri viii, quorum nonnulla in Digestis exstant fragmenta. Cf. A. Gell., xiii, 10.

(8) V. Bach, Hist. iurisprud. rom., lib. iii, c. 1, sect. 6.

honestae rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno et languore turpior malarum rerum industria invasit animos. Cantandi saltandique nunc obscena studia effeminatos tenent: et capillum frangere, et ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, et immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est... Expugnatores alienae pudicitiae, negligentes suae. Numquis igitur fortasse mirabitur quid caussae sit, quod in tam depravata civitate, in tam dissolutis moribus corruptum orationis genus provenerit, quod aut verborum licentia exsultaret, aut puerilibus sententiolis lasciviret, aut immodico tumore turgesceret, aut inanibus locis baccharetur, aut casuris, si leviter excuterentur, flosculis niteret, aut praecipitia pro sublimibus haberet (1)? Nimirum ait Lucius Seneca (2) talis semper hominibus fuit oratio, qualis vita: genus dicendi publicos mores imitatur.

Caeterum etsi illa dictionum castitas in huius aevi scriptoribus desideratur, quae in iis elucet, qui circa aetatem Augusteam floruerunt; multa tamen in iisdem occurrunt probanda atque etiam admiranda; multa docte, acute et commode dicta; multa demum, quae grandibus imaginibus atque altitudine sententiarum sic illustrantur, ut quacumque aetate magno cum fructu ab iis legerentur, qui diu et multum iam essent in aureis scriptoribus versati. Ad hoc vitia ipsa, quibus interdum laborant, non sine quadam voluptate notantur, quod in iis senescentis imperii vestigia veluti agnoscimus, et quod nobis suppeditant ubi iudicium utrinque exerceamus.

(1) Quintil., xII, 10, 73.
(2) Ep. ad Lucil., cxiv.

tamina legentium animos magis tenebant, quam in annalibus suis saeva principum iussa, continuae accusationes, fallaces amicitiae, pernicies innocentium aliaque id genus, quae perpetua rerum similitudine satietatem afferre consueverunt (1).

§ 1.

L. Annaeus Florus.

Sequioribus romanae historiae scriptoribus adnumeratur *L. Annaeus Florus;* quamquam de aetate ad quam potissimum pertineat a multis ambigi video, quorum alii Augusti, alii Traiani, pars etiam Hadriani aequalem ferunt (2). Hic romanam historiam ab urbe condita ad imperatorem Augustum quatuor libris (3) ita complexus est, ut res gestas a principe terrarum populo in brevi quasi tabella conspicias (4). De germano eius nomine quum varie admodum disputatum sit a Iusto Lipsio, a Pontano, Vossio, Dukero, Fabricio aliisque (5), nihil attinet dicere. Domo autem hispanum fuisse, et fortasse ex Senecarum gente, fere inter omnes convenit. Et sane hispanum arguunt inflatum dicendi genus, et acumina illa, quibus identidem narrationem suam sic inspersit, ut Graevius, vir eruditissimus, affirmare non dubitaverit, Florum in historico opere, poëtico aestu abreptum, quan-

(1) V. A Mazure, *Tableau de l'empire romain précédé d'un essai littéraire sur les historiens de l'empire.* Paris 1838, in-8°.

(2) V. Florum in Prol. circa fin. — Saxii, Onomast., I, p 291 et 587. — Fr. Nic. Titz, De epit. rerum roman., quae sub nomine L. Annaei, sive Flori, sive Senecae fertur, aetate probabilissima, etc. Lipsiae 1804, in-8°. — Grosseau, De Flori qua vixerit aetate. Quedlinb. 1837, in-4°.

(3) L. Ann. Flori Epitome rerum romanorum.

(4) Falluntur siqui putant, Florum in historia sua Livii epitomen concinnare voluisse. Crebro enim a Livio recedit. Nec facile dixerim, idemne an alius sit, qui singulorum fere Livii librorum argumenta conscripsit, quae adhuc exstant.

(5) Voss., De historicis lat., I, 30. — Titz., op. cit.

Ab Eutropio et Rufo, qui res romanas in epitomen coëgerunt, haud seiungendus est *Lucius Ampelius*, quem plerique ad sequiorem hanc latini sermonis aetatem referunt (2). Hic *Librum memorialem* exaravit, Macrino suo inscriptum, in quo, stilo usus nudo et simplici, breviter adeo res perstrinxit, quae in toto orbe essent memorabiles, praesertim vero quae ad historiam, ad astronomiam et geographiam pertinerent.

(1) V. Tzschucke et Munnich in edit. Sex. Ruf.
(2) Saxe, Onomast., I, 430. — Tzschucke, Dissert. de Ampelio in editione ampeliana.

§ 7.

Ammianus Marcellinus.

Aliquanto maiorem celebritatem, quam aequales sui, adeptus est *Ammianus Marcellinus*, qui sub Constantio et proximis imperatoribus vixit usque ad Theodosium. De huius patria et parentibus alii alia protulerunt (1). Plerique vero opinantur, Antiochiae haud ignobili genere ortum, prima aetate litteris atque armis operam dedisse. Utrum christianam sapientiam sit secutus necne, multi dubitant (2). Sed hoc nihil ad nos. Illud est huiusce scriptionis notare, Ammianum Marcellinum post maximos belli labores, quinquagesimo ferme aetatis anno, Theodosio imperante, ad scribendam *historiam* se contulisse, qua res gestas *a principatu Caesaris Nervae ad Valentis interitum* narravit libris xxxI, quorum tredecim priores interciderunt (3).

Quum noster, Iuliano imperatore, bello persico stipendia faceret, nobiliores Orientis atque Occidentis provincias pervagatus, multa inde arripuit, quae probe cognita historiae suae fideliter mandaret. Neque solum in externis bellis describendis diligenter est versatus, sed res etiam urbanas et domesticas sine partium studio notavit, et principum virorum ingenia et mores depinxit. Quare si historicam fidem in Marcellino spectemus, nae ille vehementer laudandus. At verba latinis auribus inaudita, graecanicae quaedam atque horridae dictiones, longior

(1) Ex libro xxIII, cap. 4, § 10, patet apertissime, Ammianum fuisse graeco genere natum. Ait enim: « Machina scriptoribus historicis nota, quam helepolim G r a e c i c o g n o m i n a m u s. » Idem confirmatur ex cap. 6, § 20 libri, quem modo memoravi, ubi haec leguntur: « Transire enim διαβαίνειν dicimus Graeci. » Cf. CHIFFELET, De Amm. Marcellini vita et libris. Lovan 1627.

(2) A. DITKI, De Amm. Marc. Comm. Rössel 1841.

(3) In illis etiam libris, qui hodieque exstant, multi passim loci occurrunt hiantes aut interpolati.

interdum et perturbata rerum expositio, orationis perspicuitati maxime officiunt, et castrensem ac graecum hominem facile produnt (1).

§ 8.

Sulpicius Severus et Paullus Orosius.

Historicorum huius aetatis, qui quidem in aliquo sint numero, ordinem claudunt *Sulpicius Severus* et *Paullus Orosius*, quorum uterque doctrinam christianam professus, in eodem argumento elaboravit. Prior nempe, natione gallus, scripsit *Historiae sacrae* libros II *ab orbe condito ad annum christianum ferme quadringentesimum* (2); alter vero lusitanus vel hispanus, *Historiarum* libros VII *ab orbe condito ad annum christianum* CCCCXVII (3).

Quum Sulpicius in Sallustii lectione plurimum fuisset, eius colorem quodammodo refert in historia (4), cui plerique maximam fidem adiungunt. Haec sane, etsi vitiis non caret, haud ineleganti tamen stilo est conscripta. Quare si illam commendavero prae quibusdam recentioribus libellis (5), quos audio pueris nostris proponi, latinae linguae studiosis, omnes mihi facile assensuros confido.

(1) HEYNE, Censura ingenii et historiar. Amm. Marc. Gotting. 1802 (Opusc. Acad., VI, p. 35).

(2) Exstant praeterea Sulpicii Severi dialogi III De miraculis B. Martini — Epistola ad Desiderium — ad Eusebium presbyterum — ad Aurelium diaconum — ad Bassulam socrum — De vita B. Martini, turonensis episcopi.

(3) Scripsit etiam Apologeticon de arbitrii libertate, et Commonitorium ad Augustinum.

(4) In sulpiciana historia, quam animadversionibus auctam, Augustae Taurinorum emittendam curavi ex officina regia an. MDCCCL, locos sallustianos, ad quos noster scribendo videtur respexisse, ut mea memoria erat, diligenter notavi.

(5) Spectant haec verba ad opellam, latinae grammaticae alumnis publice propositam, quae inscribitur: Selecta christianorum scriptorum. Vah! apage a nobis li-

Ad Sulpicii praestantiam non accedit Orosius, quem nonnulli tamquam credulum carpunt. Eius stilus nec plane incultus, neque omnino latini sermonis venustati repugnans (1).

§ 9.

Notitia dignitatum utriusque imperii.

Postquam dictum est de historicis, a quibus deterior haec Romanorum aetas illustratur, haud absurdum videtur librum memorare, ab incerto auctore paullo post Theodosii tempora conflatum, qui inscribitur: *Notitia dignitatum utriusque imperii* (2). In hoc dignitates tam civiles quam militares, et provinciae romani imperii continentur. Hinc ἀρχαιολόγοι antiquitatis notitiam, philologi autem nomina petent, quibus commode et latine efferantur magistratus et munera, quae recentior aetas in rerum publicarum rationem induxit.

CAPVT IX.

DE ELOQVENTIA.

Quae adhuc exstant corrupti huius aevi opera oratoria eloquentiae occasum apertissime testantur. Quin et oratoria facultas apud Romanos penitus defecisse dicenda

bellum huiuscemodi, qui germana barbarie adolescentulos nostros infuscat, quorum aures permagni referret nitidis dictionibus adsuescere.

(1) G. F. H. Beck, Dis. de Orosii fontib. et auctoritàte. Goth. 1831, in-8°. — Th. De Mörner, De Orosii Vita, eiusque histor. libris vii. Berolin. 1844, in-8°.

(2) Hanc opellam commentariis illustravit saeculo xvI Guido Pancirolus, regiensis (Notitia dignitatum utriusque imperii cum commentariis. Venetiis 1593, in-fol.): nuperrime vero animadversionibus auxit. Ed. Böcking. Bonn. 1839-40, in-8° —

esset, nisi aetatem tulissent *M. Cornelii Frontonis* (1) orationes, *L. Aurelii Symmachi* orationum fragmenta (2), et panegyricae quaedam orationes, quarum auctores feruntur *Claudius Mamertinus* (3), *Eumenius*, *Nazarius*, *Porphyrius*, *Optatianus*, *D. Magnus Ausonius*, *Latinus Pacatus Drepanius* (4). Harum argumenta sunt de laudibus imperatorum ob collata praesertim in Galliae civitates beneficia. Si autem monumenta quaedam excipiamus, quibus illorum temporum historia iuvatur, vix quidquam in huiusmodi orationibus occurrit, quod cordatioribus probetur; qui e contrario barbaras dictiones, tumidas

Cum hac Notitia recte quis comparaverit librum, qui apud Subalpinos prodiit saeculo superiore, cum hoc titulo: GALLI, *Cariche del Piemonte.*

(1) M. Corn. Fronto, natione afer, eloquentiae laude Romae floruit, Hadriano imperatore.

(2) Frontonis orationes cum epistolis, et Q. Aurelii Symmachi orationum fragmenta in lucem primus evocavit ex codd. palimps. Biblioth. Ambros. et Vatic. ANGELUS MAIUS, vir cl. (M. Cornelii Frontonis opera cum commentario et notis A. Mai. Romae 1823. in-8°. — Q. Aurelii Symmachi octo orationum ineditarum partes invenit, notisque declaravit A. Mai. Romae 1823). — Exstant etiam Symmachi epistolarum libri x. Caeterum etsi Frontonis et Symmachi opera laudantur tum ob civilem quandam prudentiam, quae in ipsis elucet, tum vero ob antiquitatis notitiam; ad stilum quod attinet, a saeculi vitiis non recedunt. Neque sententiae A. MAII subscripserim, qui in praedicanda horum eloquentia et dictione nimius fortasse fuit. Vide in hanc rem CHR. HEYNII Censura ingenii et morum Q. Aurelii Symmachi, cum memorabilibus ex eius epistolarum libris. Gottingae 1801. EICHSTAEDT, M. Corn. Frontonis operum nuper in lucem protractorum notitia et specimen. Ienae 1816. Item programma, in quo acroases notantur, quas idem EICHSTAEDT habuit in academia iennensi per aestatem anni 1816. — VILLEMAIN, *De Symmaque et de St-Ambroise.* Paris 1849.

(3) Plerique duos Mamertinos memorant, orationum panegyricarum scriptores; quorum alterum seniorem, alterum vero iuniorem appellare consueverunt.

(4) In editione panegyricorum veterum, quae prodiit Venetiis anno superioris saeculi decimonono, praeter orationes illorum, quorum nomina hic habes, nonnullae leguntur incerti auctoris, quas tamen alii aliis tribuunt.

atque involutas sententias, postremo humilem et turpissimam adsentationem in iisdem repudiant.

Nec maiorem fortasse laudem merentur nonnulli, qui rhetoricis commentariis, graeco fonte ut plurimum derivatis, studiosos adolescentes eloquentiae praeceptis imbuerent. In his memorantur in primis *Aquila Romanus*, cuius exstat libellus *De figuris sententiarum et elocutionis*, e graeco opusculo Alexandri Numenii excerptus; *Iulius Rufinianus*, qui Aquilae opellam, quam modo memoravi, dicitur absolvisse; *Curius Fortunatianus*, cuius leguntur etiamnunc *Artis rhetoricae* libri III; postremo *Marius Victorinus*, qui praeter alia nonnulla scripsit *Expositionem* in I et II librum *Rhetoricorum Ciceronis*. Hi omnes tertio aut quarto saeculo christiano vixerunt, eorumque opera simul evulgavit Claudius Capperonius anno superioris saeculi sexto et quinquagesimo (1).

CAPVT X.

DE PHILOSOPHIA.

§ 1

L. Apuleius et Chalcidius.

Nullos profecto peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philosophiam, veluti aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter vivunt, quam vivendum esse praecipiunt. Exempla enim se ipsos inutilis disciplinae circumferunt, nulli non vitio quod insequuntur obnoxii. Haec verba, quibus Seneca (2) Lucilium suum docebat quinam philosophi sint audiendi, germanam

(1) Antiqui rhetores latini. Argentorati 1756, in-4°. Cum adnotationibus Ruhnkenii edidit et locupletavit Car. H Frotscher Lipsiae 1831, in-8°.
(2) Ep., CVIII, 35.

philosophorum huiusce aetatis imaginem nobis exhibent; quorum maximus proventus exstitit M. Antonino imperante, ut principis gratiam captarent, qui stoicorum doctrinae addictus *philosophi* cognomento fuit donatus (1). At huiusmodi nebulonum, qui sanctissimae disciplinae nomen ementirentur, nulla monumenta litteris sunt prodita. Quare unus *Apuleius* fuit, qui hac tempestate philosophi dignitatem tueretur, illam doctrinam professus, quam Ammonius alexandrinus primum apud Graecos invexit, quaeque *philosophia alexandrina*, seu *neoplatonica* fuit appellata, propterea quod Alexandriae orta, Platonis placita cum recentiorum superstitionibus coniungeret (2). Huius doctrinae specimen dedit Apuleius in operibus suis *De deo Socratis*; *De dogmate Platonis* libri III; *De mundo* liber singularis, ea usus scribendi ratione, quam alibi notavimus, quum sermo esset de fabulis milesiis (3).

Apuleio comes accedit *Chalcidius*, qui quarto saeculo christiano partem priorem *Timaei Platonici* latine est interpretatus, et commentariis illustravit.

§ 2.

Christianae sapientiae scriptores.

Ad philosophorum familiam pertinent etiam christianae sapientiae scriptores, praestantissimis ingeniis celebrati; inter quos eminent *Q. Septimius Florens Tertullianus*, *Arnobius*, *M. Minucius Felix*, *L. Caecilius Lactantius Firmianus*, *Thascius Caecilius Cyprianus*, *Sophronius Eusebius Hieronymus*, *S. Ambrosius*, *S. Aurelius Augustinus*, *Sal-*

(1) Adeo studiis philosophiae fuit deditus M. Antoninus, ut adscitus iam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii, discendi causa, veniret. IUL. CAPIT. in vita M. Antonini philosophi.

(2) V. HILDEBRAND, Comment. de vita et script. Apuleii in Prolegom., edit. apuleianae.

(3) Lib. IV, cap. 7.

...nus, Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius et Magnus Aurelius Cassiodorus. Sed quum huiusmodi homines Deo devoti, animum divinis cogitationibus tantummodo exercerent, et toti essent in propaganda Christi doctrina, poenitendam sibi temporis iacturam facere videbantur, quod in stilo exercendo insumsissent. Quapropter venustae et concinnae orationis securi, barbarum atque horridum scribendi genus plerumque usurparunt (1).

Quae tamen ita nolim intelligi, quasi omnem omnino dignitatem rerum divinarum scriptoribus detrahendam putem. Namque praeterquamquod plerique omnes nativo interdum candore nitent, et singulari quadam suavitate,

(1) Neque id mirum. Ipsi enim conceptissimis verbis professi sunt, velle se expolitionem sermonis atque artis grammaticae leges negligere. Ne quis autem forte arbitretur, haec a nobis temere de latinis christianae sapientiae scriptoribus affirmari, iuvabit ipsos, hac de re loquentes audire. AUGUSTINUS contra Crescen., II, 1: « Quanto minus nos laborare debemus De regulis derivandorum nominum, quando sive hoc sive illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicitur; quorum non in expolitione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio. » HIERONYMUS, Epist., LII ad Pammach.: « Ecclesiastica interpretatio, etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet et fugere. Id.: « Unde et leporem artis rhetoricae contemnentes, et puerilis et plausibilis eloquii venustatem, ad sanctarum scripturarum gravitatem confugimus. » GREGORIUS M., Epist. ad Leandr., V, 49: « Unde et ipsam loquendi artem, quam magisteria disciplinae exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut huius quoque epistolae tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito; situs motusque et praepositionum casus servare contemno; quia indignum vehementer existimo, ut verba coelestis oraculi restringam sub regulis Donati. » CYPRIANUS, Praefat. ad vit. Caesarii Arelat.: « A lectoribus petimus, ut si casu aliquo simplicitas eloquii nostri ad eruditorum aures adducatur, non arguant, quod stilus noster videtur artis grammaticae leges negligere » Quae quum ita sint, nihil sane illorum verba moramur, qui in romanis litteris plane hospites, et latinae rationis ignari, nostrae sententiae perridicule adversantur.

et iucunda, pene dixerim, moestitia legentium animos perfundunt, non negaverim, et *Minucium Felicem* haud sane ineleganti dictione usum fuisse, et Lactantium Tulliani stili virtutes tam feliciter esse consecutum, ut c h r i s t i a n u s C i c e r o merito sit appellatus (1).

Sed haec levioris sane momenti. Multo autem graviora illa sunt, quae interiores illorum operum partes spectant, ob quas caeteris praestant christiani nominis scriptores. Iam primum omnium constat post L. A. Senecam, neminem apud Latinos floruisse, qui multiplicis doctrinae varietate sit cum Ambrosio, cum Hieronymo atque Augustino comparandus; ad scientiam vero quod attinet rerum expetendarum et fugiendarum, quam φρόνησιν Graeci vocant, itemque ad animi excelsitatem et magnitudinem, quae humana omnia despiciat, et infra se posita arbitretur, Platonem ipsum, Tullium et Tacitum longe illis cessisse.

Praetermitto singularem eloquendi vim, quae non in concionibus tantum, quas in templis haberent ad populum, sed in lucubrationibus passim elucet, quibus christianam doctrinam ab adversariorum telis acerrime tuerentur. Sed egregium aliud superest ipsorum in litteras promeritum. Etiamsi in scribendo a romani sermonis castitate aberraverint, re tamen bene perpensa, litterarum latinarum sospitatores quodammodo sunt dicendi. Nimirum, sequiore illa aetate, in profanis scriptoribus nulli iam alii numerabantur, nisi garruli quidam declamatores atque inanes sophistae. Christiana solum doctrina oratores et philosophos enutrierat, unde novus sapientiae rivulus, quasi incorruptus quidam succus et sanguis, in latinas litteras influxit. Quumque Christianorum studio et cura latina lingua in religionis mysteria, sacrificia et caerimonias pervaserit, factum est, ut, etiamsi labentibus annis, populi sermone usurpari sit desita, religionis discendae gratia homines ad libros adirent, atque hac

(1) V. Hieron., Ep., lviii, n. 10.

... de causa ad hanc usque aetatem propagata ... (1).

Caeterum prae christianis scriptoribus, quos supra memoravi, latini sermonis elegantia nomen suum posteritati propagavit Boëthius, qui Romae natus ex antiquissima familia, anno christiano CCCCLV, adolescentiam Athenis, liberalioribus disciplinis intentus, transegit. Florente iuventa, ob excellens ingenium et singularem doctrinam regi Theodorico mirifice dilectus, ad praecipua reipublicae munera fuit admotus. Sed tertio iam consulatu perfunctus, improborum invidiam non effugit. Quapropter, causa indicta, proditionis damnatus, Ticinum in carcerem fuit deductus, ac tandem annos natus unum et septuaginta, Theodorici iussu, securi percussus (2).

Multa supersunt Boëthii opera de re theologica et philosophica. Sed eruditione, sapientia et stili candore prae caeteris celebrantur *De consolatione philosophiae* libri V, quos partim prosa, partim poëtica oratione, carcere detrusus conscripsit, ut animi sui aegritudinem quodammodo leniret (3).

CAPVT XI.

DE SCRIPTORIBVS RERVM NATVRALIVM ET MATHEMATICARVM.

Non modo orationis elegantia longe infra superiorum laudem substiterunt huiusce aetatis scriptores, sed ea

(1) Hac de re fusius dixi in oratione De latinis christianae sapientiae scriptoribus, habita studiis rite auspicandis in auditorio maximo Archigymnasii Taurin., III non. novembr. an. MDCCCLV, eodemque anno evulgata ab R. officina taurinensi. Cf. WILLEMAIN, *Tableau de l'éloquence chrétienne au quatrième siècle. Paris* 1849. — *Storia elementare e critica della letteratura sacra di Lefranc, volgarizzata da B. Ceretti. Milano* 1856, *in*-8°.

(2) G. F. BERGSTEDT, De vita et script. Boëthii Diss. Upsal 1842. in-8°.

(3) GRUBBE, circa libros Boëthii de Consolat. observationes. Upsal 1836, in-4°.

quoque ingenii vi, quae in rerum causas i... diuturna observatione disciplinarum fines prote... suevit. Quapropter maxima illorum pars, qui hac te... pestate in studio sunt versati rerum naturalium et mathematicarum, ad veteres ita respexerunt, ut omnia ferme ab iis compilasse dicendi sint, praeter dictionem, quam plerique incultam et barbarie inquinatam praeseferunt. Et prior quidem *C. Iulius Solinus*, cuius aetatem conferunt ad annum christianum CCXVIII, *Polyhistorem*, seu *Collectanea sua rerum memorabilium* derivavit ex Plinii historia naturali. Inde etiam fluxerunt libri V *De re medica*, qui *Plinio Valeriano* tribuuntur, et *Q. Sereni Sammonici Carmen de variis morborum curationibus*. Ex graecis scriptoribus libros suos (1) expressit *Coelius Aurelianus* medicus, Methodicorum (2) sectae addictus; graeco pariter fonte manasse dicuntur *Publii Vegetii Renati de mulomedicina* seu *arte veterinaria* libri IV. Quae habet *Cn. Marcellus*, cognomento *Empiricus*, in libro *De medicaminibus empiricis, physicis et rationalibus*, omnia ferme Scribonio Largo sunt tribuenda; passim vero ex multis, qui aetate illum antecedunt, hausit *Theodorus Priscianus* libros IV *Rerum medicarum* et librum *De diaeta*, seu *De rebus solubilibus*. Neque aliter sentiendum de *Palladio Rutilio Tauro Aemiliano*, qui in libris suis *De re rustica* (3) Columellae praesertim vestigia persequitur. In plerisque editionibus, aliis rei rusticae scriptoribus comes plerumque adiungitur *Palladius* ob stilum simplicem nec plane

(1) Celerum sive acutarum passionum lib. III; Tardarum sive chronicarum passionum lib. V.

(2) Triplex fuit apud veteres medicorum genus, Dogmaticorum seu Rationalium, Empiricorum et Methodicorum, de quibus vide CELSUM in praefat. Themison Laodicenus Methodicorum sectam instituisse dicitur, quae in tres deinde familias abiit, Pneumaticorum videlicet, Episyntheticorum, Eclecticorum. — Cf. C. G. KÜHN, De Caelio Aureliano inter methodicos medicos haud ignobili. Lips. 1816, in-4°.

(3) Tredecim enumerantur, quibus accedit liber elegiaco carmine exaratus, De insitione.

Eius tamen aetatem ad Arcadii et Honorii pertinere arbitrantur critici elegantiores.

A scriptoribus, de quibus modo dictum est, recessit Caelius Apicius, cuius nomine feruntur *De re coquinaria*, seu *De obsoniis et condimentis* libri x. Siquidem artis suae praecepta non aliunde quam ex penu suo videtur deprompsisse. Sunt qui putent (1), hisce libris ex argumento potius, quam ex auctore nomen factum fuisse. Sed quidquid demum hac de re sentiendum sit, eius stilus rudis et barbarus deterioris aevi scriptorem prodit.

Restant rerum mathematicarum scriptores, de quibus antequam pauca dico, animadvertendum est, *matheseos* nomine hac aetate *astrologiam* quoque fuisse donatam, quae videlicet ex astris futura praedicere profitebatur. Sic *Iulius Firmicus Maternus* in *matheseos* libris, qui octo enumerantur, de vi tantum disserit, quam astra in mortalium vitam et fortunam exercerent. Caeterum ad *mathesin* pertinet *gromatica* (2) disciplina, de qua commentarios scripserunt *Siculus Flaccus, Aggenus Urbicus, Hyginus gromaticus* aliique. Item scientia rei militaris, quam *Modestus* et *Flavius Vegetius Renatus* (3) illustrarunt; ille quidem edito libro *De vocabulis rei militaris*; hic autem conscriptis libris v *De re militari* ad Valentinianum II,

(1) Vossius, Inst., orat. xII, sect. 12. — Fabric., Biblioth. lat., II, 25. — Saxius, Onomast, I. — Et revera, quum tres Romae olim fuerint A p i c i i, gulae studio notissimi, quorum primus ad Caesaris, alter ad Tiberii, tertius vero ad Traiani aetatem pertinet, videtur auctor opus suum A p i c i i nomine inscripsisse, quod de rebus ageret ad gulam pertinentibus. — De Apicio, V. Plin., H. N., ix, 17; x, 48. — Senec., Consol. ad Helviam matrem; Ep. ad Lucil., xcv. — Iuvenal., Sat. iv, 23; xI, 3.

(2) Quae videlicet agrorum et castrorum mensuram docet a graeco γνῶμα quod instrumentum significat agri mensoris, quo viae flexae ad lineam diriguntur. Recentiores γεωδαισίαν appellant. V. Böching, Institut., pp. 46, 325. — Rei agrariae scriptores legesque variae cura W. Goesii. Amstelod. 1674, in-4°.

(3) Non confundendus cum P u b l i o V e g e t i o R e n a t o, de quo supra memoravimus in scriptoribus rerum naturalium.

quos, ut ipse testatur (1), ex commentariis Frontini, Paterni, atque ex constitutionibus Traiani, Hadriani potissimum depromsit. Erudita sane haec Vegetii commentatio, antiquitatis studiosis perquam utilis, neque horrida dictione omnino improbanda.

Postremo ad mathematicas disciplinas proxime accedit *γεωγραφία*, cuius perpauca exstant monumenta ad hanc aetatem pertinentia (2). In his enumerantur *Itineraria* quaedam *perscripta* (3), *Aethici Istri Cosmographia*, *Vibii Sequestris* libellus *De fluminibus, fontibus, lacubus, nemoribus, paludibus, montibus, gentibus*, quorum apud poëtas mentio fit, aliaque nonnulla, quae cum Pomponio Mela edi consueverunt.

CAPVT XII.

DE IVRISPRVDENTIA.

Senescente hac aetate, nullius fortasse disciplinae impensius quam iuris studio dediti fuerunt Romani. Quod quidem Hadriani opera praesertim factum est, quo imperante, romana iurisprudentia novum quasi vultum induit, et iurisconsulti tot honorum insignibus fuerunt honestati, ut nihil iis ad dignitatem deesse videretur. Prae caeteris autem gratia et auctoritate apud Hadrianum valebant *Iulius Celsus, Neratius Priscus* et *Salvius Iulianus*, qui

(1) Lib. I, cap. 8.

(2) V. Schirlits, Comm., qua ostenditur, veteres Romanos de proferendis antiquae geographiae finibus optime esse meritos. Wetzlar 1844, in-4°.

(3) Duplicis generis fuerunt apud Romanos Itineraria. Nimirum perscripta, in quibus loca, eorumque distantiae adnotabantur, cuiusmodi est Itinerarium Antonini et Hierosolymitanum; picta, quae ipsa loca orbis repraesentarent, uti Tabula Peutingeriana. Nos dicimus *carte topografiche*. De veteribus Romanorum itinerariis vide disputationem P. Wessellingii, editam Amstelodami an. 1735. — Cf. Tab. itin. Peuting. denuo coll. emend. et nova C. Mannertii introduct. instructa studio et opera Acad. lit. reg. Monacens. Lips. 1824, in-fol.

scholae famam unus omnium tuebatur. Hic, is iussu veterum praetorum edicta collegit, condidit, ex quibus exstitit illud corpus iuris romani, quod *Edictum perpetuum* fuit appellatum (1). Mox Antonini Pii et sequentium imperatorum aetate plurimi etiam iurisconsulti provenerunt, inter quos eminent *L. Volusius Moecianus*, *Titus Caius*, *Sextus Pomponius*, *Q. Cervidius Scaevola*, *Aemilianus Papinianus*, *Domitius Ulpianus*, *Iulius Paullus*, *Herennius Modestinus*. Horum responsa passim in Pandectis occurrunt, eo stilo conscripta, qui aureum latini sermonis candorem plerumque reddit. Quod quidem nemini mirum videbitur, consideranti iurisconsultorum mores et ingenium, qui antiquissimarum legum carmen et concepta verba mordicus tenere consueverunt.

Postquam vero Constantinus Magnus respondendi iuris facultatem prudentibus ademit, et soli principi ius leges interpretandi esse voluit, romanae iurisprudentiae oracula obmutuerunt. Ex eo tempore imperatorum constitutiones pro legibus habitae. Hinc *Codex Gregorianus*, *Hermogenianus*, *Theodosianus* (2), *Iustinianeus*, ad quorum normam ius ei populo redderetur, ad quem unum, stante republica, ius legum condendarum pertinebat (3).

CAPVT XIII.

DE GRAMMATICA.

Aulus Gellius. — Censorinus. — Aurelius Macrobius. — Martianus Mineus Felix Capella, aliique rei grammaticae scriptores.

Nec sua etiam dignitas hoc tempore grammaticis defuit, quos imperatores immunitate aliisque beneficiis pas-

(1) V. Eutrop., VIII, 17. — A. G. S. Francke, De edicto Praetor. urb. praesertim perpetuo. Kil. 1830, in-4°. — E. A. Biener, De Salvii Iuliani meritis de edicto Praetoris rite aestimandis. Lips. 1809, in-4°.

(2) De Crassier, Diss. de confectione Cod. Theodosiani. Leodii 1825, in-4°.

(3) V. Bach, Hist. iurisprud. rom.

sim ornarunt. Hoc enim plerumque fieri videmus, ut inclinatis iam litteris atque in deterius vergentibus prae caeteris in honore habeantur, qui reiecto rei pondere ac nitore, in tradendis praeceptis, in perpendendis syllabis, in quodam inani circa voces studio, in frigida demum et morosa eruditione consenescunt. Unde tamen factum est, ut grammatici, quórum est linguas sartas tectas servare, latinum sermonem a barbarie, quantum fieri poterat, vindicarent. Inter illos autem laudandus praesertim *Aulus Gellius*, quem Vossius (1) ad imperatoris Hadriani aetatem refert, plerique vero sub Antonino Pio maxime floruisse contendunt. Hic Romae ortus, atque Athenis litteris eruditus, grammaticorum et philologorum aetatis suae princeps habitus est. Exstant illius *Noctes Atticae* in xx libros distributae, quorum tamen octavus (2) et initium sexti desiderantur. Hoc nomine *Noctium Atticarum* opus suum inscripsit Gellius, propterea quod longinquis, ut ipse ait (3), per hiemem noctibus, in agro terrae Atticae hasce commentationes facere exorsus fuit. Quum autem multa in his philologica, critica, historica, philosophica, aliaque memoratu digna ex innumeris libris graecis et latinis collegisset, ipsis saepe usus veterum scriptorum dictionibus; stilus inde ortus est disparilis, purus interdum et concinnus: in quo tamen aliquot vitia notantur, atque in primis insolentes quaedam voces, quae certam sequioris aetatis notam referunt. Hoc igitur nomine Gellii lucubrationes praesertim sunt laudandae, quod in his antiquitatis thesaurus veluti delitescit.

Multum quoque ad antiquitatis historiam confert libellus *Censorini* grammatici *De die natali*, seu *De humana origine*, satis nitido stilo conscriptus. Veterum philosophiam et philologiam illustrant *Aurelii Macrobii Commentariorum* libri II *in Somnium Scipionis*, e tulliano opere

(1) De hist. lat., I, 19.

(2) Octavus hic liber xv capitibus continebatur, quorum argumenta solum ad nos pervenerunt.

(3) Lib. xx, cap. 11.

decerptum de republica, *Saturnaliorum* libri VII, et libellus *De differentiis et societatibus graeci latinique verbi;* nec praetermittendus *Martianus Mineus Felix Capella*, cuius legitur *Satyricon,* novem libris constans, partim soluta, partim numeris adstricta oratione. Ex his duo priores fabulam narrant *Nuptiarum Philologiae et Mercurii;* reliqui septem laudes continent grammaticae, dialecticae, rhetoricae, geometriae, arithmeticae, astronomiae et musicae.

In re autem grammatica praesertim elaborarunt, praeter *Frontonem*, de quo supra diximus (1), *Marius Victorinus*, *Aelius Donatus*, *Aelius Augustinus*, *Flavius Caper*, *Sextus Pomponius Festus*, *Nonius Marcellus*, *Velius Longus, Servius Maurus Honoratus*, *Flavius Sosipater Charisius, Diomedes*, *Priscianus*, *Consentius* aliique, quorum opera in unum corpus congesta primum edidit Elias Putschius (2), nuperrime vero Fridericus Lindemannus (3).

Hic satis erit de illustrioribus huiusce aetatis scriptoribus perquam breviter dixisse: omnes enim persequi infiniti operis esset, atque ab adolescentum rationibus alienum, quorum gratia noster hic omnis labor fuit susceptus. Ob hanc potissimum caussam ab illis etiam disputationibus abstinui, quibus recentiores in intimam litterarum latinarum rationem fusius inquirunt: eo vel maxime quod huiusmodi animadversionibus latissimus campus patebit in acroasibus, quibus maiorem huic historiae lucem atque amplitudinem accessuram confido. Caeterum eloquentiae studiosos vehementer hortabor, ut hanc litterarum latinarum haereditatem, quam a maioribus nostris accepimus, diligentissime tueantur (4), idque saepius animo reputent, Italos commodis suis perperam consuluisse, quotiescumque rerum suarum pertaesi externa et adventicia tantummodo sectarentur.

(1) Lib. IV, cap. 9. (2) Hannov., an. MDCV, in-4°.
(3) Lipsiae, an. MDCCCXXI, vol. 3 in-4°.
(4) In hanc rem vide sis orationem DE STVDIO LITTERARVM LATINARVM in libro, qui inscribitur: Thomae Vallaurii Orationes habitae in auditorio maximo R. Athenaei Taurinensis ab anno M.DCCC.XLII ad ann. M. DCCC. LII. Aug. Taurinorum, ex Offic. Reg. an. M.DCCC, LII in-8°

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

ALIQVOT MONVMENTORVM

LATINI SERMONIS VETVSTIORIS

CARMEN FRATRVM ARVALIVM.

. . . Deinde (sacerdotes) in aedem intraverunt, et ollas precati sunt, et osteis apertis per clivum iacuerunt; deinde subsellis marmoreis consederunt, et panes laureatos per publicos partiti sunt, ibi omnes lumemulia cum rapinis acceperunt, et deas unguentaverunt, et aedes clusa est: omnes foris exierunt: ibi sacerdotes clusi, succincti, libellis acceptis, carmen descindentes tripodaverunt in verba haec: « Enos Iases iuvate, » enos Iases iuvate, enos Iasès iuvate, neve luaerve marma » sins incurrere in pleores, neve luer ve marmar (si) ns incur- » rere in pleoris, neve luer ve marmar sers incurrere in pleoris. » Satur furere mars limen, (sal) e sta berber, satur fufere mars » limen sall sta berber, satur fufere mars limen, sall sca ber- » ber. (Sem) unis alternei advocapit conctos, -munis alternei » advocapit conctos, semunis alternip advocapit (conctos). Enos » marmor iuvato, enos marmor iuvato, enos marmor iuvato. » Triumpe, triumpe, triumpe, trium(pe, triu)mpe. » Post tripodationem deinde, signo dato, publici (servi) introierunt et libellos receperunt.

FRAGMENTA REGIARVM LEGVM.

Sei hemonem fulmin iobis occisit nei supera cenua tolidot, hemo sei fulmined occisus escit oloe iousta nula fieri oportetod.

Sei cuips hemonem loebesom dolo sciens morteid duit pariceidad estod sei em imprudens sine dolo malod occisit pro capited occisei et nateis eiius endo concioned arietem subicitod.

Pelecs asam iunonis nei tancitod sei tancod iunonei crinibos demiseis acnom feminam caiditod.

DVODECIM TABVLAE LEGVM DECEMVIRALIVM.

Tabula I de in ius vocando.

SIn ius vocatquEat: NIt, antestamino: igitur. em capito.
Si calvitur pedemve strVit, manum endo iacito.
Si morbus aevitasve vitium escit, quIn ius vocabit iumentum dato: si nolet, arceram ne sternito.
Si ensiet, qui in ius vocatum vindicit, miTito.
ASiduo vindex aSidVs esto: proletario cuique volet vindex esto.
Endo via rem, uti paicunt, orato.
NIta paicunt, in comitio aut in foro ab ortu ante meridiem causam conscito, cum perorant ambo praesentes.
Post meridiem praesenti stlitem aDicito.
Sol oCasus suprema tempestas esto.

Tabula II de iudiciis et furtis.

. . . . . vades subvades . . . .
extra quam si morbus sonticus . . . .
votum, absentia rei publicae ergo, aut status dies cum hoste intercedat: nam si quid horum fuat unum iudici arbitrove reove, eo die diFensus esto.

. . . .
Cui testimonium defuerit, is tertIs diebus obportum obvagulatum ito.
Si nox furtum faxit, sIm aliquis oCisit, iure caesus esto.
Si luci furtum faxit, sIm aliquis endo ipso capsit, verberator, iLique, coi furtum factum escit, aDicitor.
Servus virgis caesus saxo delcitor: Inpubes Praetoris arbitratu verberator noxiamque decernito.
Si se telo defensit, quiritato endoque plorato: post deinde si caesi escint, se fraude esto.
Si furtum lance licioque conceptum escit, atque uti manifestum vindicator.
Si adorat furto, quod nec manifestum escit, duplione decidito.
SIniuriAlienas arbores caesit, in singulas XXV aeris luito.
Si pro fure damnum decisum escit, furti ne adorato.
Furtivae rei aeternAuctoritas esto.

Tabula III de rebus creditis.

Si quid endo deposito dolo malo factum escit, duplione luito.
Si qui unciario fenere amplius funeraSit, quadruplione luito.
Adversus hostem aeternAuctoritas esto.

Aeris confeSi rebusque iure iudicatis XXX dies iusti sunto, Post deinde manus iniectio esto, in ius ducito. Ni iudicatum facit, aut quips endo em iure vindicit, secum ducito, vincito aut nervo aut compedibus, XV pondo ne maiore: at si volet minore, vincito.
Si volet, suo VIto; ni suo VIt qui em vinctum habebit, libras faRis endo dies dato: si volet, plus dato.
Ni cum eo pacit, LX dies endo vinculis retineto. Interibi trinis nundinis continuis in Comitium procitato, aerisque aestimiam iudicati praedicato.
Ast si plures erunt, rei tertis nundinis partis secanto: si plus minusve secuerunt, se fraudEsto: si volent, uls Tiberim pergere venum danto.

Tabula IV de iure patrio et iure connubii.

Pater insignem ad deformitatem puerum cito necato.
Endo liberis iustis vitae necis venum dandique potestas ei esto.
Si pater filium ter venundVit, filius a patre liber esto.
Si qui ei in decem mensibus proximis postumus natus escit, iustus esto.

Tabula V de hereditatibus et tutelis.

Paterfamilias uti legaSit, super pecuniae tutelaeve suae rei, ita ius esto.
Ast sIntestato moritur, cui sVs heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.
Si agnatus nec escit, gentilis familiam heres nancitor.
Si libertus intestato moritur, cui sVs heres nec escit, ast patronus patronive liberi escint, ex ea familia in eam familiam proximo pecuniADuitor.
Nomina inter heredes pro portionibus hereditarIs ercta cita sunto.
Ceterarum familiae rerum ercto non cito, si volent heredes, erctum faciunto: Praetor ad erctum ciendum arbitros tris dato.
Si paterfamilias intestato moritur, culnpubes suus heres escit, agnatus proximus tutelam nancitor.
Si furiosus aut prodigus existat, ast ei custos nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniavEius potestas esto

Tabula VI de dominio et possessione.

QVm nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupaSit, ita ius esto.
SInficias ierit, duplione damnator.

Statuliber emptori dando liber esto.
Res vendita transquedata emptori non adquiritor, donicum satisfactum escit.
Vs auctoritas fundi biennium:
aNVs VS esto.
Mulieris, quae aNum matrimonI ergo apud virum remansit, ni trinoctium ab eo usurpandi ergo abescit, usus esto.
Si quIn iure manum conserunt, secundum eum qui poSidet: ast si qui quem liberali causa manu adserat, secundum libertatem vindicias dato.
Tignum iunctum aedibus vineaeve ne concapEt ne solvito. Ast qui iunxit, duplione damnator. Tigna quandoque sarpta, donec demta erunt, vindicare ius esto.
Si vir mulieri repudium miTere volet, causam dicito harumce unam . . . .

Tabula VII de delictis.

Si quadrupes pauperiem faxit, dominus noxiAEstimiam oFerto: si nolet, quod noxit dato.
SIniuria rupitias . . . Ast si casu, sarcito.
Qui fruges excantaSit . . . . .
Qui frugem aratro quaesitam furtim nox pavit secuitve, suspensus Cereri necator. Impubes Praetoris arbitratu verberator noxiamque decernito.
Qui pecu endo alieno impescit . . . .
Qui aedes acervumve frumenti ad aedes positum dolo sciens Incensit, vinctus verberatus igni necator: ast si casu, noxiam sarcito. Si nec idoneus escit, levius castigator.
Si quIniuriam alteri faxit XXV aeris poenae sunto.
Si qui pipulOcentaSit carmenve conDISit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, fuste ferito.
Qui membrum rupsit, ni cum eo paicit, talio esto.
Qui eos ex genitali fudit, libero CCC servo CL aeris poenae sunto.
Qui se siri Testarier libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, improbus intestabilisquEsto.
Si falsum testimonium dicaSit, saxo deIcitor.
Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit . . .
Qui malum carmen incantaSit, malum venenum faxit duitve, paRicida esto.
Qui parentem necaSit, caput obnubilo culeoque insutus in profluentem mergitor.
Si tutor dolo malo gerat, vituperato, quandoque finita tutela escit, furtum duplione luito.
PatronuSi clienti fraudem faxit, sacer esto.

Tabula VIII de iuribus praediorum.

Ambitus parietis sextertius pes esto.
Sodales legem quam volent, dum ne quid ex publica coRompant, sibi ferunto.
De finium ratione lex incerta, ad exemplum legis . . . Atticae Solonis . . . , . .
Intra V. P. aeternAuctoritas esto.
Si iurgant adfines, finibus regundis Praetor arbitros tris aDicito.
. . . hortus . . . . .
. . . heredium . . . . .
. . . tugurium . . . . .
Si arbor in vicini fundum impendet, XV. P. altius sublucator.
Si glans in EM caduca siet, domino legere ius esto.
Si aqua oluvia manu nocet, Praetor arcendae aquae arbitros tris aDicito, noxaeque domino cavetor.
Via in poRecto VIII. P. in amfracto XVI. P lata esto.
Si via amsegetes iMinuta escit, qua volet, iumentum agito.

Tabula IX de iure publico.

Privilegia ne inroganto.
Nexo soluto, forti sanati siremps ius esto.
Si iudex arbiterve iure datus ob rem iudicandam pecuniam aCepsit, capital esto.
De capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto.
Quaestores paRicidI, qui de rebus capitalibus quaerant, a populo creantor.
Si quIn urbe coetus nocturnos agitaSit, capital esto.
Si qui perdueLem concitaSit civemque perdueLi transduit capital esto.

Tabula X de iure sacro.

. . . . . de iureiurando . . . .
. . . .
Hominem mortVm in Vrbe ne sepelito, neve urito.
Sumptus et luctum a DeorVManium iuREmoveto.
Hoc plus ne facito.
Rogum ascia ne polito.
Tribus riciniis et X tibicinibus foris eFeRe ius esto.
Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.
Homini mortuo oSa ne legito, quo post funus facias, extra quam si beLi endove hostico mortVs escit.
Servilis unctura omnisque circumpotatio auferitor.
Murrata potio mortuo ne inditor.
Ne longe coronae neve aceRae praeferuntor.

Qui coronam parit ipse pecuniave eius, virtutis ergo arguitor; et ipsi mortuo parentibusquEius, dum intus positus escit forisvEFertur, se fraude imposita fiet.
Vni plura funera ne facito, neve plures lectos sternito: neve aurum aDito. Ast si cui auro dentes vincti escint, im cum iLo sepelire uREve se fraudEsto.
Rogum bustumve noVm propius LX. P. aedis alienas si dominus nolet, ne adIcito.
Fori bustive aeternAuctoritas esto.

Tabula XI Supplem. V prior. Tabb.

Quod postremum populus iuSit, id ius ratum esto.
Patribus cum plebe coNubI ius nec esto.
. . . detestatum . . .. seu de sacris detestandis.

Tabula XII Supplem. V poster. Tabb.

. . . . . de pignere . . . .
Si qui rem, de qua stlis fiet, in sacrum dedicaSit, duplione decidito.
Si vindiciam falsam tulit, Praetor rei sive stlitis arbitros tris dato: eorum arbitrio fructi duplione decidito.
Si servus sciente domino furtum faxit, noxiamve noxit, noxae dedito.

INSCRIPTIO PRIMA SEPVLCRI SCIPIONVM.

Cornelius. Lucius. Scipio. Barbatus. Gnaivod. patre prognatus. fortis. vir. sapiensque — quoius. forma virtutei parisuma fuit — consol censor. aidilis quei. fuit. apud. vos — Taurasia. Cisauna Samnio. cepit — subigit. omne Loucana. opsidesque. abdoucit.

INSCRIPTIO COLVMNAE ROSTRATAE,

DVILIO POSITAE IN FORO.

(C. Bilios. M. f. cos. advorsum Cartacinienseis en Siciliad rem cerens, Ecest) ano's, cocnatos popli Romani, artisumad obsedeone d (e)xemet; lecion(eis cartacinienseis omneis m)aximosque macistr a)tos. I(ucaes bovebos relicteis no)vem, castreis exfociont. Macel(am moenitam urbem p)ucnandod cepet. enque eodem mac(estratod prospere r)em navebos mari consol primos c(eset, resmecosque c)lasesque navales primos ornavet pa(ravetque diebos LX, c)umque eis navebus (*sic*) claseis poe-

nicas om]nis paratasque s]umas copias cartacinienses, praesente(d maxumod d]ictatored o(lor)om, in altod m(a]rid pucnandod vicet, xxx) que na(veis cepe)t cum socieis, septe mresmomque ducis quinresm(osque triresm)osque naveis x(xdepreset. Auro)m captom numei clↃ clↃ clↃ DCC, (arcen tom captom præda numei cccIↃↃↃ c, (crave) captom aes cccIↃↃↃc *sic quindecies*) (pondod ; triomp]oque navaled prædad poplom (Romanom donavet, captivos) cartacini (enseis ince nuos duxet ante curum, primosque consol de sicel) ei(s claseque) cart acinienseom triompavet. Earum rerom erco s. p. q. r. ei hance columnam p.)

INSCRIPTIO SECVNDA SEPVLCRI SCIPIONVM.

Honc. oino. ploirume. consentiont. R(omae?)...
duonoro. optumo. fuisse. viro
Luciom. Scipione. filios Barbati
consol. censor. aidilis. hic fuet. a pud vos?)...
hec cepit. Corsica. Aleriaque urbe
dedet. Tempestatebus. aide. mereto.

SENATVSCONSVLTVM DE BACCHANALIBVS.

(Q.) Marcius L. f. S. Postumius L. f. cos. senatum consoluerunt, N. octob., apud aedem Duelonai Sc. arf. M. Claudi. M. f. L. Valeri. P. f. Q. Minuci. C. f. De Bacanalibus quei foideratei esent, ita exdeicendum censuere: nei quis eorum sacanal (*l.* bacanal) habuise velet. Sei ques esent, quei sibei deicerent necesus ese bacanal habere, eeis utei ad pr. urbanum Romam venirent, de que eeis rebus, ubei eorum utra (*l.* verba) audita eset, utei senatus noster decerneret, dum ne minus senatorbus (*sic*) C adesent (quom e)a res cosoleretur. Bacas vir nequis adiese velet ceivis romanus, neve nominus latini (i), neve socium quisquam, nisei pr. urbanum adiesent, ipse de senatuos sententiad, dum ne minus senatoribus C adesent, quum ea res cosoleretur, iousisent, (*l.* iousiset) censuere : sacerdos nequis vir eset, magister neque vir neque mulier quisquam eset; neve pecuniam quisquam eorum comoinem (h)abuise velet, neve magistratum, neve pro magistratuo neove (*l.* neque) virum neque mulierem quisquam fecise velet; neve posthac inter sed coniourase, neve comvovise, neve conspondise, neve compromesise velet, neve quisquam fidem inter sed dedise velet sacra in dqvoltod (*l.* oquoltod) ne quisquam fecise velet, neve in poplicod, neve in preivatod, neve extrad urbem sacra quisquam fecise velet, nisei pr. urbanum adieset, isque de senatuos sententiad, dum ne minus senatoribus C adesent, quom

ea res consoleretur, iousisent, (*l.* iousisset), censuere; homines plous V oinvorsei virei atque mulieres sacra ne quisquam fecise velet, neve interibei virei plous duobus, mulieribus plous tribus arfuise velent, nisei de pr. urbani senatuosque sententiad, utei suprad scriptum est. Haice utei in conventionid exdeicatis ne minus trinum nondinum, senatuosque sententiam utei scientes esetis, eorum sententia ita fuit. Sei ques esent quei arvorsum ead fecisent, quam suprad scriptum est, eeis rem caputalem faciendam censuere; atque utei hoce in tabolam ahenam inceideretis, ita senatus aiquom censuit, uteique eam figier ioubeatis, ubei facilumed gnoscier potisit; atque utei ea bacanalia, sei qua sunt, extrad quam sei quid ibei sacri est, ita utei suprad scriptum est, in diebus X quibus vobeis tabelai datai erunt, faciatis utei dismota sient in agro Teurano.

INDEX

LIBER PRIMVS.

AB ANTIQVISSIMIS TEMPORIBVS AD SYLLAE OBITVM QUI FVIT ANNO POST VRBEM CONDITAM DCLXXVI.

LIBER SECVNDVS.

A SYLLAE OBITV AD EXCESSVM AVGVSTI

Ab anno urbis conditae DCLXXVI, ad ann. DCCLXVII
(post Christum natum XIV).

LIBER TERTIVS.

AB EXCESSV AVGVSTI AD HADRIANVM.

Ab anno urb. cond. DCCLXVII (a Christo natum XIV) ad annum urb. cond. DCCCLXX (post Christ. nat. CXVII).

LIBER QVARTVS.

AB ADRIANO AD VRBEM AB ODOACRE EXPVGNATAM.

Ab anno urb. cond. DCCCLXX (a Christo natum CXVI)
ad annum urb. cond. MCCXX (post Christnm natum CCCCLXXVI).

JOANNIS ANTONII
VULPII
LIBER
DE SATYRÆ LATINÆ

natura & ratione, ejuſque Scriptoribus qui ſuperſunt,

HORATIO, PERSIO, JUVENALE:

Ubi eorum virtutes & vitia æqua lance perpenduntur; tempora Juvenalis, contra veterum & recentiorum errores, accurate notantur & ſtabiliuntur.

ITEM

Ejuſdem VULPII Paraphraſis perpetua, & Commentarius uberrimus

IN X. SATYRAM JUVENALIS.



PATAVII. CIↃ IↃ CC XLIV.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

SUPERIORUM PERMISSU.

VIRO ILLUSTRISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

MARCO FOSCARENO,

EQUITI,

D. MARCI PROCURATORI,

TRIUMVIRO ACADEMIÆ PATAVINÆ CURANDÆ,

Joannes Antonius Vulpius.

CUR Libellum hunc meum, illuſtri tuo nomine ornatum ac munitum in lucem prodire optaverim, duæ cauſſæ fuerunt, MARCE FOSCARENE, Vir

Amplissime; altera, quod te permagno æstimarem, altera, quod tibi deberem plurimum. Tua sunt quidem ejusmodi omnia, ut suspici & laudari mereantur: Nobilitas Gentis vetustissima, lautum Patrimonium, Décora nobilitatem ac divitias consequi solita; tres Legationes clarissimæ, nempe ad Romanum Pontificem, ad Cæsarem, ad Regem Sardiniæ, quas magnifice, sapienter, feliciter sustinuisti; Præmia splendidissima, quibus te Veneta Respublica optime de ipsa meritum auxit & cumulavit. Hæc tamen quæ sola miratur populus, nunc sepono ac prætermitto, aliis opportune commemoranda & celebranda relinquens. Mihi ratio potissimum illorum habenda est quæ a paucis in te animadverti & cognosci possunt; cum studiis vero nostris proxime conjuncta sunt. Eloquentia scilicet, qua præstas, Bo-

næ Litteræ, quas colis, pectus Philosophiæ præceptis imbutum, Historia Civilis, quæ Decemvirûm Capitalium decreto tibi scribenda commissa est, Litteraria item Patriæ tuæ, quam diligentissime paratam, & luculente perscriptam habes, opus a nemine adhuc tentatum, varium, doctum, laboriosum; Scripta doctorum virorum omnis ævi, quæ undique collecta, in Bibliotheca elegantissima & multorum nummorum, honeste atque opipare domi tuæ excepisti; excellens denique Ingenium tuum, ac Mores probatissimi, me impulerunt, ut has qualescumque paginas tibi offerrem, callido & prudenti harum rerum æstimatori; quæ laus hoc tempore quo rarior, eo præstantior, & gloriosa magis haberi debet. Quum igitur omnes qui in Gymnasio Patavino, cujus tu procurationem haud ita pridem suscepisti, disciplinas

docent, de tuis virtutibus præclare ſentiant; tum ego in primis, ad hanc politiorem Humanitatem profitendam, te favente ac conciliante, olim vocatus, quanti te facerem, & quam accepti beneficii memor eſſem, certo aliquo teſtimonio ſignificare ac declarare volui, quod obſervantiæ & grati animi erga te mei perpetuum monumentum eſſet. Neque ſane Commentarius hic noſter de Satyra & Satyricis Poetis (ut, Vir ſapientiſſime, intelligis) ab Hiſtorici perſona & munere longe abhorret: habent enim Hiſtoria & Satyra plura communia; quod e ſuperiore loco propediem ſum oſtenſurus. Porro quum Satyram dico, Horatianam dico, urbanam, lenem, vitæ hominum corrigendæ accommodatam; non iſtam agreſtem, aſperam, feram, immanem, qua vitia potius irritantur quam tolluntur:

hæc

hæc nimirum Satyra non improbitati ſolum, ſed etiam virtuti atque innocentiæ infeſta & ſuſpecta eſt; quærit enim ſemper quod reprehendat, & niſi invenerit, comminiſcitur. Si quis autem rerum humanarum contexere Hiſtoriam velit, neque tamen de malis & ſtultis verbum ullum facere, inanem profecto cogitationem ſuſcipiet, atque operam omnino ludet: vitia enim erunt donec homines: πλεῖστοι autem κακοὶ, ut eſt in Græcorum παροιμίᾳ. Neceſſe eſt, Hiſtoricum res ejuſmodi idemtidem narrare quas Democritus Abderites ridebat ſuo tempore, Heraclitus Epheſius contra deplorabat: neceſſe eſt, illum ita deſcribere homines ut accepit; nævis inſignes, & morbis animorum ſemper affectos. Ne igitur Hiſtoria, brevis nimium & jejuna ſit; ne, mutatâ naturâ ſuâ, in laudationem evadat; ne

fi-

fidem omnem & auctoritatem amittat, bona & mala facinora simul comprehendere debet: virtutes tamen clarissima luce collustrare, vitia surripere quodammodo & obscurare dicendo. Haud mediocris igitur similitudo, immo necessitudo, Historiæ cum Satyra intercedit. Hæc tu me omnia præceptis & exemplo tuo satis docere potes: iccirco autem commemoravi, ut nonnullorum censuram effugerem, qui me ineptiarum crimine facile accusare potuissent, tamquam si nugacem Libellum & dissentaneum, ad Virum nobilissimum, eumdemque gravissimum mittere ausus fuerim. Te interea, flos Venetæ nobilitatis, oro atque obsecro, ut quum semel in fidem & clientelam tuam humaniter me receperis, adversus conatus malevolorum fortiter tueri pergas: qui enim honesto labore plerisque antecel-

limus,

limus, telis patemus eorum qui sequuntur, neque assequi tamen possunt. Deus Optimus Maximus te incolumem atque fortunatum, Reipublicæ ac Litterarum bono, servet quam diutissime.

A U-

A U C T O R

AD LIBRUM SUUM.

LIBELLE *noſter, ſive inepte, ſeu frugi,*
Prodi libenter, ac pudore dimiſſo.
Quid lumen horres? quid manus reformidas?
Audacium nunc tempus eſt libellorum.
Scribit Minervâ, cerne, vulgus invitâ,
Nec penſitando conterit bonas horas,
Nec eligendo: ſed diu laboratas
Chartas avorum ſpernit, ac moram limæ.
Hæc ſumma voti, ſi quis inter auctores
Recenſeatur, ſi modo ambulet notus,
Et perfricata fronte dixerit, Scripſi.
At negliguntur, atque pulvere oppleti,
Mucore turpes, non inutiles blattis,
Nullo excitante dormiunt dies, noctes:
Vel in tabernis, anguliſque proſtantes,
Tegunt cucullo capparim, piper, ſcombros.
Fatemur ultro: ſed parit voluptatem,
Quum ſtulta laudat ſcripta lector indoctus,
Operculum patellâ (ut autumant) dignum;
Recteque balbi verba percipit balbus.
Hæc tu, Libelle, cernis, ac times lucem?
Crevere pennæ: quid foves piger nidum?

Vaga-

AUCTOR AD LIBRUM SUUM.

Vagare per patentes aeris campos,
Tuo arbitratu compita & forum lustra.
Cœtus favebit si frequens amicorum,
Qui olim tuos tulere contubernales,
Ne sume magnos spiritus: amor fallit.
Verum vaganti cœtus alter occurret
Severiorum amara turba censorum,
Loliginis quos ater inficit succus;
Hos alloqui memento sic meis verbis:
Herus quiescit noster, & fugit lites,
Satis beatus si malus quidem scriptor,
Contra bonus vir audiat: quæ avis rara:
Sed masculâ fert turgidum jecur bile,
Et novit, unde sit petenda lorica,
Ut hostium tela arceat venenata:
Non est inermis, & potest remordere.
Tenet jocosi carmen & sales Flacci;
Et Persii præcepta, vimque Aquinatis.
Malum proinde, me, cavete, perlecto.
Heri, Libelle, sic agas tui caussam,
Nec jussa venti differant: abi felix.

JO-

JOANNIS ANTONII VULPII

LIBER

DE SATYRÆ LATINÆ

natura & ratione, ejusque scriptoribus qui supersunt, Horatio, Persio, Juvenale.

Caput Primum.

Duæ sententiæ de Satyræ nomine. Satyra Latinorum, Satyrico poemati & Sillis Græcorum quodammodo affinis. Quid significet Satura. *Vetustioris Satyræ, & novæ seu Lucilianæ differentia. Prior illa fuit δραματική. Livius Andronicus quid in eam contulerit. De fabulis Atellanis, exodio, exodiariis. Lucilius novam Satyram vel condidit, vel certe propagavit. Definitio Satyræ Lucilianæ a Daniele Heinsio proposita. Ea τυπωδῶς primum explicatur.*

Unde Satyra nomen traxerit, summa eruditorum hominum dissensione cer-

tatur. Duæ tamen ſententiæ potiores videntur: de quibus Diomedes Grammaticus, atque alii. Una eſt, eam a Satyris, diis agreſtibus & petulantibus, vocatam fuiſſe: quodammodo enim ſimilis eſt Satyricæ Græcorum poëſi, de qua ſuo loco dicemus. Quamvis enim Satyra Romanorum, δρᾶμα non fuerit, nihilominus δράματι Satyrico aliqua ex parte reſpondet: ſalibus enim jociſque mordacibus abundat, quæ Græci appellant σκώμματα: ſicuti etiam Satyricum illud δρᾶμα olim abundabat, cujus veſtigia non obſcura deprehendimus adhuc in Cyclope Euripidis: & idemtidem perſonas alias, præter perſonam poetæ, loquentes inducit, vel inter ſe, vel cum poeta ipſo. Exempla hujus rei peti poſſunt ex Horatio, Perſio, Juvenale. Qua perſonarum introductione, formam Dramatis μέχρι τινὸς trahere videtur. Eſt etiam Latinorum Satyra ſimilis admodum Sillis Græcorum, quo ſcribendi genere acri & maledico excelluit antiquis temporibus Timon Phliaſius. Ἀπὸ τῶ Σατύρων derivatum eſt verbum σατυρίζειν: ἀπὸ τῶ σίλλων vero, σιλλαίνειν; ut docet Euſtathius ad librum 8. Homericæ Iliados. Utrumque horum verborum ſignificat διασύ-

ρειν

μεῖν & γελοιάζειν, nimirum *satyrice illudere ac deridere*. Neque alia sane ratione, a vetere Comœdia, quæ improbos homines acerbissime lacerabat, dicebantur κωμῳδεῖν qui alios perstringerent atque morderent. Plutarchus autem in Vita Catonis majoris narrat, Socratem fuisse σατυρικὸν & ὑβριστὴν, *satyricum & derisorem*. Porro, si hanc ἐτυμολογίαν probemus, dicemus, Satyram esse a Σάτυρος, mutato genere, scilicet eo pacto quo Græci dicunt ὁ χάρτης, Latini *charta*. Neque illud prætermittendum est, Satyricum δρᾶμα etiam *Satyros* vocatum fuisse, a personis quæ in illo colloquebantur.

Alteram vocabulo Satyræ originem præbere videtur nomen vetus Latinum *Satura*, quo significabant rerum variarum commixtionem, & quasi farraginem. Nam & hujusmodi carmen varia complectitur argumenta, omnesque fere hominum actiones considerat, carpit, sugillat. Cum farragine certe comparare non dubitavit Juvenalis Satyra 1. v. 85.

Quicquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri farrago libelli.

Non semper autem vituperant Satyrici poe-

tæ: interdum etiam laudant. quo fit ut virtutes quoque hominum haud raro commemorent, non vitia tantum insectentur. Hæc ἐτυμολογία quum Satyræ novæ, nempe Lucilianæ, convenire potest, tum maxime convenit Satyræ mediæ, de qua postea; nimirum Ennii ac Terentii Varronis Satyræ: cujus erat non modo argumentum varium & multiplex, verum etiam oratio ipsa. Nam ea utebantur Ennius & Varro, quemadmodum Petronius quoque Arbiter, modo soluta, modo ligata: neque metro uno contenti erant, sed plura versuum genera adhibebant: quod olim fecerat Chæremon in Hippocentauro, ut notum ex Aristotele περὶ ποιητικῆς. *Satura* porro videtur dicta fuisse a *saturitate*, sive abundantia. Hæc etiam significatio a Græcis non obscure derivatur. Nam σατήροι sunt σκάφαι βοτρύων παρὰ Λάκωσιν, Hesychio teste in Lexico: *vasa racemorum secundum Lacedæmonios*. Neque tamen soli racemi vasibus his seu lancibus continebantur, sed etiam omnis generis poma: unde illas vocabant παγκάρπους.

Hæc altera opinio de hujus vocabuli origine Donato Grammatico non placet; qui a Satyris diis petulantibus omnino appella-

tam

tam contendit. Gerardus tamen Joannes Voſſius, vir apprime doctus, contra Donati ſententiam, hanc alteram ἐτυμολογίαν cenſet probabiliorem. Animadvertit enim, Satyræ uſum obtinuiſſe apud Romanos jam ante tempora Livii Andronici, poetæ vetuſtiſſimi: tametſi ea valde rudis, ac tantum inchoata tunc eſſet. Incomto autem illo ſæculo non videtur inſtituta ad exemplum Satyrorum Græcorum. Neque in eo poemate Satyri interloquebantur: ſed in id congerebantur joci, opprobria, ſannæ, ridicularia, quiſquiliæ omnis generis. Adde, quod nondum e Græcia litteræ atque artes advenerant ad excolendam (an ad corrumpendam?) urbem Romam: quod accidit demum everſa Corintho. Quum igitur neutri harum opinionum deſit quo ſuſtineri poſſit, hanc litem, non maximi ſane momenti, ſub judice relinquendam exiſtimo.

Plurimum diſcrepat Satyra illa vetus atque incondita, qua Romani utebantur ante Livium Andronicum, a nova ſive Luciliana. Naturam illius plane cognoſcere non poſſumus niſi prius exponamus quomodo nata & primum uſurpata fuerit. T. Livius Patavinus Hiſtor. libro 7. narrat, an-

no U. C. CCCLXXXIX. institutos fuisse ludos scenicos ad petendam pacem deorum, quum pestilentia Romæ laboraretur. In his ludis convicia quædam alterna jactabantur ex tempore, sine ulla prorsus meditatione. Aberat quoque carmen, aberat σύστημα, aberat ὑπόκρισις, nempe artificium actionis. effutiebant quicquid in buccam. Postea versus impolitos, Fescenninorum similes, fundere cœperunt, dicaces, maledicos. Acciti deinde ex Hetruria ludiones, qui, quod *hister* Hetrusca lingua ludionem significaret, histriones etiam dicti. Hi paullatim decoram & aptam pronuntiationem, gestuumque imitationem addiderunt, modis inventis, & descripto ad tibicinem cantu. Ita Satyra exorta est: quæ nihilominus usque ad tempora Livii Andronici poema rude fuit atque extemporale. Certum igitur est, Romanam Satyram primo scenicam fuisse ac δραματικήν. Quamobrem Horatius Epistola 1. libri 2.

Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit.

Ex his cognosci potest, veteres illos rudibus ejusmodi poematis ad Græcorum σατυρικὸν δρᾶμα quodammodo accessisse: nam in scena convicia jactabant, sicut & Græci.

Sed

Sed erat insignis differentia: quia Romanorum Satyra Satyros deos non admittebat.

Livius Andronicus demum primus fuit qui ab hisce ludicris atque ineptiis ad fabularum argumenta spectantium animos transtulerit. Cujus rei testes locupletes producere possumus Livium Patavinum libro 7. & Valerium Maximum libro 2. Memorabilium capite 4. Fabulæ argumentum nihil aliud est quam plurium eventuum series apto quodam ordine contexta, & ad unum finem tendens: qui ordo efficit ut fabula sit una, ad spectatores docendos magis ac detinendos. Eo potissimum tempore actores a poeta distingui cœperunt. Antea enim, qui versuum auctores erant, eos in scena etiam recitabant: quæ cura translata est ad histriones. Porro quum ludus in artem paullatim vertisset, juventus Romana histrionibus quidem fabellarum actum reliquit; sed ipsa inter se, ab antiqua consuetudine non discedens, ridicula intexta versibus jactitare cœpit: quæ postea dicta sunt *exodia*. Inserebantur vero in fabulas, præsertim Atellanas. Hoc genus ludorum ab Oscis acceptum juventus Romana sibi proprium fecit, neque ab histrionibus pollui passa est. Atella oppidum

Oscorum fuit, unde nomen fabulæ Atellanæ. Inter ludendum porro, primâ, mediâ, & extremâ fabula, solebant scurræ urbani prodire in scenam cum cithara, aut psalterio, ubi ridicularia fundebant: illa vero dicta risum excitantia, si ante fabulam proferrentur, dicebantur εἰσόδια, si mediâ fabulâ, ἔμβολα, si ad finem fabulæ, ἐξόδια. Tradit Diomedes Grammaticus lib. 3. Latinam Atellanam a Græca Satyrica differre, quod in Satyrica fere Satyrorum personæ inducerentur, aut si quæ essent ridiculæ Satyrorum similes; Autolycus puta, aut Burris: in Atellana Oscæ quædam personæ; ut Maccus. Exodium Atellanum continebat jocos non serviles, at ingenuis dignos, & Italica quadam gravitate temperatos, a quibus turpitudo & obscœnitas abesse debebat. Propterea (id quod Livius animadvertit) *mansit institutum, ut actores Atellanarum nec tribu moverentur, & stipendia, tamquam expertes artis ludicræ, facerent*. Nam alioqui (ut notum ex titulo 2. libri 3. Pandectarum Juris Civilis) histriones sive actores fabularum inhonestæ personæ habebantur, & infamia notabantur: carebant jure suffragii, neque poterant militare. Credibile

le tamen est, processu temporis Atellanas etiam corruptas fuisse, ac nequitias omnes, absque ullo delectu, exprimere cœpisse. Nam exodiarii certe male audiebant. Iccirco Gerardus Vossius putat, hujusmodi homines a Julio Firmico perstringi lib. 6. Matheseos hisce verbis: *Cum effeminati corporis mollitie cinædos efficient, & qui veterum fabularum exitus in scenis sæpe saltantes imitentur*. Qui sunt, rogo, *veterum fabularum exitus*, nisi ἐξόδια? Scribendis Atellanis valde inclaruerunt Q. Novius, L. Pomponius Bononiensis, & Mummius: ex quorum fabulis fragmenta nonnulla adhuc leguntur.

Vetere Satyra exolescente, nova paullatim successit. Nimirum hoc nomine appellari cœpit maledicum poema, veteris Comœdiæ non dissimile, vitia & vitiosos per ora hominum traducens atque irridens, verum extra scenam. Hunc morem primus Lucilius induxit; quod Horatius & Quinctilianus testantur: vel si novæ Satyræ is inventor non fuit, certe illa scribenda gloriam primus omnium adeptus est. Fecit autem unius carminis plures libros, quos omnes conjunctos Donatus in Prolegomenis Te-

Terentii, *poeſin* appellat. Ab hoc nova Satyra, Luciliana etiam jure ac merito vocari poteſt. Hujus novæ Satyræ definitionem; ſeu deſcriptionem potius (in his enim rebus accurata definitio vix locum habet) valde probabilem attulit Daniel Heinſius, vir in litteratura ſummus, libro 1. de Satyra Horatiana: *Satyra eſt poeſis, abſque eventuum ſerie, ad purgandos hominum animos comparata, in qua vitia humana, ignorantia, errores, tum quæ ex his cauſſis oriri ſolent, in ſingulis hominibus, partim dramatico, partim ſimplici, partim mixto ex utroque genere dicendi, occulte ut plurimum ac figurate perſtringuntur; ſermone conſtans humili ac familiari, nonnumquam acri & dicaci, nonnumquam urbano & jocoſo: quibus rebus odium, indignatio, vel riſus excitatur.* Hanc Satyræ definitionem ab Heinſio propoſitam explicabimus primum τυπωδῶς & pinguiore Minerva, deinde ἀκριβέστερον & diſtinctius.

Eſt itaque Satyra nova ſeu Luciliana *poeſis* quædam, *ſine eventuum ſerie*. Hac differentia potiſſimum, a legitimo dramate & numeris omnibus abſoluto Satyra ſeparatur. Nam & Satyri Græcorum, & Comœdia,

mœdia,

mœdia, & maxime Tragœdia eventus continent plures, qui sunt membra & partes actionis unius, circa quam fabula versatur. In Romana Satyra nulla est actio, &, quod sequitur, nulla fortunæ commutatio, seu περιπέτεια: quæ tamen Comœdiæ atque Tragœdiæ anima, ut ita dixerim, est. Satyra enim primo ac per se spectat mores; quos dramatici poetæ post fabulam sive actionem considerandos suscipiunt.

Dicimus porro, Satyram *ad purgandos hominum animos comparatam esse*. Est enim ad τὴν καθαρτικὴν καὶ ἐλεγκτικὴν philosophiam tota referenda. Mores enimvero perfici non possunt nisi antecesserit emendatio vitiorum. Sequitur in definitione: *In qua vitia humana, ignorantia, errores, tum quæ ex his caussis oriri solent, perstringuntur*. Hæc verba *adæquatum*, ut vulgus philosophorum loqui amat, Romanæ Satyræ *subjectum* continent. Primo Satyra *perstringit vitia*, non quælibet, sed *humana*, quæ nimirum opponuntur virtutibus humanis: nam si quæ sint vitia ferina & immania, ea Satyræ propositum & argumentum excedunt. *Ignorantia* etiam hominum, Satyræ scriptores exercet: nam & ipsa vitium est mentis humanæ,

manæ, & multorum ridiculorum fons & origo; quemadmodum & innumeri errores, falſæque perſuaſiones. Porro fœtus uberrimi *vitiorum*, *errorum*, atque *ignorantiæ* ſunt pœnæ, infortunia, abſurda. Dicimus, *in ſingulis hominibus*: nam Satyra non eſt poema φιλοκάθολον, quod videlicet univerſe vitia perſequatur: id enim ſi fiat a Satyrico, umbram & ſcholam redolet, ſeu declamandi conſuetudinem: cujus rei exempla multa in Satyris Juvenalis. Utitur autem Satyra *dramatico* interdum *genere dicendi*, nonnumquam *ſimplici*, aliquando *ex utroque mixto*. Dramaticum dicendi genus ab Horatio plerumque adhibitum fuit, præſertim in Satyris libri ſecundi: ſimplex, in pleriſque Juvenalis apparet: mixtum ex dramatico & ſimplici, in tertia Juvenalis, & in quinta libri primi Horatii, ubi iter quoddam ſuum deſcribit. *Occulte ut plurimum* ludit Satyra; hoc eſt cum diſſimulatione, εἰρωνικῶς, ac *figurate*. Plures autem formæ ſunt obliquæ ac figuratæ orationis. Conſtat Satyra *ſermone humili ac familiari*: cujuſmodi eſt Horatianus. quare autem hunc ſermonem adhibere debeant Satyrici, ſuo loco docebimus. *Acer* idemtidem hic ſermo

eſt:

eſt: quo tamenetſi Horatius raro admodum utitur, nihilominus ipſe de ſe fateri non dubitat:

Sunt quibus in Satyra videar nimis acer ——

Addimus, *dicaci*. Nempe Satyrici poetæ quando leniter & placide loqui videntur, inexſpectata dicacitate pungere ac lædere ſolent. *Urbanum* autem Satyræ *ſermonem* eſſe oportet: in quo præcipue poſita eſt ἐπιδεξιότης illa ſive dexteritas, quæ vel præcipuum munus eſt Satyricorum, & qua Horatius mirifice excellit: intelligit enim optime, quæ, qualia, & quomodo dicat quum jocatur: id autem intelligere, pertinet ad urbanum. Porro Satyra *excitat odium*, in vitia nimirum & improbos homines: *indignationem* etiam ſeu νέμεσιν, quum bene aut male eſſe indignis videmus: *riſum* denique, ut remedium paretur adverſus triſtiores affectus odium atque indignationem, & animi lectorum auditorumque a ſeveritate ad hilaritatem traducantur. Singula quæ hac definitione Satyræ continentur, enucleatius jam exponemus.

CAPUT II.

Satyra nova Latinorum, est poema sine eventibus. Ad quam philosophiæ partem pertineat. Morum purgationis tres fuerunt species apud antiquos, Pythagoræa, Socratica, Stoica. Romanorum disciplina, inculta & robusta. Socrates in vitiis corrigendis lenis atque urbanus. Rationis καθαρτικῆς exempla varia. De materia Satyræ.

EST igitur nova Satyra Latinorum, poesis quædam sine eventuum serie ac nexu, qui eventus certam aliquam & unam actionem constituant. Hæc est nimirum præcipua differentia quæ Satyros Drama Græcorum, Comœdiam item ac Tragœdiam distinguit a Satyra de qua loquimur. Illa enim poemata plures eventus complectuntur, arte atque ordine connexos, unde absolvitur fabula. Quamobrem ut in illis fabula pars prima est ac necessaria, ita in Satyra, nulla est. Porro Satyri, sive Satyricum Drama, quod Græci usurpabant, actionem quidem continebat, non tamen eamdem quæ in Comœdia actionis mutationem,

tionem. Multo minus in Satyra nostra Tragicam περιπέτειαν, sive fortunæ inconstantiam & volubilitatem, animadvertere licet: sine qua, Tragœdia placere vix potest: hæc autem ex eventibus oritur, quomodo ex moribus laus & vituperatio. in quibus Romana Satyra primo ac per se versatur. Enimvero Damasippus & Catius apud Horatium libro 2. Sermonum, in scenam quasi inducuntur, & agere videntur; sic tamen ut neutri quicquam eveniat: contra quam fit in Aristophanis Comœdia cui *Nebulæ* nomen; ubi, præter alia non pauca, Socratis domus incendio corripitur. Idem fere nihilominus propositum fuit Horatio in duabus Satyris memoratis, quod Aristophani in ea Comœdia: ut enim hic Socratem irridendum sumit, eodem pacto ille Damasippum Stoicum, & Catium Epicureum.

Diximus vero, Satyræ σκοπὸν esse *animi purgationem*. Quo significavimus, hoc poematis genus ad καθαρτικὴν τε καὶ ἐλεγκτικὴν φιλοσοφίαν omnino referendum esse; videlicet ad eam quæ purgat, & ad eam quæ castigat. Mores enim perfici atque expoliri non possunt nisi antecedat vitiorum emendatio. Propterea sapienter Boethius libro 3. de

Con-

Consolatione Philosophiæ Metro 1.

Qui serere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,
Falce rubos filicemque resecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.

Hujus autem purgationis morum, sive expiationis, tres numerant species antiqui, Pythagoræam, Socraticam, & Stoicam. Pythagoræa, mitior ac lenior, nonnihil indulgere vitiis videbatur: non enim vitia statim tollebat, sed paullatim infirmabat. Hujus purgationis exemplum insigne habemus Ofellum rusticum, apud Horatium Satyra 2. libri 2. qui voluptati non bellum quidem indicit, vel usum ejus omnino prohibet, sed potius eam defæcat, moderatur, & moderando efficit jucundiorem: *voluptates* enim, quod & Juvenalis pronuntiavit, *commendat rarior usus*. Hac suavi purgatione in corporibus etiam curandis nonnumquam utebantur veteres medici, idque dicebant σμικρῷ ἔλαττον, *paullo minus*. Erraverunt iccirco qui Sermones Horatii quum interpretarentur, tradiderunt, Ofellum istum Stoicæ disciplinæ addictum fuisse. Nam ipse (ut animadvertit Daniel Heinsius) omnem philosophorum sectam ejurat, liberque a di-

ctatis

ctatis magiſtrorum, ſolam rationem ac rerum experientiam conſulere videtur. Quamobrem ab Horatio appellatur

Ruſticus, abnormis ſapiens, craſſaque Minerva.

Abnormis, in hoc verſu ſignificat ἀνάγωγον, ἀδίδακτον, ſeu potius αὐτοδίδακτον, cui præceptor nullus fuit, & qui ſibi ſoli ſapientiam debet. Miram propterea ſimplicitatem atque ingenuam Ofello tribuit Horatius, candorem eximium; qualem deprehendere ſolemus in iſtis patribus familiarum, ſui negotii bene gerentibus, illitteratis quidem; ſed longo rerum uſu probe ſubactis; qui nihil de ſchola trahunt, vel de ineptiis philoſophorum. Etiam patrem ſuum, libertini generis hominem, inducit poeta Sat. 4. libri 1. v. 115. philoſophiæ præcepta ſe ignorare fatentem, in moribus tantum & inſtitutis majorum ſervandis retinendiſque haud mediocriter exercitatum. Ita enim, ad filium:

— — — Sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, cauſſas reddet tibi: mî ſatis eſt, ſi
Traditum ab antiquis morem ſervare, tuamque,

Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum — — —

Sapientia hæc simplex & popularis, tamquam media, & ab omni affectatione aliena, Damasippi & Catii præceptis opponitur a poeta Venusino. Judicium etiam tanti scriptoris in eo elucet maxime, quod quum Græculorum sectas putidas & inanis gloriolæ plenas commemoraturus postea esset, hominis Romani primo incultam & robustam disciplinam, gerris omnibus tantisper sepositis, describere voluerit: quæ sine ulla morum institutione aut accuratis præceptionibus, in actione sola consisteret, quemadmodum olim & Lacedæmoniorum. Nam Romani magnifice admodum, ne dicam arroganter, de civium suorum virtute senserunt, exteris omnibus fere contemtis. Quinctiliani testimonium afferre placet ex libro 12. Instit. Orat. capite 2. *Quantum*, inquit, *Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis*. Etiam Floridus quidam, vetus poeta, in Catalectis, Romanorum virtutem καθ' ὑπερβολὴν ita extulit:

Sperne mores transmarinos. mille habent offucias.

Cive

Cive Romano per orbem nemo vivit rectius.

Quippe malim unum Catonem, quam trecentos Socratas.

Ceterum, ad lenem illam & mitem animi purgationem de qua ſermo nobis inſtitutus eſt, ea certe ſpectant:

Alter, ubi, dicto citius, curata ſopori
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.
Hic tamen ad melius poterit tranſcurrere quondam;
Sive diem feſtum veniens adduxerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus: ubique
Accedent anni, & tractari mollius ætas
Imbecilla volet -- -- -- -- --

Sic autem de ſe ipſo bonus iſte Ofellus:

Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus; bene erat, non piſcibus urbe petitis,
Sed pullo atque hædo. tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.
Poſt hoc ludus erat cupa potare magiſtra.

Ac venerata Ceres ut culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractæ seria frontis.

In quibus verbis ea suavitas, is Latinæ dictionis nitor, eæ Veneres insunt, ut qui non sentiat neque animadvertat, nihil profecto sentiat, atque ad hæc studia nostra ineptissimus haberi debeat. Ofellus hoc sermone rigorem nimium & ἀδιαστρεψίαν Stoicorum prorsus aspernatur, qui homini humanitatem quodammodo eripere conabantur. Sapientem, contra, & frugi patrem familias præ se fert, qui nec voluptate interdiceret, ut Stoici; neque nimiam concederet, ut eo tempore Epicurei: præterea fastum illum refugeret quem tantopere in plerisque falsi nominis philosophis urbani & elegantes homines riserunt semper, cordati & graves reprehenderunt. Sane Plato ipse hujusmodi sophistas libro de Republica sexto vocat δυσκοινωνήτους, δυσξυμβόλους, & ἀγροίκους, hoc est ad societatem & convictum hominum ineptos, duros insuper & agrestes: His autem opponit urbanos & horarum omnium philosophos, quos comiter ἐμμέτρους appellat & εὐχάριτας. Hi scilicet noverunt modum, & Gratiis litaverunt. Talem fuisse Ofellum, ipsa res docet. Quapropter Horatius

Ofel-

Ofelli verbis loquitur eodem pacto quo Socratis verbis divinus Plato. Primo igitur loco ponitur a poeta.

Sequuntur duæ ſectæ philoſophorum, quarum una hiſpida & ſtrigoſa, nimio rigore, alia mollis ac diſſoluta, remiſſione nimia modum excedebat. De quarum altera, nempe de Stoicorum, in Satyris illis agit Horatius in quibus Damaſippi & Davi perſonas loquentes introducit: de altera vero, Epicureorum, in Satyra 4. libri 2. ubi Catium oblique irridet.

Sed, ut ad propoſitum redeamus, purgationis ſive expiationis modus alter ille eſt quem tribuunt Socrati; vocare autem poſſumus cum Heinſio ἀφ' ὁμοίων ἐφ' ὅμοια· *a ſimilibus ad ſimilia*. Hujuſmodi purgatio lenitatis plurimum atque urbanitatis in ſe continebat. Vitiis enim tollendis, quod vitio affine ac ſimillimum eſt, interdum commendabat. Socrates, verbi cauſſa, ut noxium amorem ac turpem ex animis adoleſcentium evelleret, ſe quoque amatorem profitebatur. Hoc vero minus animadverterunt docti quidam viri: propterea infandum crimen παιδεραστίας homini optimo impoſuerunt. In Convivio Xenophontis parens

ille philosophiæ lenonem se ipse appellat. Eodem pacto, si quem voluptati nimium deditum vidisset, continuo veram voluptatem indicabat: si quem ad rem plus æquo attentum, veras solidasque divitias miris laudibus efferebat; ut ex Platonis Dialogis manifestum. Suavissima profecto corrigendi ratio hæc est; quæ scilicet invitos non trahit, sed volentes atque illectos ducit: non exstirpat vitia cum vitiosorum dolore, sed eluit cum quadam jucunditate.

Tertiam purgandi viam secuti sunt Stoici, e regione Socraticæ oppositam. Hi enim ut maxima vitia ex animis hominum eradicent, ne minima quidem inesse patiuntur. Disputant enim atque concludunt, peccata omnia paria esse: adulterium puta vel homicidium a contumelia vel mendacio (qua peccata sunt) nihil differre. Immo, ut peccandi materiam omnem & fomitem auferant, affectiones quoque ipsas malas esse docent, ac propterea longe abjiciendas: inducunt porro celebrem illam ἀπάθειαν, quam recto rationis usui, animique tranquillitati necessariam omnino esse contendunt. Verum sapientiores & humaniores philosophi, quomodo sit utendum affecti-

bus

bus, & qua potissimum ratione ad habitum virtutis perducendi sint, pulchre demonstrant: non enim frustra hos motus, has propensiones animorum hominibus indidit ipsa natura. Quos philosophos imitari placuit Horatio: Stoicorum autem purgationem Persius probavit. Erat enim severis moribus & austeris, quos ex disciplina Cornuti Stoicæ sectæ philosophi adolescens hauserat. Neque solum scribenda Satyra hanc rationem καθαρτικὴν adamavit Venusinus poeta, verum etiam in alio scriptionis genere. Libellus de Poetica hunc modum servat; quem libellum oscitantes homines perperam inscripserunt *Artem*. quum censura sit potius quam ars: sive, ut Græci melius dicunt, οὐ τέχνη, ἀλλ' ἔλεγχος: non enim κατὰ θέσιν, seu ponendis præceptis, verum κατ' ἄρσιν, seu vitiis tollendis & removendis, futurum poetam instituit. Quemadmodum fit in secundo Alcibiade Platonis, ubi non tam ostenditur quid requiratur ad recte precandum, quam improbarum & noxiarum precationum exempla afferuntur: quod Satyrici maxime proprium est. Ita se institutum cura parentis a teneris unguiculis, Horatius fatetur Satyra 4. libri 1.

—— —— —— —— Liberius ſi
Dixero quid, ſi forte jocoſius, hoc mihi juris
Cum venia dabis.. inſuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quæque notando.
Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo quod mî ipſe paraſſem:
Nonne vides, Albî ut male vivat filius, utque
Barus inops? magnum documentum ne patriam rem
Perdere quis velit. a turpi meretricis amore
Quum deterreret, Sectani diſſimilis ſis.
Ne ſequerer mœchas, conceſſa quum Venere uti
Poſſem, Deprenſi non bella eſt fama Trebonî,
Ajebat —— —— —— —— —— ——

Et paullo poſt:

—— —— —— Avidos vicinum funus ut ægros
Exanimat, mortiſque metu ſibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria ſæpe
Exterrent vitiis —— —— —— —— ——

Quæ legitima profecto eſt animorum expiatio, ſeu κάθαρσις, quam & ipſe Flaccus in Sermonibus ſuis ubique ſecutus eſt.

Di-

Diximus deinde in definitione Satyræ: *In qua vitia humana, ignorantia, errores, tum quæ ex his caussis oriri solent, perstringuntur*. Hæ res nimirum sunt materia Satyricis proposita. Primum quidem vitia; non quælibet, sed humana: sunt autem hujusmodi quæcumque humanis opponuntur virtutibus. ea enim vituperantur in homine. Quod si aliquod sit vitium ferinum, quale vitium θηριωδίαν Aristoteles vocavit, non videtur idoneum Satyræ argumentum esse posse. Hoc a contrario satis manifestum est. Ut enim divina virtus proprie non laudatur, sed honore afficitur, si philosophum audimus; eodem pacto feritatem non vituperamus, sed abominamur, ut ne verba quidem de illa fieri coram nobis æquo animo patiamur. Nam ferini mores non sunt in homine ab habitu, sed præter illum: in bellua vero non sunt præter rationem, siquidem ratio locum in bellua non habet: iccirco non vituperantur. Multo minus rideri feritas, vel urbane traduci potest. Risus enim læta quædam est ac festiva vituperatio: iccirco res horribiles risum excitare nullo modo possunt. Talia sunt scelera τῶν ἀνθρωποφάγων, eorum scilicet qui hu-

humana carne vescuntur. Propterea Juvenalis in Satyra decimaquinta, seu quisquis est auctor ejus poematis, hoc scelere accurate describendo, contra Satyræ leges vehementer peccavit. Ridiculum autem ut in Comœdia veteri primas tenuit, sic in Romana Satyra: quod & Lucilius, & Horatius exemplo suo confirmaverunt.

CAPUT III.

Ignorantiæ duplex genus. Pœna, qua pœna est, Satyræ materia esse non potest. Absurdorum exempla. Reprehensionem singulorum, propriam esse Satyræ. Persius, tamquam φιλοκάθολος, ab Heinsio notatus. Dicendi ratio varia in Satyra. Vitia occulte ac per ambages a Satyricis perstringi. Orationis figuratæ plura genera. Potentium metus Satyricæ licentiæ modum imponit. Lucanus quam callide Neronem irriserit.

PERGAMUS in explicanda Romanæ Satyræ definitione. Diximus, *vitia*, *ignorationem*, atque *errores*, item *ea quæ ex vitiis*, *ignoratione*, atque *erroribus nascuntur*, Satyræ proposita esse ad *perstringendum*, tamquam

quam uberrimam lepórum & ridiculorum materiam. Hic profecto campus eſt Satyricorum. Lucilius in Satyris olim ſuis, quarum pauca tantum fragmenta hodie ſuperſunt, fere totus fuit in malis Grammaticis & Poetis irridendis ac divexandis. Alter etiam Satyrarum liber Q. Horatii adverſus ineptas philoſophorum opiniones conſcriptus eſt. Nec adeo, malorum poetarum ineptis carminibus parcit: verum urbane admodum & facete illa traducit: ſicuti Lucilius Accium, Ennium, & reliquos eorum temporum, in opere longo interdum dormitantes, neque ad amuſſim exactos, tetigerat. Duplex porro eſt ignoratio: κατ' ἕξιν ſeu διάθεσιν una, ut eam vocavit Ariſtoteles: κατ' ἀπόφασιν altera. Prior, illa eſt quæ opinione veri, falſum tuetur: poſterior, quæ principia ipſa ignorat; neque iccirco in hominem eruditum cadit, ſed indocti vulgi propria eſt. Ignorationem primi generis plerumque Satyrici exagitant; quod ſolebant & poetæ Comœdiæ veteris apud Græcos: alterius generis, perquam raro. Nihilominus eam alicubi attingit Ariſtophanes: nam hujuſmodi ἄπειρος & ἀμαθὴς inducitur ab eo in ſcenam Strepſiades quidam.

dam. Ea vero ſpecies ignorationis ut ridicula eſſe poſſit, nihil tamen peccat in ſcientiam, vel artem: quum homines κατ' ἀπόφασιν ignorantes, numquam exiſtiment aut profiteantur ſe ſcire quod neſciunt. Quare Plato in Alcibiade priore vocat illam ἀναμάρτητον: neque enim ea ignoratio fallitur, nec fallit. Quonam enim pacto fallatur, aut fallat, quæ principia omnino ignorat; ſcit etiam, ſi diis placet, ſe ignorare? Contra ignoratio κατ' ἕξιν ſeu διάθεσιν, convinci aut notari non poteſt niſi a doctiſſimis. Vulgus enim hominum ψευδοφιλοσόφους & ψευδοποιητὰς cognoſcere non ſolet: ac ſi interdum, quaſi per caliginem, cognoſcat & deprehendat, reprehendere tamen & confutare non valet. Ingenio ſiquidem, judicio, doctrina, exercitatione opus eſt, ut quis παραλογισμοὺς errantium, aptis validiſque argumentis diſſolvat & labefactet.

Additur in definitione Satyræ: *Tum quæ ex his cauſſis* (nimirum ex vitiis, ignorantia, erroribus) oriri ſolent. Ex vitiis conſequuntur ærumnæ, calamitates, pœnæ: ex ignorantia & erroribus ἀδύνατα vel ἀπεμφαίνοντα: Latine dicas, ea quæ fieri nullo modo poſſunt, & præterea abſurda. Exemplum in-

fortunii

ſortunii ſeu calamitatis fuerit Fabius in adulterio deprehenſus. Exemplum pœnæ, Galba, qui aliena uxore corrupta, caudam ſalacem ſub cultro relinquit: Vilius etiam, qui pugnis ac ferro cæditur. Hic autem animadvertere velim ſtudioſos, pœnam qua pœna eſt, Satyræ materiam eſſe non poſſe: nam pœna homini facinoroſo inflicta neque odium, neque indignationem, neque riſum movet, ſed commiſerationem potius quamdam: humanum enim eſt, etiam peccantium, & juſtas pœnas dantium miſereri; quamquam id Stoicis non placet. Verum ideo riſus interdum excitatur pœna commemoranda, quoniam ea facit in mentem venire commiſſi delicti, cui περιστάσεις quædam ridiculæ conjunctæ ſunt. Hujuſmodi porro delictum eſt adulterium, benigna ſemper & uberrima ſeges ridiculorum: de quibus videndus Horatius Satyra 2. libri 1. Exemplum ἀδυνάτων & ἀπεμφαινόντων, *impoſſibilium* ſcilicet atque *abſurdorum*, hoc fuerit: Si quis ex propoſita Epicuri doctrina colligat, hunc vel illum cibum ad bene beateque vivendum conferre plurimum: aut e Zenonis Stoicorum parentis pronuntiatis, eodem loco habendum qui gallum gallinaceum, &

qui

qui patrem suum occidat: quæ profecto sunt ἄτοπα & ἀπίθανα, quum rectæ rationi & communi sensui adversentur.

Definitioni addimus: *In singulis hominibus*. Enimvero Satyricorum reprehensiones omnibus eodem vitii genere laborantibus universe accommodari quidem possunt: nam quod in Euclionem avarum belle convenit, in omnes peræque avaros convenire potest: verum in singulos torquentur. Et Satyra hoc proprium habet, qua Satyra est. Hanc autem reprehensionem singulorum accepit Romana Satyra a vetere Græcorum Comœdia. Nam in ea olim summos etiam in republica viros poetæ nominatim tangebant: quod quum lex postea lata severe interdixisset, ut huic legi impune fraudem facerent, eo confugerunt maledici poetæ, ut, nominibus omissis, personas seu larvas induerent illorum simillimas quos in scena traducere, & populo irridendos proponere voluissent. id porro appellabant αὐτοπροσώπως κωμῳδεῖν. Unde lites, controversiæ, inimicitiæ ingentes oriebantur, sæpe cum auctorum pernicie. Hæc autem sumtio personarum seu larvarum aliena est a Satyra: neque enim Satyra choragium habet, vel apparatum

para-

paratum, ficuti habent Dramata. Perfonæ autem feu larvæ pertinent ad ὑπόκρισιν & apparatum. Supereft igitur ut verbis rem agat, vellicetque improbos homines non καθόλου, five univerfe, fed καθ' ἕκαστον, nempe fingillatim. Propterea Daniel Heinfius, vir interioribus litteris inftructiffimus, libro 1. de Satyra Horatiana, jure ac merito Perfium, auctorem alioqui doctiffimum & moribus utilem, notat, quod fe φιλοκάθολον præftet in Satyra: pauciffimos enim συγχρόνους, nempe ætatis fuæ homines, perftringit: fed plerumque θετικοῖς utitur nominibus, cujufmodi nomina funt apud veteres Jurifconfultos Titius & Sejus: apud Ariftotelem fæpe Socrates: quæ fcilicet doctrinæ atque exempli cauffa inducuntur. Quædam etiam a Perfio ufurpata nomina, e Satyris Horatii fumta funt. Exiftimat igitur Heinfius, Perfianam Satyram totam, poefin effe umbraticam, imbellem, edentulam, utpote ad pompam magis & oftentationem, quam ad veram pugnam comparatam. Fortaffe autem adolefcens φιλοσοφώτατος exercendi ftili gratia id opus elaboraverat, cui morte prohibitus manum ultimam imponere non potuit. Eamdem rationem fervavit fere Juvenalis,

venalis, qui a superioribus ætatibus non semel nomina mutuatur. Hoc sane & ipse fatetur in calce Satyræ primæ:

---- *Experiar*, inquit, *quid concedatur in illos*

Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

Pollicetur, se dicturum de vita functis potius quam de viventibus: viventes enim acerbis carminibus lædere, præsertim si rerum potiantur, ingenti periculo non caret. Sed profecto veris nominibus parcere, umbram redolet ac scholam, in primis autem declamandi consuetudinem. Juvenalis porro, ex declamatore factum se poetam repente, Satyra 1. testatur; ubi etiam caussas mutati propositi diligenter exponit. Horatius contra, quum rebus ipsis contentus esse posset, maluit nomina ponere: *Est*, inquit,

Est inter Tanaim quiddam, socerumque Visellî.

Poterat autem commodùm, herniosi universe, ac spadonis mentionem facere, nec viventium cuiquam ruborem incutere. Hoc vero Satyricum est.

Sequitur in definitione: *Partim dramatico genere dicendi*. Hoc genere, Horatii Satyræ fere omnes conscriptæ sunt; sed præcipue

cipue quæ altero libro continentur: Persii & Juvenalis paucissimæ. Damasippus profecto, Catius, Tiresias, Davus, & Nasidienus, Satyræ libri 2. utuntur diverbio, tamquam in Comœdia. Priapus vero, nempe Satyra 8. libri 1. μονοπρόσωπος est, hoc est personæ unius; quæ tamen persona non est poeta, sed Deus hortorum ipse, quem Satyricus ideo loquentem inducit, ut de ineptissima suorum temporum religione sibi ludos faciat; clam tamen, & per ambages.

Additur in definitione: *Partim simplici dicendi genere*. Simplex dicendi genus in Satyra est illud quo poeta ipse loquitur ex persona sua, nemine præterea introducto ad loquendum, vel ad colloquendum. Apud Horatium, Satyra prima, secunda, tertia libri primi sunt hujusmodi: aliæ præterea. Pertinent ad hoc genus multæ quoque Juvenalis.

Dicimus deinde: *Partim mixto genere dicendi*. Leguntur enim Satyræ quædam ubi poeta incipit quidem ipse loqui, sed mox alium inducit verba facientem aut secum, aut cum quolibet. Atque hoc genere utentes poetæ Satyrici, similes fiunt quodammodo Epicorum, qui quum ipsi narrationem

exorſi fuerint, ſubinde aliarum perſonarum verba referunt: quod videre eſt apud Homerum, Virgilium, ceteros heroici poematis auctores quum Græcos, tum Latinos. Ad hoc mixtum dicendi genus pertinent pleræque Satyræ Juvenalis, nonnullæ item Auli Perſii.

Satyra porro *occulte ut plurimum*, vitioſos atque errantes perſtringit: nimirum, per ambages, & cum quadam diſſimulatione. Hoc autem præcipue Horatius excellit, εἰρωνείαν illam Socraticam imitatus.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Verba ſunt Perſii; qui optime quidem calliditatem Horatianam & animadvertit, &, ut æquum erat, admiratus eſt; non tamen illi exprimendæ par fuit. Nimiam enim morum ſeveritatem hauſerat, partim a natura, partim ab educatione, & diſciplina Stoicorum. Lucilius contra in Satyris, ut Juvenalis teſtatur, ſæpius in homines improbos enſem ſtringebat, eoſque acerbius inſectabatur. Cujus fidelem imitatorem ſe præſtat idemtidem Juvenalis ipſe, qui declamationum oblivıſci nequit, ſæpius capit

arma

arma facundiæ; irascitur, debacchatur, tonat, fulminat, neque omnino novit dissimulare.

Addimus, *figurate*, sive, ut Græci loquuntur, ἐσχηματισμένως. Orationis vero figuratæ genera sunt plura. Qui figuris utuntur in dicendo, vertunt quodammodo sermonis faciem. Propterea Græci σχήματα vocant λόγων στροφάς, nempe involutos sermones atque inversos: & qui hoc modo loquendi utuntur, eos dicunt στρέφεσθαι. Suetonius alicubi figuram appellat occultum atque ambiguum orationis genus. Tempore quo tyranni regnabant, hanc orationem usurpaverunt meticulosi scriptores, velum prætendentes dicacitati suæ, & aliud scribentes, aliud intelligi volentes: hæc scilicet oratio inversa & involuta, Satyrici mucronis, ut ita dixerim, vagina erat. Non tamen hoc præsidio tuti semper fuerunt a malorum principum crudelitate. Hermogenes Tarsensis, propter quasdam in Historia figuras, a Domitiano, imperatore sævissimo, de medio sublatus est, librariis ipsis qui descripserant, in cruce suffixis: quod Suetonius narrat. Hujusmodi figuratum sermonem viri doctissimi nonnulli agnoscere

fibi videntur in illa magnifica προσφωνήσει qua Lucanus, poeta ingeniosissimus, libro 1. Pharsaliæ, Neronem, bipedum tæterrimum, alloquitur. Sic enim illum extollit laudibus, ut interea εἰρωνικῶς traducat, odiumque lectoris in ipsum concitet. Nimirum iis temporibus hæ solum reliquiæ supererant veteris libertatis: ea tamen conditione, ut si deprehensi scriptores fuissent, capite pœnas darent. Quod & Lucano tandem contigit. Hujusmodi tectis jocis Mimi præcipue atque Atellanæ abundabant. Sermonem dubium atque ambiguum adhibentes, Græce dicebantur ἐπαμφοτερίζειν. Exemplum insigne hujus διλογίας observat sæpe laudatus Daniel Heinsius in versibus Lucani de quibus paullo ante mentionem fecimus. Quum enim Nero strabo esset, nempe oculis perversis atque distortis, callide admodum & vafre Lucanus dicit:

Unde tuam videas obliquo sidere Romam.

Obliquum illud *sidus* figurate designare videtur vitium oculorum in principe. Dialogi ab Æschine Socratico olim conscripti, quos injuria temporum amisimus, his dicendi figuris & ambagibus pleni erant. Jam de vario stili Satyrici charactere, & de multiplici Satyrarum effectu dicendum est.

CA-

CAPUT IV.

Sermo humilis & familiaris convenit Satyræ. Horatii stilus & Juvenalis, in Satyra, inter se discrepant. Argutiæ declamatorum. Persii κατακρήσεις, audaces. Horatius sæpe dicax, raro acer. Urbanitas, quid. Horatii propria. Scurra differt ab urbano. Odium, indignatio, risus a Satyricis excitantur. Indignatio, duplex. Ridiculum, indignationis remedium. Venusti & ridiculi natura plane diversa. Satyri Græcorum, Comœdia vetus, Romana Satyra, poemata affinia fuere. Homerus origo ultima Satyrici stili, ut & ἰδεῶν omnium καὶ χαρακτήρων. Plato dicacitatem & urbanitatem unde hauserit. Menippi, Cynici philosophi, Satyræ.

VENIO jam ad ea verba definitionis Romanæ Satyræ: *Constans humili & familiari sermone.* Hic sermo qualis esse debeat, monstravit nobis Horatius & præceptis & exemplo suo. Fatetur siquidem ipse de se, humilem stilum in Satyris suis adhibuisse: quapropter, poetam quoque se esse negat.

-- -- *Neque*, ait, *si qui scribat*, *uti nos*,
Sermoni propiora, *putes hunc esse poetam*.

Quod tamen aut modestiæ ipsius tribuendum, facultatem suam extenuantis: vel poetæ nomen eo loco ita accipiendum est, ut intelligamus poetam sublimis & generosi spiritus, cujusmodi sunt Lyrici & Epici: qua significatione Homerus κατ' ἐξοχὴν appellatur sæpius a Græcis ὁ ποιητής. Raro autem Juvenalis, auctor ceteroqui egregius, tenuem hunc stilum adhibuit in Satyris: vel quia earum argumenta elegit copiosa & magnifica, adeo ut Satyræ modum excedant; vel propter declamandi usum, cui ab adolescentia innutritus fuerat. Declamatores enim os valde diducebant, nec tenuia & quotidiana ferre ullo pacto poterant. Acuta solum sectabantur, quæ a naturali sermone absunt quam longissime. Profecto enim qui sponte loquitur, atque ut natura fert, acuta dicta non inculcat; quæ affectationem scilicet atque artem requirunt. Sermo est indicium & argumentum animi: animus porro ὡς ἔχει, utque affectus est, talem sermonem exprimit. Celebris est Aristotelis doctrina, enthymemata in sermone affectibus nocere: (iccirco Demosthenes, qui mirum

rum in modum ἐνθυμηματικὸς est, non adeo felix deprehenditur in concitandis affectibus) præterea exquisitis argutiis παθητικὴν orationem omnino corrumpi. Tollunt videlicet primam dicendi virtutem, veritatem puta cum simplicitate conjunctam. Quod minus cavit Juvenalis: ingenio enim ubique indulget, acutisque sententiis nimium delectatur. Sed & alia caussa est quamobrem a tenui stilo & familiari plerumque abhorreat Juvenalis: nimirum propter versuum rotunditatem, qui non serpunt humi, sicut Comicorum & Horatii; sed exquisite facti sunt, atque ad Epicorum magnitudinem proxime accedunt. Persii porro liber altius etiam assurgit quam scripta Juvenalis. Cujus translationes & καταχρήσεις, ut Danieli Heinsio videtur, audaces valde sunt, neque solum humilis orationis fines, verum & poeticæ non raro prætergrediuntur.

Sequitur in definitione, *Nonnumquam acri & dicaci*. Acri quidem, in quo regnat Juvenalis; non enim vellicat, sed confodit: & plerumque ingenti verborum pondere objurgat. Horatius perquam raro acrem sermonem usurpat; neque tamen omnino excludit, quum ipse profiteatur:

Et sermone opus est modo tristi, sæpe jocoso.
ita tamen ut ridiculo primas deferat:

-- -- -- -- -- *Ridiculum acri*
Fortius & melius, magnas plerumque secat res.

Deinde *dicaci*. Teste Quinctiliano Instit. Oratoriæ lib. 6. cap. 3. *Dicacitas a dicendo, quod est omni generi commune; ducta est: proprie tamen significat sermonem cum risu aliquos incessentem. Ideo Demosthenem urbanum fuisse dicunt, dicacem negant*. Hoc sermonis genere Horatium excelluisse, res omnibus manifesta. Reliqui Satyrici non assequuntur. Etiam quum aliud agit, παρὰ προσδοκίαν subito dicax est: quod multis exemplis facile ostendere possem, nisi ad alia properarem. Juvenalis quibus locis dicacitatem Horatii voluit imitari (voluit autem paucis) affectationem & κακοζηλίαν haud effugit.

Pergamus in definitione explicanda: *Nonnumquam urbano & jocoso*. Prima virtus ingenui & elegantis est urbanitas. Qui hac præstant, noverunt cum hominibus versari quomodo oportet: illos enim oblectant potius quam lædunt. Ἀστειότητα propterea sive *urbanitatem* in virtutibus ὁμιλητικαῖς numerat summus magister Aristoteles, nempe in iis quæ ad cœtum & congressum pertinent.

Eam

Eam appellat etiam ἐπιδεξιότητα, hoc eſt *dexteritatem:* nam urbanus homo nihil ἄκαιρον vel ἄτοπον efferre ſolet: ſed omnia perſonis, locis, temporibus convenientia. Hanc porro ſibi legem in jocando ponit, ut totidem audire ab eo in quem jocatur, libentiſſime ſit paratus. Itaque ſi quid Horatio apud Mæcenatem lepide atque urbane dictum excidit, æquo animo id tulit Mæcenas: nam & ipſe urbanus fuit, atque urbanis delectabatur. Si quis vero in joco modum excedit, non ἀστεῖος vel *urbanus* appellandus eſt, verum βωμολόχος, & Latine *ſcurra*: quem Horatius ipſe ita deſcribit Satyra 4. libri 1.

-- -- -- -- -- Dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et quodcumque ſemel chartis illeverit, omnes
Geſtiet a furno redeuntes ſcire, lacuque.

Quis porro Venuſinum poetam jocis & urbanitate non dico ſuperet, verum adæquet? Certe Perſius & Juvenalis citra ejus lepóres longiſſime ſubſiſtunt. Id autem ſciunt ſtudioſi, qui umquam inter hos tres poetas comparationem inſtituerunt.

Concluditur demum Latinæ Satyræ definitio his verbis: *Quibus rebus odium, indignatio, vel riſus excitatur.* Ariſtoteles Tra-

gœdiæ

gœdiæ tribuit metum & misericordiam, tamquam proprios affectus: nos Romanæ Satyræ, odium, indignationem, risum. Primo quidem odium. Nonnumquam odio singulos prosequitur qui Satyram legit, puta Cælium ac Byrrhum latrones, Sulcium & Caprium delatores. Cum telo enim ambulare, viatores aggredi, spoliare, percutere, occidere: item calumniari bonos, iisque præsens capitis periculum creare, odiosum omnino est. Nonnumquam odit improbos universe, quum scilicet nemo singillatim vel nominatim perstringitur, sed vitium ipsum exagitatur.

Indignatio duplex est. Una quam Aristoteles *νέμεσιν* vocat: quum dolemus, indignis bene esse. hæc autem affectio hominibus generosæ mentis valde familiaris. Juvenalis, exempli caussâ, fatetur, se ad scribendam Satyram sola fere indignatione compulsum. Hujus indignationis caussas ita exponit:

Patricios omnes opibus quum provocet unus,
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat:
Quum pars Niliacæ plebis, quum verna Canopi

Cri-

Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas,
Ventilet æstivum digitis sudantibus aurum,
Nec sufferre queat majoris pondera gemmæ,
Difficile est Satyram non scribere -- -- --

Et merito sane. Vix enim alium affectum invenias quem ita difficile reprimere & concoquere possis. Cives enim boni & amantes patriæ cum improbis & facinorosis hominibus aperte inimicitias gerunt, vitamque sibi acerbam putant si quemquam eorum ad opes, ad potentiam, ad reipublicæ administrationem iniquo suffragio evectum viderint. Hujusmodi se profitetur M. Tullius Epistola 6. libri 2. *Nosti*, inquit, *non modo stomachi mei, cujus tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum, in hominum insolentium dignitate fastidium*. Nonne Democritus ille Abderites physicus philosophus, vir maximo ingenio,

Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,
Oculos effodere ut posset splendore æreo?
Ita radiis Solis aciem effodit luminis,
Malis bene esse ne videret civibus.

nisi mendax fuit, vel nimis credulus Laberius, qui hanc rem tradit apud A. Gellium lib. 10. cap. 17. Ob eamdem caussam nonnulli mortem ipsi sibi consciverunt.

Exem-

Exempla exſtant apud Ciceronem in Oratione pro Sextio, & Philippica 2. item apud Tacitum Annalium libro 6. Apte igitur indignationem Horatius vocavit liberrimam Epodo 4. quod carmen ſcripſit in Pompejum Menam, Pompeji Magni libertum, hominem ſubito divitem, atque adeo ſuperbum & contumelioſum.

Videſne ſacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?

Alteram indignationem Græci vocant ἀγανάκτησιν: is autem affectus efficit, ut vitia, & propter ipſa quidem, ægro animo averſemur: quod a Satyra non eſt alienum.

Poſtremo videndum eſt nobis de riſu, quem diximus lectione Satyræ excitari. Etenim

Aut prodeſſe volunt, aut delectare poetæ,
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.

Qui Naſidienum Horatii legit, a riſu temperare non poteſt. In ea certe Satyra Horatius antiquam Comœdiam expreſſit. Nam in vetere illa Comœdia μεθόδους duas Critici agnoſcunt, alteram amari, alteram ridiculi. Animadvertunt porro, quemadmo-

dum

dum amara & acria mores castigent atque emendent', indignatione scilicet excitanda: ita ridiculum adhiberi tamquam solatium & remedium indignationis'. A mera enim tristitia & acerbitate humanum ingenium abhorret. Propterea jucundis immixtis detinendi sunt fastidiosi lectores. Fontes ridiculorum plures omnino sunt. De his exstat disputatio L. Cæsaris apud Ciceronem libro 2. de Oratore; at, quod magnopere dolendum, subinde abstrusa. Utinam exstarent quæ de hoc argumento summus philosophus & rhetor Aristoteles monumentis litterarum mandaverat. Male nonnulli confundunt venusta cum ridiculis: quum utrorumque natura plane sit diversa. Hujus rei argumentum esse potest ipsa Tragœdia, quæ plurima quidem χαρίεντα admittit, seu gratiarum plena: respuit autem γελοῖα, ridicula. Nam Tragœdiæ nihil inimicius risu. Quem si veteres Tragici movere voluissent, ejus poematis naturam penitus corrupissent: ex Tragœdia enim Satyri facti essent, poema petulans & dicacitate insigne. Præterea Terentius venustus est, χαρακτήρων & morum quos exprimit suavitate insignis; ridiculus non item.

Ex

Ex historia quam de origine ac processu Romanæ Satyræ attulimus, clarius autem ex ejus definitione, quænam proprie sit ipsius materia, quæ item forma, satis apparere existimo. Porro ea quæ formâ inter se plurimum conveniunt, quemadmodum similia sunt, ita & dicuntur. Hujusmodi fuerunt Satyri Græcorum, Comœdia vetus, Romana Satyra. Quorum poematum aliud ex alio vel ortum est, vel incrementum accepit. Tolle fabulam & actionem ex antiqua Comœdia, quæ res magnitudinem ipsi conciliant, ejusque naturam constituunt, cum Horatii Satyra plane conveniet. Eodem enim instrumento hæc Satyra imitatur, puta sermone & metro: reliqua enim ad scenæ apparatum solum pertinebant. Imitatur etiam plane eosdem: deteriores videlicet. Nonnumquam etiam eodem modo: agendo nimirum, seu δραματικῶς, ut superius ostendimus. Præterea mores, & sententias, & dictionem quasi eamdem & affectus habet: quæ omnia pertinent ad formam. A qua forma Persius & Juvenalis haud raro discedunt: Lucianus autem in Dialogis & aliis libellis, Julianus Imperator in Misopogone, seu Barbæ osore, tum in Cæsa-

Cæſaribus, L. Seneca in Apocolocyntoſi propius & felicius ad eam accedunt. Salſi enim ſunt omnes, ac feſtive mordaces: neque ſtilo confodiunt, ſed leviter pungunt: quam præcipuam eſſe laudem Ariſtophanis & Horatii, facile animadverti poteſt.

Neque hoc loco diſſimulaverim, ejus etiam formæ originem ultimam Homerum eſſe, poetarum parentem ac principem. Urbanitas enim & dicacitas in Homeri carminibus paſſim occurrit. Quum Diomedes (ut hoc potiſſimum exemplo utar) ingens Veneri vulnus inflixiſſet, Minerva cavillata in eam lepidiſſime jocatur; ſiquidem ait, Græcæ mulieris fibulâ, inter demulcendum, id factum. Jocus porro venuſtior accidit quoniam Venus Trojanis favebat, Græcoſque omnes impenſe oderat. Iccirco recte Ariſtoteles exiſtimavit, in Homeri mente prope divina ſcriptorum omnium ἰδέας ϗ χαρακτῆρας delituiſſe: quos paullatim poſteri expreſſerunt, quum ex illo ſemina ſumſiſſent. Ridiculi forma & idea non ſolum in vetere Comœdia & Satyris, verum etiam in omni genere auctorum ſparſa & diſſeminata erat. Quamobrem ſæpius in Platone, accurato veteris Comœdiæ lectore,

ſe

ſe prodit. Deus ille philoſophorum venuſta jocandi & ſuaviter diſtringendi facultate mirifice excellit, quam ex Ariſtophanis Dramatis, tum e Sophronis Dialogis, quos aſſidua lectione ſibi familiariſſimos reddiderat, præcipue hauſiſſe exiſtimatur. Quam urbana ſunt quæ torquet in leves atque ineptas Sophiſtarum delicias, ὁμοιοπτέλευτα, ceteraſque hujuſmodi nugas! Perierunt porro Dialogi veterum Socraticorum, qui plane in hoc genere palmam tulerant. Æſchinem Socraticum in primis Critici laudant. Verum præ omnibus mordaces fuere Cynici philoſophi: quod manifeſtum eſt ex jocis Diogenis, de quibus tam multa veteres. Menippus quoque, canis & ipſe appellatus, qui ſectam Diogenis profeſſus eſt, Satyricis ſcriptis inclaruit: quæ omnia, præter pauca fragmenta, interciderunt. Apud Latinos M. Terentius Varro Menippi dicacitatem expreſſerat, libellis compoſitis quos Satyras Menippeas nominavit. Verum de Terentio Varrone, ejuſque Satyra, media inter veterem & novam, copioſius poſtea ſum dicturus. Ex Menippi fontibus etiam Horatium hauſiſſe non pauca, putat Daniel Heinſius. Quoniam vero in ſuperioribus non ſemel Saty-

rici

rici Græcorum Dramatis mentio a nobis facta est, deinceps naturam ejus & constitutionem breviter exponemus.

CAPUT V.

Satyricum Drama Græcorum, ludens Tragœdia. Certamina Tragicorum poetarum. Nomen unde acceperit Satyrica fabula. Satyrorum & Silenorum differentia. Histriones nonnulli, Satyri appellati. Satyrici Dramatis definitio a Casaubono proposita. Ejus poematis origo, & processus. Personæ. Sermo lascivus & procax, qui auctores in periculum adduceret. Tragœdia cum Satyris aliquando conjuncta. Magnitudo Græcæ Satyræ, dictio, metrum, saltatio, apparatus. Silli, maledicum poema, quo differrent a Satyris. Timon Phliasius, Demetrius Chalcenterus, alii Sillorum scriptores. Archilochus, Hipponax, ἰαμβογράφοι.

SATYRICUM igitur δρᾶμα Græcorum, erat illis temporibus accessio quædam Tragœdiæ, ac tamquam πάρεργον, exhilarandis animis tam tristi spectaculo afflictis prudenter adhibitum.. Ludentem Tragœdiam

vocare poſſes. Tragici poetæ fabulis a ſe conſcriptis de palma certabant: non autem ſingulis, verum ternis aut quaternis; in quibus hæc Satyra poſtremum locum obtinebat. Si ternis inter ſe dimicarent, vocabant τριλογίαν: ſi quaternis, τετραλογίαν. Hujuſmodi porro certamina Theſpide, qui Tragœdiæ fuit inventor, jam vita functo celebrari cœperunt. id teſtatur Plutarchus in Solone. Satyrica poeſis hoc nomen accepit a Satyris: quos deos induxit loquentes: erant enim maxime idonei ad homines docendos pariter atque delectandos: quæ duo præcipua ſunt munera poetarum & poematum. Sciendum eſt, veteres tribuiſſe agreſtibus hiſce diis occultam quamdam ſapientiam, Silenis præter ceteros. Hæc apta erat ad docendum & inſtituendum: figura vero turpis ac ridicula, morum laſcivia & dicacitas, riſui movendo comparata fuerunt. Satyros & Silenos Bacchi comites credebant. Hoc autem differunt Satyri & Sileni; quod Satyri quum ſeneſcerent, priore nomine abjecto, Sileni inciperent appellari. Sunt qui tradant, Silenos, utpote majores natu, Bacchi educatores & pædagogos fuiſſe; Satyros, colluſores. Quamobrem Virgilius

gilius Ecloga 6. Silenum inducit canentem de natura universi, rerumque principiis, & antiquissimis historiis sive fabulis. Ut autem a Satyris nomen Satyra sumsit, eodem pacto a Silenis vocati sunt Σίλλοι, carmen quoddam censorium, dicax, maledicum, quo Græci utebantur. Neque solum Satyram, vel Satyricum δρᾶμα hoc genus poematis vocaverunt, sed etiam plurali nomine Satyros. Porro Satyrorum denominatio, a diis agrestibus, qui colloquebantur in Satyra, translata postea fuit ad significandos etiam histriones, qui in scena Satyros agerent, χορδιστὰς ἐ ὀρχηστὰς, chorum ducendi, & saltandi peritos. Iccirco Persius Satyra 5. Bathyllum pantomimum, egregium saltatorem, ac gesticulandi scientissimum, qui Mæcenatis libertus fuit, Satyrum appellat:

-- -- --- ---- Nec quum sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros Satyri moveare
Bathylli.

Ob eamdem caussam, qui in triumphis Romanorum salsa dicta, & interdum acerba, in triumphantes jactarent, σατυρισταὶ vocabantur.

Satyricum δρᾶμα ita definiri aut describi potest: *Poema δραματικὸν, Tragœdiæ adjun-*

ctum, chorum e Satyris habens, actionem quamdam exprimens illustrium personarum, partim seriam, partim jocosam, stilo ad hilaritatem facto, exitu plerumque læto. Hæc definitio debetur Isaaco Casaubono libro 1. de Satyrica poesi cap. 3. Hujus Dramatis choro Satyros inesse oportebat: non tamen e solis Satyris chorus constabat. Isacius Tzetzes Prolegomenis in Lycophronis Cassandram (ut plures alios missos faciam) tradit, Satyricam poesim γεωργῶν καὶ ἀπελῶν ἀνθρώπων inventum fuisse: nempe hominum agricolarum, qui facili victu uterentur. Similem prope originem habuit & Tragœdia. Constat porro, Satyram Græcorum Dithyrambis recentiorem esse: prolata enim primum fuit quum ἐν ἑορταῖς, diebus nempe festis, Bacchum laudare desivissent: (deum autem illum Dithyrambis laudabant) atque earum laudationum loco Ajaces, Centauros, aliosque vel deos, vel heroas carminibus celebrarent. Unde proverbium illud ortum est: Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, *Nihil ad Bacchum*: ex quo proverbio, omnia importuna, & ad rem de qua ageretur non conducentia, ἀπροσδιόνυσα dicebantur. Tradit Suidas in Lexico, Pratinam Phliasium primum omnium

scri-

ſcripſiſſe Satyros: qui quum tragicus eſſet poeta, fabulas docuit quinquaginta, e quibus Satyricæ fuerunt triginta duæ.

Initio quidem Satyra erat *μονοπρόσωπος*: unam ſcilicet perſonam admittebat, Satyrum qui *σικίννιδα* ſaltaret. Nam diverſorum quorumque Dramatum ſaltationes quædam propriæ fuerunt. Tragica ſaltatio vocabatur *ἐμμέλεια*, comica *κόρδαξ*, ſatyrica *σίκιννις*. teſtibus Euſtathio in Iliadem Homeri, Julio Polluce in Onomaſtico, Ammonio de Vocum Differentiis, & Ariſtophanis Scholiaſte *εἰς νεφέλας*. Poſtea chorum accepit; ſic tamen ut e ſolo choro conſtaret, nullique hiſtriones adderentur. Introductæ autem ſunt proceſſu temporis perſonæ quinque: Satyrus imberbis, Satyrus barbatus, Satyrus caneſcens, Silenus, & Papposilenus. Silenus reliquos Satyros ætate ſuperabat: cujus tamen avus erat Papposilenus; ut quidem putat Gerardus Joannes Voſſius: ego autem exiſtimo vocatum hoc nomine, non quod eſſet Sileni ipſius avus, ſed quod Satyriſcos nepotes haberet: ad eam ſcilicet ætatem vivendo proceſſiſſet qua homines avi fiunt, vel ſaltem fieri poſſunt. *Πάππος* Græcis avus eſt: unde *παππίδιον*, vox blanditiarum,

cujusmodi nomina Græci appellant ὑποκοριστικά. Italice diceres *nonnetto*. A πάππος derivata videtur Etrusca vox *babbo*. Dantes Aligherius alicubi dixit:

-- -- -- *lingua che chiami mamma*, *o babbo*.

nempe lingua infantis. Papposilenus inter Satyros vultu erat maxime horribili, impexus omnino, barbaque oris aditum occludente; ut feræ quam homini similior videretur. Neque solum Satyri in scenam inducebantur; verum etiam & aliæ personæ ridiculæ, Satyrorum similes. Interdum & graviores, puta heroum aliquis; vel deus majorum gentium, aut minorum. Talis est Ulixes in Cyclope Euripidis; quod unum δρᾶμα σατυρικὸν hodie superest. Hinc intelligi potest, quid sibi velint apud Athenæum hæ Dramatum inscriptiones: *Astydamantis Hercules Satyricus*, *Achæi Eretriensis Alcmæon Satyricus*, ejusdem poetæ *Vulcanus Satyricus*, *&* *Iris Satyrica*.

Sermonem vero adhibebant in hoc poematis genere personis convenientem: lascivum scilicet, ridiculum, mordacem. Toti enim erant in vitiis hominum perstringendis; & σκώμμασι, nempe salsis dicteriis, populo risum excitabant. Propterea Horatius in Epistola ad Pisones:

Ve-

Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo, &c.

Ælianus etiam libro 3. ποικίλης ἱστορίας tribuit Satyris παιδιὰν δυσάρεστον, *lusum displicentem atque ingratum*. Porro hi joci nonnumquam poetas in præsens capitis discrimen vocabant. Exemplo fuerit Philoxenus Satyrorum scriptor, qui, Dramate quodam composito, per Cyclopem, Dionysium regem innuere voluerat; per Galateam, puellam a rege adamatam: neque regis modo amores, verum etiam naturale quoddam vitium dictis petiverat: cujus licentiæ vitâ ipsâ pœnas luit. Simile est quod narrat Suetonius in Domitiano cap. 10. *Occidit*, inquit, (Domitianus) *& Helvidium filium, quod, quasi scenico exodio, sub persona Paridis & Oenones, divortium suum cum uxore tractasset*. Nimirum Atellanæ Romanorum, quæ vocabantur etiam Exodia, ob jocos & dicteria, Satyris Græcorum aliqua ex parte respondebant. Multa etiam obscœnitas in hujusmodi scriptionem paullatim irrepsit.

Ac primum quidem, Satyricum δρᾶμα solum & seorsum agebatur. Quum vero hæc libido conviciandi & maledicendi, vehementer displicuisset; destiterunt poetæ illud se-

paratum docere: deinceps Tragœdiæ interferentes vel subjicientes; ut severitatem carminis tragici, rerumque atrocitatem satyricis salibus lenirent aliquantum ac temperarent: quod sane spectatores tristi spectaculo perculsos ad hilaritatem traducebat. Audiamus Horatium:

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit; & asper
Incolumi gravitate, jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator -- --- ---- --- --

Tandem quum jocorum satietas hominum graviorum animos cepisset, decreverunt, orchestram ab omni lascivia & scurrili dicacitate purgandam esse: propterea Satyricum δρᾶμα prorsus a contubernio Tragœdiæ fuit ablegatum. Atque ita Tragœdia pristinam suam dignitatem recepit: quod ex verbis Aristotelis discere possumus cap. 4. περὶ ποιητικῆς. ὀψὲ, inquit, ἀπεσεμνώθη. Sed postquam etiam Satyricum δρᾶμα sejunctum a Tragœdia per se rursus doceri cœpit; caveri diligenter oportuit, ne jocorum obscœnitate & petulantia offenderentur honestiorum aures. Id Horatius testatur in Arte:

Sil-

Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac pæne forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus umquam,
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim quibus est equus, & pater, & res:
Nec si quid fricti ciceris probet & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve corona.

Quod spectat ad magnitudinem Satyricæ fabulæ, ea minor erat quam Tragœdiæ: pauciora enim episodia comprehendebat, neque περιπέτειαν seu fortunæ commutationem, vel ἀναγνωρισμὸν sive agnitionem habebat: nec mirum; quum esset πάρεργον, ac tamquam additamentum Tragœdiæ. Ut enim pictorum πάρεργα minora sunt quam ἔργα; ita Satyrica poesis brevior & simplicior esse debuit quam Tragœdia.

Dictio Dramatis hujus grandior fuit comica dictione; humilior tamen tragicâ; teste Mario Victorino libro 2. de Metris. Atque id etiam præcepit Horatius in Epistola ad Pisones:

Non ego inornata & dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo:

Nec

Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur, & audax
Pythias, emunсto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque dei Silenus alumni.

Quæ quum ita sint, Satyrica nihilominus propius ad Comœdiam, quam ad Tragœdiam accedebat.

Satyri porro tetrametris versibus plurimum utebantur, quod saltationi versus illi apprime convenirent: nam hujusmodi poema fuit ὀρχηστικώτερον, *saltatorium*. Neque tamen metrum jambicum trimetrum aspernabantur: quod nihilominus pudentius esset quam comicum: plures enim pedes trisyllabos loco dissyllaborum in uno versu admittebat, quam tragicum; pauciores, quam comicum. Chorus constabat metro proceleusmatico dimetro catalectico: quod εἰσόδιον vocabant. Hujus metri exemplum affert Marius Victorinus libro 2. de Metris, *Agite juvenes*.

Satyricæ poeseos saltatio σίκιννις dicebatur; a Sicinno quodam homine barbaro, vel, ut alii tradunt, Cretensi, primum inventa. Plutarchus & Athenæus narrant, Satyricam saltationem affectu caruisse. Casaubonus tamen existimat, eos errare: quod sci-

ſcilicet illa ſaltatio contineret χήματα φορὰ-τικὰ, *figuras concitatas*, multæque φορᾶς, nempe *motionis*. φορὰν vero eſſe πάθȣς τινὸς ἐμφαντικὴν, *indicem cujuſdam affectionis*, lætitiæ puta, vel audaciæ, agnoſcit ipſe Plutarchus.

De apparatu Satyrici Dramatis hæc breviter dicimus. Sileni prodibant in ſcenam tunica villoſa induti, & amiculo ex variis floribus conſerto. Satyri gerebant pelles hircinas, humero circumjectas: erant autem impexo capillo atque horrido. Ut autem pedes exſuccos & graciles capripedum Satyrorum & Ægipanum imitari poſſent, ſumebant grallas, quas etiam πανικὰ vocabant. Fuerunt grallæ perticæ ligneæ: unde grallatores dicti. Feſtus Pompejus de Verborum Significatione, *Grallatores*, inquit, *appellantur pantomimi; qui, ut in ſaltatione imitarentur Ægipanas, adjectis perticis furculas habentibus, atque in his ſuperſtantes, ob ſimilationem crurum ejus generis, gradiebantur; utique propter difficultatem conſiſtendi*. Artemidorus haſce grallas vocat κωλόβαθρα: unde grallatores, *colobathrarii*. Scenæ Satyricæ ornabantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquiſque rebus agreſtibus, quæ operis topiarii ſpeciem quamdam referrent. De quibus

bus consulendus præcipue Vitruvius Architecturæ lib. 5. cap. 8.

Diximus de Satyrica Græcorum poesi: tria verba subjungamus etiam de Sillis. Fuerunt Silli maledicum poema; quo sane γνωρίσματα cum Satyrico Dramate non parum conveniebant. Nomen τῶν σίλλων factum ex Σιληνοὶ: nam Sileni, ut & Satyri, dicaces atque maledici. Differebat nihilominus hoc poematis genus a Satyrico, propterea quod δρᾶμα non esset, verum extra scenam recitaretur. Quamquam vero hujus carminis origo, ut & aliorum plurium, tribuitur Homero, Xenophanes tamen Colophonius, Anaximandri physici æqualis, in hoc genere excelluit: quod, præter ceteros, tradit Eustathius ad librum Iliados alterum. Eo poemate reprehendebat Xenophanes in primis Homerum & Hesiodum, quod stulta plurima & ἀπίθανα de diis immortalibus conscripsissent. Multis vero post Xenophanem sæculis exortus est Timon Phliasius, qui Sillis valde mordacibus omnes pæne philosophorum familias perstringeret. Utebatur autem versu hexametro, & interdum elegiaco. Quamvis & jambico Silli conscripti fuerint ab aliis: quod metrum frequentaverunt ἰαμβογράφοι celeber-

leberrimi Archilochus & Hipponax, dum inimicos uterque ſuos ulciſci ſtudet. Ammianus Marcellinus libro 22. Hiſtoriarum tradit, Didymum cognomine Chalcenterum ſex libris peccata quædam M. Tullii inſectatum fuiſſe: videri autem ſumſiſſe exemplum a Sillorum ſcriptoribus.

CAPUT VI.

Satyra media Romanorum, ſeu Varroniana, quæ fuerit. Satura, *vetus vocabulum, quid ſignificet. Hiſtoriæ per ſaturam. Varronis pleræque Satyræ cur Menippeæ dictæ. Earum inſcriptiones eruditæ. L. Senecæ* ἀποκολοκύντωσις. *Hujus nominis ratio a Daniele Heinſio explicata adverſus virorum doctorum ſententiam. Petronii, Martiani Capellæ, Boethii libelli quidam, Varronianæ Satyræ non diſſimiles.*

QUÆ fuerit apud Romanos vetus illa Satyra, ſine ulla meditatione fuſa: quæ nova item ſeu Luciliana, quam Horatius poſtea uſurpavit, in ſuperioribus explicatum eſt. Nunc ſcire oportet, præter hæc duo Satyræ genera, fuiſſe medium quod-

dam genus, videlicet Satyram illam quæ ab Ennio prius & Pacuvio, deinde a M. Varrone, atque aliis exculta est. Hanc vario metro scripserunt, puta nunc epico, nunc elegiaco; modo phalæcio, modo jambico; modo aliis. Nonnumquam etiam prosam orationem versibus miscebant, præsertim Varro: ut etiamnum ex fragmentis Satyrarum ejus cognoscere possumus. Diversa etiam & multiplicis eruditionis argumenta in hac Satyra tractabantur. Propterea Gerardus Joannes Vossius non abs re suspicatur, Varronianæ Satyræ nomen rectius omnino scribi per *i*, vel per *u*, Latinas vocales, quam per *y*, vocalem Græcorum: videri nimirum appellatam ab ea *saturæ* significatione quæ designat lancem vario fructuum genere plenam, vel quamdam ciborum commixtionem. Hujus autem originem vocis repetit Vossius a Sabinis, qui regnante Romulo in urbem recepti fuere cum Rege suo T. Tatio: & altius etiam a Laconibus, populis Peloponnesi: nemo enim paullo eruditior ignorat, Sabinos fuisse Lacedæmoniorum colonos: quam stirpem duritie quoque ingenii, ac morum severitate satis profitebantur. Præterea hoc nomen *satura* significabat legem varia capita conti-

continentem, vel ex multarum legum quaſi laciniis contextam. Iccirco legimus in Gloſſis Philoxeni: *Satura*, Νόμος πολλὰ περιέχων. Magiſtratus enim, ad quos pertinebat ferre ſeu rogare leges, interdum uno rogatu varia complectebantur. C. Lælius apud Feſtum: *Quaſi per ſaturam ſententiis exquiſitis*: nimirum ſine ulla diſtinctione, raptim, & confertim. Eodem pacto Peſcennius quidam Feſtus libros hiſtoriarum per ſaturam conſcripſit; hoc eſt ejuſmodi libros, in quibus nec gentes diſtinguerentur, nec temporis ordo ſervaretur ſatis. Hoc appellant Græci ποικίλην ἱστορίαν, vel τῶν σποράδην λεγομένων. Quum igitur *ſatura*, quod varium eſt atque confuſum ſignificaret, nihil mirum ſi hoc nomen poemati quoque multiformi, & ex vario metrorum genere compoſito tributum fuit.

Varronis porro pleræque Satyræ, Menippeæ dictæ ſunt; quod Varro hujuſmodi ſcriptione imitatus fuerit Menippum illum Cynicum philoſophum, cujus τὰ βιβλία πολλοῦ καταγέλωτος plena fuiſſe, narrat Diogenes Laertius, videlicet ridicula & jocoſa maxime. Satyras haſce memorat ipſe Varro apud Ciceronem lib. 1. Academicarum Quæſtionum

ftionum. *In illis*, ait, *veteribus noftris, quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate confperfimus, multa admixta ex intima philofophia, multa dialectice dicta.*

Cicero autem ibidem fic Varronem alloquitur: *Ipfe varium & elegans omni fere numero poema fecifti: philofophiamque multis locis inchoafti, ad impellendum fatis, ad docendum parum*. Eadem prope ratione fcripfit Varro libros Logiftoricos five Dialogos, in quibus locos graves e philofophia tractabat, fummorumque hominum exemplis ubique illuftrabat: quorum etiam nomina fingulorum fingulis libris impofuit. Similes quoque fuerunt tractandi ratione libri duo Peripli Philofophiæ, tum libri duo Promethei, ab eodem Varrone confcripti. Nam ad utrofque folutam & ligatam orationem, varia item genera metrorum adhibuit, quemadmodum in Satyris. Ex ipfa porro Satyrarum infcriptione uberem doctrinam atque eruditionem fcriptoris conjicere adhuc poffumus. Erat enim quæ infcriberetur: Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, *Bis pueri fenes*. Alia: Γνῶθι σεαυτὸν, *Nofce te ipfum*. Alia: *Nefcis quid vefper ferus vehat*. Alia: Περὶ αἱρέσεων, *De fectis*. Alia: Περὶ ἐδεσμάτων, *De cibis feu de efculentis*.

lentis. Alia: *Pseudolus Apollo*, περὶ θεῶν ἀπαντήσεως, *de occursu deorum*. quæ pauca de plurimis attulisse satis fuerit.

Ad exemplar Satyrarum Varronis probabile admodum est, L. Senecam Philosophum scripsisse Ludum illum suum de morte Claudii Cæsaris, quem faceto vocabulo ἀποκολοκύντωσιν dixit: cujus nominis rationem, ante Danielem Heinsium, qui eum libellum peculiari dissertatione explicavit, minus intellexerunt viri docti. Ea vox originem ducit ἀπὸ τῆς κολοκύντης, nempe a *cucurbita*. Significat enim vafer ille Hispanus, Claudium, principem insigni stupore ac stoliditate, ut ex historiis notum, postquam e vivis excessisset, non deorum numero adscriptum, quod Julio & Augusto contigerat, sed in cucurbitas relatum: fatui enim atque insulsi cucurbitis comparari solent. Relationem in deos ἀποθέωσιν dicebant: ad hanc propterea formam ridiculum vocabulum Seneca finxit ἀποκολοκύντωσιν, quasi relationem in cucurbitas.

Neque dissimile est Varronianæ Satyræ T. Petronii Arbitri Satyricon, quod lacerum omnino & decurtatum ad nostram ætatem pervenit. In eo, Neronis & aulico-

rum ejus flagitia liberiore ſtilo & nequitiarum pleno, ſed fictis nominibus, deſcribuntur. Sunt etiam alia ſcripta quæ Saturæ vocari poſſint, quamquam innoxia, & gravis argumenti. Hujuſmodi eſt opus Martiani Capellæ de Artibus Liberalibus: item libri quinque aureoli de Conſolatione Philoſophiæ, proſa & carmine conſcripti a Severino Boethio, inſigni doctrina & ſanctitate viro. Quod certe opus non eſt ad ridendum comparatum; ſed ut ea varietate ac ſtili jucunditate facilius dolori medeatur.

CAPUT VII.

In Juvenalis, Latinæ Satyræ Lucilianæ ſcriptoris, prænomen, nomen, cognomen accurate inquiſitum. Prænominum ratio apud Romanos. Junia gens Romæ duplex. Juvenalis, liberti locupletis vel filius, vel alumnus. Juvenalis *&* juvenilis *idem fere ſignificant. Aquinium, ſeu Aquinum, Juvenalis patria. Hic poeta in adoleſcentia declamationibus multam operam dedit. Declamatores duo cauſſarum genera tractabant, Suaſorias & Controverſias.*

DIXIMUS de nomine, origine, proceſſu, natura, conſtitutione, differen-

tia

tia Romanæ Satyræ, quæ dicenda esse judicavimus: nonnulla etiam addidimus de Satyrico Græcorum Dramate: præterea de Sillis, carmine maledico & mordaci: quæ duo Satyræ Latinorum aliqua saltem ex parte respondent. Nunc accedendum est nobis ad interpretationem Juvenalis; eorum scilicet alterum quæ quarto quoque anno scholastico nobis mandantur ab amplissimis Senatoribus Gymnasio Patavino Præfectis. Antequam igitur aggredior ad explicandam Satyram decimam poetæ hujus, præclaram sane, & lectoribus meis utilissimam futuram; ne illotis manibus, quod ajunt, id faciam, pauca quædam in medium afferam ad ipsum Juvenalem pertinentia, ἀντὶ τῶν προλεγομένων; ut fieri amat ab omnibus qui veterem aliquem scriptorem exponendum suscipiunt. Dicam igitur, quis fuerit Juvenalis, quo tempore claruerit, Satyras suas composuerit, recitaverit, ediderit. Hominum deinde eruditorum errorem aperiam, qui falso putaverunt scriptumque reliquerunt, eum Domitiani jussu ab urbe Roma in extremam Ægyptum, per caussam honoris, ablegatum, quod Paridem pantomimum, ipsi Domitiano unice carum, stili acerbitate confodisset. De

 chara-

charactere Satyrarum Juvenalis disputabo: & quæ huic poetæ a Criticis vitio vertantur, exponam: caussam etiam pro ipso dicam: illud tamen cavens, quod honestum hominem & philosophum decet, ne a veritate discedam.

Poeta igitur hic noster, Decimus Junius Juvenalis vocabatur: quorum nominum primum prænomen dicitur ex consuetudine Romanorum; alterum, proprie nomen, seu familia; tertium, cognomen. Jamdiu enim est quum Ludovicus Carrio, vir doctus, Emendationum lib. 1. cap. 1. monuit studiosos, hujus auctoris prænomen, *Decimum* esse, non *Decium*; quod nonnulli falso putaverant: *Decius* enim gentile nomen est, nempe gentis seu familiæ, neque prænominis vicem fungi potest. Prænominibus fratres in eadem familia distinguebantur: exempli caussa, Publius Cornelius Scipio, & Lucius Cornelius Scipio, ambo fratres, ex Cornelia gente, & Scipionum familia. gens enim una plerumque in familias plures tribuebatur. Prænomina porro usitata Romanis triginta fere fuerunt, si Varronem audimus. Eorum tamen alia in usu frequentiore erant, alia rarius adhibebantur.

Præ-

Prænomina, in aliquibus Romanis acquisita fuerunt, in aliquibus hereditate quasi accepta. Dici poterant acquisita in illis qui primi prænomen aliquod in ea familia sortiti fuerant, ob certum eventum, vel saltem ominis gratia: hereditate autem accepta, in iis qui ea sumebant ut memoriam majorum renovarent, qui olim eodem prænomine vocati fuissent.

Ceterum usus prænominis proprius Romanorum fuit, atque a Græcorum consuetudine alienus. Qui Romanum hominem ingenuum & civem alloqueretur, si a prænomine abstinuisset, injuriam ei quodammodo facere censebatur, nisi familiaritate excusaretur: additum enim prænomen, erat quædam honoris significatio: nam servi & peregrini prænomine carebant. Horatius iccirco Satyra 5. lib. 2.

Quinte, puta, aut Publi: gaudent prænomine molles
Auriculæ -- -- -- -- -- --

Servi quoque manumissi, quos libertos appellabant, prænomen sumebant; quo in servitute caruerant. Locus est insignis A. Persii de hoc more, Sat. 5. ubi de vera & falsa disputat libertate. Afferam versus sapientis poetæ:

-- --- ---- Hic Dama est non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papæ. Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ita est. adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas. hoc nobis pilea donant.

Decimus igitur fuit poetæ nostri prænomen; *Junius* nomen; *Juvenalis* cognomen. *Junia* gens Romæ in gentibus nobilissimis numerata est. Duplex autem fuit, patricia, & plebeja. Patricia, cui *Bruti* cognomen adjunctum, *L. Junium Brutum* protulit, qui Tarquinios urbe expulit, ac libertatem Romanam instituit: hujus autem filii, quod Tarquiniis faverent, eosque restituere in regnum meditarentur, jussu patris Consulis securi percussi sunt: atque ita gens illa patricia desiit, nullo superstite. Plebeja vero, multis postea claris viris nobilitata, in plures familias divisa fuit. Leguntur enim apud rerum Romanarum Historicos Junii Bruti, Bubulci, Callaici, Norbani, Penni, Peræ, Pulli, Scævæ, & Sillani. Ex familia

lia *Brutorum* prodierunt *Decimus Brutus*, & *Marcus Brutus*, insignes viri, C. Julii Cæsaris percussores: qui ex uno quidem stipite, verum ex ramis diversis propagati fuerant. Utinam exstaret commentarius T. Pomponii Attici de gente *Junia*, quem ab eo scriptum testatur Cornelius Nepos in libello de Vita ejus. Neque tamen Juvenalis noster nobilitatem ostentare poterat, si verum est quod tradit Suetonius, vel quisquis est auctor, in poetæ Vita, eum liberti locupletis filium fuisse. Pater iccirco Juvenalis, alicui procerum Romanorum ex *Junia* familia servitutem serviverat, postea vero manumissus, nomen patroni adsumserat, ut a libertis fieri solitum: processu vero temporis divitias paraverat. Non tamen βιογράφος ille tradit simpliciter, poetam nostrum liberti filium fuisse, verum dubitat: *Incertum*, inquit, *filius*, *an alumnus*. *Juvenalis* porro cognomen poeta noster fortasse accepit a patre, qui eo cognomine in servitute usus fuerit, tamquam nomine proprio: quæ consuetudo erat servorum. Cognomen hujusmodi a *juvenis* originem ducit: idem enim est *juvenalis* ac *juvenilis*. Nam & C. Caligula diem adje-

cit Saturnalibus, quem *Juvenalem* appellavit; & Nero Cæſar, quum primum barbam depoſuit, in ejus rei memoriam *Juvenales ludos* inſtituit.

Verum patria ipſa poetæ noſtri teſtatur ſatis, eum Romanis nobilibus annumerandum non eſſe. Fuit enim *Aquinas*, ex *Aquinio* vel *Aquino* Volſcorum oppido. Quod ipſe non obſcure ſignificat extrema Satyra tertia, Umbricium amicum ſuum ita ſecum loquentem inducens:

-- -- -- quoties te

Roma tuo refici properantem reddet Aquino.

Aquinum Interamnæ proximum erat, oppidum populoſum, *ingens* a Silio Italico appellatum libro 8. Punicorum v. 403. πόλις vero μεγάλη a Strabone libro 5. *Municipium* fuit, & *frequens* quidem, teſte Cicerone Philippica 2. *Fertile* vocatur a D. Paullino Nolano Natali 3. Felicis v. 73. Melpis, magnus fluvins, juxta id oppidum fluebat. Municipes dicti *Aquinates*.

Primam ætatem in ſtudiis bonarum artium exegit, præſertim rhetoricæ, fortaſſe M. Fabio Quinctiliano præceptore uſus, (quod ſuſpicatur Petrus Crinitus libro 4. de Poetis Latinis) rhetore iis temporibus celeberri-

berrimo. Declamavit certe; nimirum fictas caussas egit, ut amabat fieri sub primis illis Cæsaribus; ad mediam usque ætatem, puta quadraginta annorum. Valde senex enim mortuus est, ut postea videbimus. Animi autem gratia tantum declamavit, non quod scholæ, aut foro se prepararet. Erat enim satis locuples. Et sane, locupletes oporteret esse Satyricos: nam si res angusta illis domi fuerit, haud facile emergunt: quum Satyrâ scribendâ patrimonium sæpe imminuatur, numquam amplificetur. Martialis Epigrammate 91. libri 7. eum *facundum* appellat. Ipse autem de se fatetur Satyra 1. non ultimum fuisse in declamatorio ludo: *Et nos*, inquit,

Consilium dedimus Sullæ, privatus ut altum
Dormiret. -- --

Ad hunc locum Juvenalis intelligendum, scire debent optimi adolescentes, duo fuisse caussarum genera maxime a declamatoribus tractata, ut stilum atque ingenium exercerent; nempe quæ ad deliberationem, & quæ ad judicia pertinerent. Deliberativi generis caussas vocabant *Suasorias*: nam qui sententiam dicunt in concione, vel in curia, ii vel suadent aliquid faciendum, vel ab eo deter-

deterrent seu dissuadent. Judiciales caussas dicebant *Controversias:* quæ vel ad petendum & recusandum spectabant, cujusmodi sunt lites civiles inter privatos: vel ad accusandum & defendendum, quum de criminibus seu delictis ageretur. Si quis ingentem silvam sententiarum ad utrumque genus exornandum requirit, adire ne gravetur M. Senecam Rhetorem, L. Senecæ Philosophi patrem; cujus exstant Suasoriæ & Controversiæ, ex variis declamatoribus eorum temporum collectæ. Quum igitur ait Juvenalis, se consilium dedisse Sullæ Dictatori, ut dictatura deposita privatus denuo fieret, somnoque tandem & quieti indulgeret; quod facere non possunt qui rempublicam administrant, caventque semper ne quid ea detrimenti capiat; significat, se in ficta ὑποθέσει lusisse, vires expertum ingenii sui. Nam alioqui tempora non conveniunt, ut dicamus, L. Cornelio Sullæ Juvenalem rogatum reapse consilium dedisse, eumque adhortatum fuisse ad curam reipublicæ deponendam: siquidem tempora Sullæ ætatem Juvenalis nostri longe antecesserunt.

CAPUT VIII.

Parides duo, Imperatorum liberti potentes. Error Anonymi scriptoris Vitæ Juvenalis, & veteris Interpretis Satyrarum ejusdem, notatus. Paris, libertus Domitiani Cæsaris, histrio excellens. Hunc non viventem, sed mortuum scriptis proscidit Juvenalis. Satyræ hujus poetæ, Domitiano occiso compositæ. Henrici Dodwelli novum argumentum ad id ostendendum, a Marii Prisci, Africæ Proconsulis, temporibus petitum. Juvenalem Romæ fuisse imperante Trajano, Martialis testimonio manifestum. Relegatio Juvenalis in Ægyptum non contigit Domitiano regnante. Sidonii Apollinaris versiculi nonnulli a viris doctis perperam explicati. Duo Consules Junii ætate Juvenalis. Hadrianus Cæsar Juvenalem valde senem cur in Ægyptum ablegaverit. Satyra αὐὶχδοτος in Paridem pantomimum, rudimentum Satyrarum nostri poetæ. Quo tempore Satyras suas recitaverit atque ediderit. Frontones duo temporibus Juvenalis. M. Cornelium Frontonem a poeta nostro memoratum Satyra 1. argumentis ostensum.

DE tempore autem quo hic poeta floruerit, animumque ad ſcribendas Satyras appulerit, eaſque recitaverit atque ediderit, miri ſunt (quod optime animadvertit Henricus Dodvvellus, Criticus diligentiſſimus, in Annalibus Quintilianeis) quum recentiorum, tum etiam veterum ſcriptorum errores. Paridem quemdam Cæſaris libertum, gratioſum hominem ac potentem, perſtrinxit Juvenalis Satyra 7. Quum autem duo fuerint hoc nomine, Imperatorum liberti potentes; Anonymus auctor Vitæ Juvenalis, quem plerique Suetonium eſſe arbitrantur, & Vetus Interpres Satyrarum hujus poetæ falſo tradiderunt, antiquiorem Paridem, Claudii Neronis libertum, quem patronus ad magnas opes prius evectum poſtea interfecit, a Juvenale verſibus divexatum; propter quod poeta in exſilium actus fuerit, ubi non ita multo poſt e vita exceſſit. Quod ſi verum eſſet, Domitiani tempora non potuiſſet Juvenalis attingere: quum tamen ex ipſis Satyrarum libris manifeſtum ſit, eum Domitiano imperante vixiſſe. Paris igitur in quem poeta noſter calamum diſtrinxit, diverſus fuit a priore, libertus

nem-

nempe Domitiani Cæsaris: non tamen diversa fortuna, quum is quoque patrono primum carus fuerit, deinde invisus; ut jussu ejus tandem occideretur. Hic Paris excellens histrio fuit, quo artificio, principis, & populi Romani gratiam collegit. Statius Papinius, qui Domitiani temporibus magnam carmine gloriam adeptus est, huic histrioni Agaven Tragœdiam suam vendidit: cujus rei mentio fit Satyra 7. Juvenalis, non semel a nobis memorata. Sed, ut postea sum ostensurus, non viventem Paridem, sed olim suo fato functum proscidit Juvenalis: quemadmodum & Domitianum: de cujus morte postremi versus 4. Satyræ apertissime loquuntur. Iccirco, si Juvenalis, per caussam honoris, in exsilium revera missus fuit: quod perhibent: atque in Ægypto statim decessit; Domitiano regnante id contingere non potuit, neque ob Paridem pantomimum liberiore stilo confossum. Justus Lipsius libro 4. Epistolicarum Quæstionum Epistola 20. & Claudius Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solini Polyhistorem, opere admirandæ eruditionis, certissimis argumentis jampridem ostenderunt, Satyras Juvenalis, cæso jam Domitiano, prin-

principe crudelissimo, conscriptas fuisse. Quibus argumentis Henricus Dodvvellus, Criticus ἀκριβέστατος, & miro acumine ingenii, addidit novum; quod hujusmodi est. Satyra 1. Juvenalis leguntur hi versus:

-- -- -- -- Et hic damnatus inani
Judicio (quid enim salvis infamia nummis?)
Exsul ab octava Marius bibit, & fruitur diis
Iratis: at tu victrix provincia ploras.

Et hi præterea Satyra 8.

Quanta autem inde feres tam diræ præmia culpæ,
Quum tenues nuper Marius discinxerit Afros?

Marium Priscum Proconsulem utroque loco significat, qui quum Africam provinciam spoliavisset, Afrosque pecuniis emunctos ad incitas redegisset, ab iisdem in judicium adductus jubente Cornuto, septingenta millia nummorum quæ provincialibus eripuerat, ærario intulit, seu fisco principis potius, damnatus repetundarum: cui postea urbe Roma & tota præterea Italia interdictum est. Hic tamen, multas opes adhuc retinens, in exsilio, curis omnibus rerum graviorum sepositis, tranquillus atque otiosus, infamia contemta, voluptati operam dabat, convivia tempestiva agitabat, medium unguem for-

fortunæ ostendebat, diisque iratis fruebatur: melius enim & commodius ipsi exsuli erat, quam olim Romæ degenti, aut proconsuli. Africa vero provincia, etsi victrix a judicio discesserat, plorabat nihilominus, tamquam si ipsa, non Marius, caussâ cecidisset: nihil enim de tantis pecuniis amissis ad ipsam redibat, neque ullum propterea victoriæ fructum ea capiebat. Quamobrem Juvenalis vocat hoc *judicium inane:* quum scilicet damnato Mario nulla facta esset Afris levatio miseriarum. Hanc ipsam Afrorum caussam oravit Plinius junior coram Trajano Imperatore, tertium Consule, mense Januario anni Christiani centesimi; ut ipse indicat in Panegyrico ad Trajanum cap. 76. & libro Epistolarum altero Epistola 11. & 12. Quum igitur hæc de Mario Prisco scribat Juvenalis Satyra 1. quæ reliquas plerasque non ordine solum, sed etiam tempore antecedere videtur, liquido constat, Satyras plures hujus poetæ post Domitiani tyrannidem conscriptas fuisse. Enimvero si Satyra xv. nostri poetæ fœtus est: de quo nonnulli eruditorum dubitant; fuerit Juvenalis exsul in Ægypto, non tamen Domitiano regnante. Immo Martialis, cui summa cum

Ju-

Juvenale amicitia intercedebat, Epigrammate 18. libri 12. quem librum ſcripſit imperante Trajano, meminit noſtri poetæ, ut Romæ viventis.

Dum tu forſitan inquietus erras
Clamoſa, Juvenalis, in Subura,
Aut collem dominæ teris Dianæ:
Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius & minor fatigant:
Me multos repetita poſt Decembres
Accepit mea, ruſticumque fecit
Auro Bilbilis & ſuperba ferro.

Morabatur ſcilicet Martialis eo tempore Bilbili oppido Hiſpaniæ, ubi natus fuerat. Nugatur igitur omnino auctor ἀνώνυμος Vitæ Juvenalis, quum ait, Domitiani juſſu poetam in Ægyptum exſulem abiiſſe, atque in ea regione paullo poſt, ob angorem animi, & moleſtiam exſilii, fato functum fuiſſe. Numquam enim, ſi hæc vera eſſent, Romam redire potuiſſet. Dicat hic aliquis, argumentum e Martialis verſiculis modo memoratis petitum haud ſatis virium habere; quum poeta Hiſpanus dixerit, *forſitan*, atque iccirco non affirmet, Juvenalem Romæ verſari; potuit enim longe abſens ignorare

ubi-

ubinam gentium amicus commoraretur, eumque exsilio ab Imperatore mulctatum. Verum τὸ *forsitan*, eo loco Martialis, non indicat, eum dubitare utrum Juvenalis Romæ sit, necne: sed tantum, quum certe sit Romæ, utrum ea faciat, menteque agitet quæ illis versiculis memorantur. Præterea credibile non est, casus viri illustris Martiali omnino ignotos esse potuisse, quamquam absenti: qui enim absunt a loco ubi diutius commorati fuerunt, de rebus quæ ibidem geruntur certiores plerumque fieri volunt. Deinde, quando Martialis Epigramma illud scripsit, jam Trajanus imperabat, annique septem vel octo jam effluxerant a cæde Domitiani. Henricus Dodvvellus recte animadvertit, etiamsi diceremus, Juvenalem a Domitiano in exsilium actum fuisse, fieri tamen vix potuisse quin redierit Nerva principe exsules revocante, siquidem Domitiano poeta noster superstes fuit: maxime quum id Nervæ propositum esset, omnia Domitiani acta rescindere. Pugnant igitur omnia, quominus vera esse possit recepta illa sententia. Non est autem silentio prætereundum capitale illud: Si Juvenalis noster Domitianum, vel ex Domi-

tiani amicis aliquem liberiore ſtilo perſtrinxiſſet, idque principi innotuiſſet; qua erat tyrannus ille crudelitate, vel immanitate potius, futurum fuiſſe ut poetam non in Ægyptum relegaret per ſpeciem honoris, (quod leviſſimum fuiſſet ſupplicii genus) verum omnino occideret.

Sed hi eruditorum hominum errores de Juvenalis exſilio, originem ducere videntur a quodam Sidonii Apollinaris teſtimonio in Carmine ad Magnum Felicem: quod teſtimonium perperam acceperunt atque interpretati ſunt. Eſt autem hujuſmodi:

Non qui tempore Cæſaris ſecundi
Æterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui conſimili deinde caſu,
Ad vulgi tenuem ſtrepentis auram,
Irati fuit hiſtrionis exſul.

Sidonius in hiſce verſiculis, duorum poetarum mentionem facit: Ovidii primum, qui ab Auguſto Cæſare Tomos relegatus fuit, quod Juliam Cæſaris filiam, mulierem impudicam, furtim amaret, ac ſub Corinnæ nomine verſibus celebraret; præterea libros Artis Amatoriæ conſcripſiſſet, ipſique Auguſto arcanum aliquid facienti importunus arbiter atque interpellator occurriſſet:

dein-

deinde Juvenalis, qui similes pœnas dederit, quod histrionem quemdam principi carum dictis liberioribus offendisset. Male autem crediderunt Interpretes Satyrarum Juvenalis, aliique docti viri, histrionem illum a poeta nostro perstrictum, fuisse Paridem pantomimum, Domitiani delicias. Nam Juvenalis exsul erat quum Satyram scriberet XV. Quod confirmat Scholiastes Vetus in versum XXVII. ejusdem Satyræ. Ait enim, *Juvenalem de se loqui*, *quia in Ægypto militem tenuit*, *& ea promittit se relaturum quæ ipse vidit*. Iccirco rixæ illius oculatus testis fuit inter Ombitas & Tentyritas, Ægypti populos, quam ipse describit. Tempus autem quo rixa illa contigit, accurate notavit ac memoriæ prodidit. Versus ipsos recitabo:

Nos miranda quidem, sed nuper Consule Junio
Gesta, super calidæ referemus mœnia Copti.

Duos porro Consules Junios præferunt fasti temporum Juvenalis: priorem, Domitiani in X. consulatu collegam, Appium Junium Sabinum, anno CHRISTI LXXXIV; posteriorem, Hadriani collegam in III. ejus principis consulatu, Q. Junium Rusticum. De priore Junio versus Juvenalis certe non

loquitur: obſtant enim plurima quæ in hujus poetæ Satyris occurrunt, Domitiani temporibus recentiora. Neceſſe igitur eſt ut poſteriorem Junium ſignificaverit, cujus conſulatus incidit in annum Æræ vulgaris Chriſtianæ CXIX. Hoc ergo anno in exſilio erat Juvenalis, teſtis earum quas deridet rixarum. Enimvero dicere non poſſumus, eum a Trajano Roma excedere juſſum: Trajanus enim ab anno CHRISTI CXII. Romæ non fuit, abſens videlicet reipublicæ cauſſa: neque ab Hadriano, Trajani ſucceſſore, ante annum CHRISTI CXVIII. quo anno Hadrianus Romam venit Imperator. Romæ enim profecto nactus eſt poeta noſter exſilii cauſſam; quod Romæ Satyras recitaverit, Romæ plauſibus exceptus ſit: Romæ præterea princeps ille, quicumque eſſet, ingeniis faverit; ac magiſtratibus, officiiſque militaribus poetas remunerari ſolitus fuerit; & impetrantibus quidem amicis, aut libertis, qui apud principem eo loco erant quo Paris pantomimus apud Domitianum olim fuerat. Iccirco, quæ Juvenalis in Paridis multo ante vita functi opprobrium conſcripſerat, ea princeps tamquam in ſe dicta & amicos ſuos, vel in

con-

contumeliam temporum suorum, accepit. Leve igitur & joculare delictum par pœna secuta est: quod animadvertit etiam Auctor vetus Vitæ nostri poetæ, sive ille Suetonius Tranquillus fuit, sive alius. Nempe Juvenalis Satyra 7. Paridi exprobrat, quod semestres militias, seu tribunatus poetis vendidisset: ita ut Pelopeja præfectos faceret, tribunos Philomela. Erant autem Pelopeja & Philomela nomina Tragœdiarum. Hadrianus propterea, princeps ingenio miti, atque ad jocandum propenso, Juvenalem cohortis præfectura donavit, quasi præmio Satyrarum: eumque, per speciem honoris, urbe amovit, & in Ægyptum ablegavit. Hæc scilicet antiquorum consuetudo fuit non solum sub Principibus, verum etiam liberâ republicâ. M. Tullius id testatur Oratione pro Domo sua. *M. Cato*, ait, *invisus, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. Ejiciuntur duo, quos improbi videre non poterant: alter per honorem turpissimum, alter per honestissimam calamitatem*. Ita *Cn. Pisoni adolescenti, ob suspicionem urbanæ conjurationis, provincia Hispania ultro extra ordinem data est*, ut refert Suetonius in Julio cap. 9. Re autem ipsa *fœdum hominem a repu-*

blica procul abesse volebat senatus; teste Sallustio in Conjuratione Catilinæ cap. 19. Ita Salvius Otho, imperante Nerone, *diducto matrimonio, sepositus est per causam legationis in Lusitaniam;* si Tranquillo credimus in Othone cap. 3. Eo pacto, ante anni CXVIII. a CHRISTO nato finem, vel CXIX. initium, mitti vix potuit in exsilium Juvenalis. Quo tempore annos octoginta natus erat: ut ideo natalis ejus incidere debuerit in finem anni XXXVIII. a CHRISTO nato, vel initium XXXIX. ut recte rationem subducit Dodvvellus.

Tradit vetus ille βιογράφος, a Juvenale, postquam is declamationibus inclaruisset, paucorum versuum Satyram non absurde compositam in Paridem pantomimum: quum vero sibi ea scriptione auctor placuisset, eum animos deinde sumsisse ad id genus poematis excolendum. Propterea Dodvvellus existimat, primam illam Satyram, tamquam rudimentum futuri operis, & exercitationem quamdam, in scriniis poetæ αὐέκδοτον delituisse: ut ne coram amicis quidem domi eam recitare auderet: quod Auctor Vitæ non obscure significavit. *Et tamen*, inquit, *diu ne modico quidem auditorio quicquam com-*

mittere

mittere est ausus. Ipse porro Juvenalis initio earum quæ hodie exstant Satyrarum, sibi succenset, quod tamdiu recitantium poetarum auditor tantum ad eam diem fuisset, neque illos contra ad aliquid suum audiendum vocavisset. Quamobrem ea Satyra paucorum versuum quam in Paridem pantomimum effuderat Juvenalis, histrionem illum irritare non poterat, quum neque edita in vulgus, neque recitata umquam fuisset: si tamen illam poeta scripsit vivo Paride: quod veri simile non existimat Dodvvellus.

Post mediam igitur ætatem, ex declamatore scriptor Satyrarum Juvenalis repente factus est. *Ea vero quæ prima fecerat* (sunt verba Veteris βιογράφου) *novis scriptis infercivit*. Non dubitaverim Dodvvelli sententiæ subscribere, qui, probabili conjectura ductus, arbitratur, recitavisse Juvenalem sua omnia, & deinceps edidisse anno Christiano CXVIII. postquam Romam venisset Hadrianus: quem ille Principem, a benevolo ejus in hæc studia animo, dignis laudibus effert Satyra 7. in qua occurrunt verba illa de Paride pantomimo. Hanc autem Dodvvelli conjecturam ingens ille re-

citantium numerus confirmare videtur de quo mentio fit in prima Satyra: quum ſcilicet ſpes lucri appareret, Princepſque liberalis excellentes poetas locupletaret. Omnes ideo Satyras Juvenalis noſtri Hadriano Principe editas fuiſſe, cenſet Dodvvellus, non poſtremas tantummodo, quod exiſtimabat Claudius Salmaſius. Nam paratas illas ad editionem uno eodemque tempore fuiſſe, illud argumento eſt, quod eas poeta *bis terque recitaret*, *magna frequentia*, *magnoque ſucceſſu*, ut ſcribit Auctor Vitæ. nimirum continuis recitationibus, quas ante exſilium compoſuerat, univerſas. Quumque diu a recitando abſtinuiſſet, demum ſub finem anni CXVIII. feriis fortaſſe autumnalibus, quas plerumque hujuſmodi exercitationibus veteres dabant, videtur recitaviſſe. Profecto Satyras ultimas, initio ducto a XIII. eo tempore ſcriptas fuiſſe, nota illa appoſita ſexageſimi anni a Conſulatu Fonteji ſatis docet: quod animadvertit etiam Salmaſius. Ingentes porro illi terræmotus quos memorat poeta noſter Satyra *6.* ſpectabant poſtrema Trajani tempora: ut monuit Juſtus Lipſius: finem puta anni Chriſtiani CXIV. vel CXV. ut alii

ra-

rationem colligunt. Fronto autem ille cujus platani & marmora assiduis recitantium poetarum vocibus personabant, Henrico Dodvvello est M. Cornelius Fronto, orator celeberrimus, qui Hadriano præcipue, deinde Antonino Pio, & Marco Philosopho Principibus floruit, & Marci Luciique Antoninorum magister fuit: atque idcirco ad tempora Hadriano antiquiora videtur commode referri non posse. Verum quidem est, Trajano imperante vixisse Frontonem Catium, & ipsum oratorem ac senatorem, Plinii junioris æqualem, cujus Plinius ipse in Epistolis mentionem facit. Sed quominus eum esse credamus de quo Juvenalis noster, temporum Trajani conditio obstat, quibus, Imperatore absente, & in longinquis regionibus militante, litterarum studia Romæ refrixerant. Certe, Trajano Principe, Martialis, quîcum Juvenali amicitia summa intercedebat, Urbem reliquit omnino, & Bilbilim patriam suam petivit; neque postea reversus est. Nimirum studiis poeticis jacentibus, æra tarde admodum procedebant: urbana vero commoratio sumtuosa erat, & nimis magno stabat. Quapropter veri similius videtur, M. Cornelium Frontonem Hadria-

Hadriano cariſſimum, prima Satyra memorari a Juvenale: quod & ingens recitantium numerus eo tempore, ſuadet, ac Imperatoris in eumdem Frontonem favor.

Erat tum (inquit Vetus Auctor Vitæ noſtri Poetæ) *in deliciis aulæ hiſtrio, multique fautores ejus quotidie provehebantur. Venit igitur Juvenalis in ſuſpicionem quaſi tempora figurate notaſſet.* Nempe σκώμματα illa quibus Paridem pantomimum, longe antea vita functum, Juvenalis perſtrinxerat, (ut ſunt qui rerum potiuntur ſuſpicioſi) tamquam ſi in hiſtrionem ſuum prolata fuiſſent, ita interpretabatur Hadrianus: cujus hiſtrionis nomen βιογράφος non prodidit. Se autem præcipue notatum Princeps dolebat, quod honores litteratis viris mandaſſet rogatu hiſtrionis. Tantum enim poterant eo tempore hiſtriones in aula Principum, quantum liberti. Propterea Juvenalis exſilio mulctatus. Quum autem exſul eſſet, ſcripſit Satyram XV. & præterea XVI. ſi tamen verus illius auctor eſt Juvenalis; quod negatum a pleriſque teſtatur Vetus Interpres. Non potuit vero Satyram XV. conſcribere ante annum CHRISTI CXX. quum in ea dicat, *nuper Junium Conſulem* fuiſſe: qui ſane con-

consulatum gessit anno CXIX. Hæc poetæ nostri postrema scripta fuerunt: quod facile colligitur ex verbis antiqui βιογράφου, tradentis, *eum intra brevissimum exsilii tempus angore ac tædio periisse*. Id autem veri simillimum est; siquidem Juvenalis valde senex urbe Roma excessit, atque in Ægyptum exsulatum abiit. Exsilium vero quum omnibus molestum accidit, tum præcipue seni: ætas enim illa præ ceteris mollius haberi & tractari postulat. Deinceps agere incipiemus de Satyris Juvenalis: earum virtutes ac vitia percensebimus: & Juvenalem cum Horatio & Persio comparabimus.

CAPUT IX.

Argumenta Satyrarum Juvenalis recensita. Notæ quædam singulis pæne Satyris appositæ, unde cognosci possit, eas Domitiano occiso conscriptas fuisse; quarum notarum plures a Vulpio primum animadversæ. Hadrianus princeps philosophum agebat. Græculi Hadriano regnante Romam occupabant. Viri nobilissimi a Domitiano sublati. Ejus percussores, de plebe media. Græce loquendi cacoethes Romæ Hadriano Principe. Scholiastæ Veteris nostri poetæ error ineptissimus. Hadrianus, παιδεραστής. Fontejus Capito, Consul sub Nerone. Hadrianus, Judæis valde infensus. Poeta noster, in senectute ultima coactus militare, εἰρωνικῶς militiam laudavit. Scholia vetera in Juvenalem, eorumque pretium. Interpretes recentiores enumerati, & laudati. Optima Juvenalis editio ab Henninio procurata. Μεταφράσεις Satyrarum Juvenalis in varias linguas vernaculas.

EXSTANT hoc nostro tempore D. Junii Juvenalis, egregii sane poetæ, Satyræ sedecim. Hæ porro in quinque libros tri-

tribuuntur: ut primus liber quinque priores Satyras comprehendat, ſextam ſecundus, quæ longiſſima eſt, tertius & quartus ſinguli ternas, poſtremus reliquas quatuor. Satyræ Juvenalis unum & ſimplex argumentum ſingulæ tractant. Prima, ætatis illius poetas perſtringit, exponitque cauſſam cur auctor ad hoc ſcribendi genus animum appulerit. Altera, nequam homines inſectatur qui pallio & barba tenus philoſophabantur: ſpeciem quamdam virtutis foris aſſumentes, domi vero & ſine arbitris pleni flagitiorum. Tertia, urbis Romæ incommoda enumerat. Quarta ineptias Domitiani deſcribit, Senatum convocantis ut patrum conſcriptorum ſententias ſciſcitaretur, quomodo coquendus eſſet rhombus inſigni magnitudine, a piſcatore quodam Principi oblatus. Quinta paraſitos, eorumque miſeriam, necnon avarorum divitum ſordes graphice ob oculos ponit. Sexta, mulierum ſcelera & flagitia perſequitur. Septima querelam continet de bonis artibus neglectis, & ludibrio habitis. Octava diſcrimen veræ ac falſæ nobilitatis egregie oſtendit. Nona peſſimas quorumdam libidines abominatur. Decima (ſane aurea, & moribus valde utilis, quam σὺν θεῷ ſu-

mus

mus explicaturi) vota inania hominum & ridicula inceffit, & quomodo precandum fit, docet. Undecima, in luxum & decoctores confcripta eft. Duodecima captatores hereditatum, qui fenibus orbis infidiabantur, acerbe traducit. Decimatertia docet, fceleratos homines divinam ultionem, pœnafque peccatis debitas evadere non poffe. Decimaquarta, quomodo educandi fint liberi præcipit, & quantum in hoc genere a parentibus peccetur, oftendit. Decimaquinta peregrinas religiones irridet. Poftrema, commoda militum & privilegia recenfet, non fine quadam ironia. Hæc funt argumenta Satyrarum Juvenalis. Velim autem lectores meos animadvertere, notas quafdam pæne fingulis appofitas ab auctore, ex quibus dignofci poffit, hæc omnia ποιήματα poft imperium Domitiani confcripta & divulgata fuiffe.

Primâ enim Satyrâ mentio fit de Mario Prifco repetundarum damnato, qui cauffam dixit atque in exfilium actus eft Trajano Imperatore III. Confule. Memorantur etiam frequentes poetarum recitationes in domo Frontonis: quod in Hadriani Principis tempora perbelle convenit. Deinde, fub finem

nem Satyræ profitetur poeta, se dicere velle de vitiis hominum mortuorum: quod viventes jocis mordacibus appetere, valde periculosum esset. Quicquid igitur adversus Domitianum, & ejus aulicos legitur in Satyris Juvenalis, accipiendum est tamquam scriptum in eos imperio jam & vita functos. Altera Satyra, qua falsi philosophi traducuntur, ostendit non obscure, plurimos qui philosophiam profiterentur, iis temporibus Romam confluxisse: Hadrianus videlicet ipse philosophum agebat, & philosophorum convictu & colloquiis mirum in modum delectabatur. quod (ut alios auctores missos faciamus) colligere possumus ex Dissertationibus Arriani Nicomediensis in Epictetum. Eo autem avidius philosophi tempestate illa Romam convolabant, quod non ita multo ante, Domitiani edicto Urbe ejecti fuerant: qua de re adhuc exstat brevis quædam Satyra Sulpiciæ matronæ Romanæ. Satyra etiam tertia Juvenalis nostri conqueritur de ingenti Græculorum multitudine quæ urbem Romam occupabat. *Non possum ferre*, inquit Umbricius quidam, Roma in aliud oppidum migraturus, quem loquentem Juvenalis inducit; *Non possum ferre Quirites*

Græ-

Græcam urbem. Huic autem generi hominum præcipue Hadriani aula patebat: siquidem Hadrianus eruditionem, dicendi studium, poeticen, philosophiam, omnes denique Græcorum artes affectabat. Finis porro Satyræ quartæ cæsum Domitianum apertissime significat. Versus ipsos afferam:

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas impune, & vindice nullo.
Sed periit postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat: hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Ait poeta, nobilissimos viros Domitiani crudelitate sublatos fuisse; puta Cerealem Salvidienum, Acilium Glabrionem, Domitium filium, Ælium Lamiam, Salvium, Salustium, Lucanum, (non illum nobilem historicum, aut illum celebrem poetam, qui pertinent ad superiorem ætatem, sed alios) Flavium præterea Sabinum, & sexcentos, quos enumerare instituti præsentis non est. Impune autem cædes hasce perpetravit Domitianus, nobilium nemine tantas sui ordinis injurias ulciscente. Postquam vero in cerdones, nimirum plebejos homines & vilissima capita, impetum facere cœpit, statim exstitisse dicit poeta, ex eadem infima classe,

se,

ſe, qui a tæterrimo Principe ſcelerum pœnas exigerent. Percuſſores enim Domitiani obſcuro loco nati erant; videlicet Clodianus Cornicularius, Maximus Parthenii libertus, a cubiculo, Stephanus procurator Domitillæ. Ab his confoſſus eſt ſeptem vulneribus; teſte Suetonio Tranquillo in ejus Vita, cap. 17. Henricus Dodvvellus, vir apprime doctus, & in hiſtoria diligens, ut ſuperius dixi, obſervavit, Satyra ſexta memorari terræmotus ingentes, qui Trajani temporibus auditi fuerunt. Ibi enim de muliere garrula & curioſa ita Juvenalis v. 406.

Inſtantem Regi Armenio, Parthoque cometen
Prima videt: famam, rumoreſque illa recentes
Excipit ad portas: quoſdam facit iſſe Niphaten
In populos, magnoque illic cuncta arva teneri
Diluvio: nutare urbes, ſubſidere terras,
Quocumque in trivio, cuicumque eſt obvia narrat.

Addo ego, notam eſſe temporum Hadrianicorum, pruritum illum & cacoethes Græce loquendi qui ea tempeſtate non virorum tantummodo, ſed mulierum etiam ingenia occupaverat. Eadem enim Satyra 6. v. 184. hæc leguntur:

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat ulla

Formosam nisi quæ de Tusca Græcula facta est:
De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Græce,
Quum sit turpe magis nobis nescire Latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta. quid ultra?
Concumbunt Græce. Dones tamen ista puellis:
Tu ne etiam quam sextus & octogesimus annus
Pulsat, adhuc Græce? non est hic sermo pudicus
In vetula, quoties lascivum intervenit illud,
Ζωὴ καὶ ψυχή. modo sub lodice relictis
Uteris in turba. — — — —

Nec mirum, tantam ἑλληνομανίαν eo tempore mulierum animos afflavisse; quum Imperator ipse græcissaret, ut paullo ante dicebamus. Eodem poemate mulieres doctrinæ atque eruditionis laudem captantes deridet salse Juvenalis: qui mos pariter, eorumdem Hadriani temporum aperta satis nota est. Initio Satyræ septimæ laudatur Hadrianus, tamquam litterarum fugientium stator & vindex.

Et spes, & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solus enim tristes hac tempestate Camœnas
Respexit - - - - - - - - - -

Ubi Scholiastes Vetus ineptissime scribit, Neronem his versibus ab Juvenale palpari. Pudenden-

dendam hominis αὐτοσοφίαν! Sed postea in eadem Satyra idem Hadrianus, non aperte quidem, at obscure ac figurate, sugillatur; quod libertis atque histrionibus nimium faveret, iisque nimiam auctoritatem ac licentiam tribueret: quæ res a Principe intellecta, poetæ nostro exsilium peperit, ut antea monuimus. Octava quoque Satyra v. 120. iterum commemorat Marium Priscum, quem diximus repetundarum judicio damnatum imperante Trajano Cæsare. Nonæ Satyræ argumentum ipsum, sumtum a turpissimis pathicorum libidinibus, oblique Hadrianum ipsum petere videtur: siquidem novimus, illum hac infamia laboravisse: cui enim non dictus Antinous, adolescens ille formosus, quem tam effuse Hadrianus amavit? mortuum muliebriter flevit, relatumque inter deos templo & sacerdote honoravit? Eodem fortasse pertinent quæ leguntur Satyra decima, substitutis, ut solet Juvenalis, nominibus aliis e superiori ætate sumtis. *Nullus*, inquit v. *306*. *ephebum*

Deformem sæva castravit in arce tyrannus:
Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumosum, atque utero pariter, gibboque
tumentem.

Jam Satyra decimatertia Calvinum amicum suum, sexagenarium, Fontejo Consule natum fuisse narrat. Vixit autem L. Fontejus Capito sub Nerone, habuitque collegam in consulatu C. Vipsanium. Hinc Justus Lipsius Epistolic. Quæstionum lib. 4. Epistola 20. recte colligit, pulcherrimam hanc Satyram elucubratam a Juvenale secundo anno imperii Hadriani, U. C. DCCCLXXII. In decimaquarta, Romanorum superstitio notatur, qui quum patrias leges contemnerent, Judaicum jus ediscebant, servabant, metuebant, immo ab ipsa περιτομῇ, ritu Judæorum celeberrimo, non abstinebant, facti nimirum apellæ, ut Horatiano vocabulo utar. Hæc quoque Hadriani ævo mirum in modum conveniunt. Videntur enim Quirites eo dementiæ tunc processisse in adoptanda Judæorum religione, ut Hadrianus necessarium existimaret, ipsis Judæis edicere, ne amplius præputia sibi amputarent: quod edictum gens illa ægerrime ferens, adversus Romanos arma tulit. Id testatur Spartianus in Hadriano. Satyram decimamquintam in Ægypto ab exsule poeta compositam, superius dicebamus: irridet enim Juvenalis in eo poemate stolidas & absurdas Ægyptio-

rum

rum religiones, & ea narrat quorum ipſe oculatus teſtis fuerat. Exſulavit porro & vitæ finem attigit poeta noſter Hadriano Principe, ut antea ſatis oſtendimus. Denique Satyra decimaſexta, quæ poſtrema omnium eſt, militiæ commodis & privilegiis κατ' εἰρωνίαν enumerandis, non obſcure ſignificat, poetam per ſpeciem honoris in Ægyptum ablegatum, ibi militaviſſe: pœnamque hanc ſibi inflictam a jocoſo Principe pro maledicentia, lepide quodammodo extenuare; atque in melius fingere voluiſſe. Hæc eſt ſumma eorum quæ de Juvenalis ætate ſuſpicari & cogitare potui, doctiſſimorum virorum induſtria & ſollertia præeunte. Nunc de Commentariis eruditorum in Satyras Juvenalis nonnulla commemorabo.

Exſtant primum Scholia vetera; in quibus multa utilia continentur, & locis obſcurioribus noſtri poetæ haud exigua lux interdum affertur: ſed non pauca etiam inepta & ἀνιστόρητα in iis occurrunt: ut appareat, quicquid hoc lucubrationis eſt, Grammatico non admodum diligenti deberi, qui ex plenioribus antiquorum commentariis, deperditis jampridem ante noſtram ætatem, id conſarcinaverit. Non ſunt igitur hæc

Scholia omnino contemnenda: verum caute legenda, & judicio adhibito, ut mala & futilia internosci a rectis & gravibus, ac separari possint. Longissimo intervallo post, plurimi recentiorum Juvenalem interpretandum, notisque & commentariis illustrandum susceperunt. In quibus excellunt Joannes Britannicus Brixianus, Domitius Calderinus, Nicolaus Rigaltius, Petrus Pithœus Jurisconsultus, Theodorus Pulmannus, Eilhardus Lubinus, Theodorus Almelovenius. Contulerunt etiam ad hoc quasi convivium symbolas suas, quamquam aliud agentes, variis in voluminibus, viri laude litterarum celeberrimi, Gerardus Joannes Vossius, Octavius Ferrarius, qui ex hoc ipso loco unde litteras doceo, ante sexaginta annos Græcam Latinamque φιλολογίαν summa cum laude profitebatur, Claudius Salmasius, Josephus Scaliger, Nicolaus Heinsius, Joannes Fridericus Gronovius, Joannes Georgius Grævius, Isaacus Vossius, Joannes Antonius Gonsalius de Salas, qui Satyrici etiam Petroniani ἀποσπασμάτια uberi & egregio Commentario interpretatus est. Hæc autem doctorum virorum monumenta auro contra æstimanda, hi cedro digni labores, maxi-

mam

mam partem collecti, atque in unum quasi corpus redacti sunt ab Henrico Christiano Henninio, Historiarum & Eloquentiæ in Academia Duisburgensi olim publico doctore, editique Lugduni Batavorum anno CHRISTI MDCXCV. una cum Satyris Juvenalis & Persii; ad quem scriptorem intelligendum, accuratissimos & numeris omnibus absolutos Isaaci Casauboni Commentarios in eodem volumine apponi curavit: quos Josephus Scaliger, vir emunctæ naris, haud immerito divinos appellabat. Omnium editionum Juvenalis, quæ ad hanc diem comparuerunt, præstantissima & copiosissima hæc esse videtur. Non tamen ita loci omnes obscuri & implexi, lumine perfusi sunt a magnis illis viris, ut nihil diligentiæ atque industriæ nostræ agendum supersit. Ego quoque pusillus homo, infimique subsellii, spicas post messem reliquas legere instituam, operæ pretium facturus.

Gallico sermone Juvenalem verterunt Quercetanus, Morollesius, Tarteronus, Silvecanus; soluta oratione alii, versibus alii. Μετάφρασιν Aquinatis poetæ versibus Italicis hendecasyllabis ὁμοιοτελεύτοις, dedit olim Georgius Summaripa, sed impolitam & pæne

barbaram. Deinde longo post tempore elegantiorem concinnavit Fridericus Nornius Aretinus. Postremo Camillus Silvestrius Rhodiginus, anno hujus sæculi duodecimo luculentam Juvenalis editionem protulit, cujus poetæ Satyras omnes Italicis versibus interpretatus est: notasque apposuit singulari eruditione plenas, ex antiquis præcipue lapidibus depromtas. Ut autem verum candide fatear, quod semper soleo, Annotationes in suo genere μεταφράσει poeticæ longe anteferendæ mihi videntur. Poterat enim ea multo elegantius & subtilius (aut ego fallor) adornari. Jam de virtutibus & vitiis Satyrarum Juvenalis verba faciam.

CAPUT X.

Lucilius in Satyra exilis, & lutulentus. Hodierni quidam rhapsodi notati. Callimachi locus insignis copiose explicatus. Franciscus Dousa Lucilii Satyrarum Fragmenta præclare illustravit. Horatii Satyra quomodo inter Satyram Lucilii, & Juvenalis media sit. Juvenalis versus Horatianis rotundiores. Julii Scaligeri judicium de Juvenale examinatum & rejectum. Latine loqui, *veteribus*

bus interdum significat obscœne loqui. *Sententiæ Juvenalis laudatæ. Cur Horatio, non Juvenali, Satyræ Latinæ principatum tribuere oporteat. Versus Horatii duriores quidem quam Juvenalis, sed Satyræ aptiores. In Satyra* φράσιν *subobscuram præstare apertæ. Horatius a Scaligeri censura defensus. Morbi animorum qua ratione curandi. Horatii urbanitas mira. Juvenalis, poeta iracundus. Quæ ingenia Horatio, quæ Juvenale delectentur. Certius judicium de Juvenale. Quid in hujus poetæ lectione cavendum. Non est adeo obscurus, ut multi caussantur. Antiqui scriptores, in primis poetæ, haud facile intelliguntur. Satyra, poema eruditum & abstrusum. Eilhardi Lubini error de Juvenale.*

PRIORUM vestigia se reliquisse in Satyra scribenda, ejusque carminis quasi pomœrium protulisse, ingenue fatetur Juvenalis noster sub finem Satyræ sextæ:

Fingimus hæc altum Satyra sumente cothurnum
Scilicet, & finem egressi legemque priorum
Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu
Montibus ignotum Rutulis, cæloque Latino.

Et sane Lucilius, qui primus omnium Romanam

manam Satyram extra scenam excoluit, summus auctor apud veteres; tametsi eruditione admirabili, parique libertate, unde acerbitas & sales, in hoc genere stilum exercuisset, nihilominus ἰσχνοῦ χαρακτῆρος, tenuis videlicet atque exilis, Romanis poetis exemplum fuit. Adhibuit enim verba & loquendi modos e trivio sumtos, quum sæpe de rebus quotidianis & familiaribus dicturus esset. Si Horatio magno Critico fidem habemus, (nulla porro caussa est cur non habeamus) fuit Lucilius *facetus*,

Emunctæ naris, durus componere versus:
Nam fuit hoc vitiosus; in hora sæpe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam, ut multum, nil moror ---- --- --

Sunt hæc verba poetæ Venusini Sermonum libro 1. Satyra 4. ex quibus colligimus, Lucilii scriptionem minus accuratam fuisse, & pæne ex tempore fusam. Quæ ὁρμὴ & acrimonia id efficiebat, ut omnem limæ laborem ac moram poeta ille fervido copiosoque ingenio aspernaretur. Nihil propterea

mi-

mirum si ejus *versus incomposito pede* plerumque *currerent*; strigosi, horridi, & salebris pleni essent: si sermo humilis, abjectus, inornatus, & solutæ plebejorum hominum orationi quam proximus. Pulchra enim carmina, polita, affabre facta tempus requirunt, & curam poetæ: contra, qui torrentes hibernos, & nivis e cælo casum innumeris versibus, temere ac subito fusis imitantur, nihil perfectum, nihil dignum lectione, ac multo minus immortalitate procudere solent. Quod in his hodiernis *μουσολήπτοις* & *μουσοπαταίκτοις*, qui veteres illos agyrtas circumforaneos, & rhapsodos nobis referunt, animadvertere possumus. Effutiunt enim carmina, si modo appellanda sunt carmina, quæ popello atque otiosis mulierculis placeant, stolidosque homines admiratione percellant, doctis autem ludibrio sint, ut merentur. Quamobrem gloriæ cupidi adolescentes meminisse debent, quid responderit Apollo Invidiæ apud Callimachum, Hymno quem in ipsum Apollinem poeta ille composuit. Invidia scilicet Phœbi auribus insusurraverat, se prolixi carminis auctores tantummodo mirari, despicere vero ac floccifacere *τοὺς οὐ δυναμένους ποιῆσαι μέγα ποίημα*,

qui

qui magnum poema condere non possent. Ad quem locum vatis Cyrenæi tradunt eruditi quidam viri, sub nomine Invidiæ latere Apollonium Rhodium, ex discipulo æmulum Callimachi, qui scripsit hexametro versu quatuor Argonauticon libros. Hic nempe facultatem suam extollere, ac de se magnifice admodum sentire solitus erat, quod magna volumina elucubraret: Callimachum vero, tamquam pusillo hominem ingenio ac jejuno, superbe contemnebat, qui parva tantum & brevia carmina ederet. Sic itaque Apollo calumniantem Invidiam retundit: Assyrii fluminis (*Euphratis videlicet*) copiosus est fluxus: verumtamen lutum, quisquilias, fæcem, purgamenta secum trahit. Cereri autem non ex omni fluvio libant Melissæ: (erant hæ Cereris sacerdotes) at ex eo tantum latice qui e fonte sacro scaturiens, parvus quidem serpit, sed purus, & nulla sorde infectus: quem propterea eximium aquarum florem vocare quis possit. Huic fabellæ Callimachi adolescens quisque ingeniosus ἐπιμύθιον ipse addere potest. Ceterum ad hunc Græci poetæ locum respexit Horatius, aut ego fallor, quum dixit, *Lucilium fluere lutulentum*. Quod

quam-

quamquam ita eſt, nihilominus optandum foret, Lucilii Satyras exſtare; ingentem profecto veteris atque incorruptæ Latinitatis theſaurum: quarum hodie pauca tantum fragmenta ſuperſunt. Eas carminum reliquias Franciſcus Douſa Jani filius ex variis antiquorum voluminibus diligenter collectas, concinne diſpoſuit, & doctis Annotationibus illuſtravit. Quum vero hi Douſæ labores in tabernis librariis vix amplius occurrerent, ego & frater meus Cajetanus ante hos quinque annos in Typographia Cominiana utile opus recudi curavimus. Lucilius profecto magnus vir fuit: qui duritiem verſuum, & alia vitia quæ illi Horatius objectat, eruditione, lepóre, virtutibus commendandis, peccatis reprehendendis, abunde compenſaverat. Quapropter inſigni utilitate non careret, ejus poeſin ſalvam & integram evolvere nos poſſe. Verum fata, & ſuperioris ævi negligentia hoc damno litteras mactarunt.

Durum: ſed levius fit patientia
Quicquid corrigere eſt nefas.

Ut igitur unde tantiſper digreſſa eſt, eo revertatur oratio; ſi Juvenalis noſter Lucilium ſibi ad imitandum proponere voluiſſet, non

tam

tam bonos & molliter euntes hexametros condidisset, quales condidit: scaber & ipse fuisset atque impolitus: humi repsisset: plebeculæ verba usurpavisset: nec sublimitatem illam spiraret quam in ejus carmine multi non immerito admirantur. Sed neque Horatii Sermones Juvenali exemplum sublimitatis vel rotunditatis in carmine suppeditare poterant. Horatius enim & ipse molles versuum juncturas in Satyra vel assequi non potuit, vel certe de industria & data opera repudiavit, credo, ut popularem & quotidianam orationem ad verum magis exprimeret. Quapropter Vetus ille Grammaticus qui Commentarios in Horatium conscripsit, a multis Porphyrion appellatus, dixit, *Satyram Horatii inter Lucilii Satyram & Juvenalis esse mediam. Habere enim eam, asperitatem, qualem Lucilius, & suavitatem, qualem Juvenalis.* Quod omnino intelligendum est de numeris, & constructione versuum, non de sententiis, & sententiarum figuris. Nam si versum Juvenalis compares cum Horatiano, Juvenalem quidem suaviorem judicabis, Horatium duriorem & asperiorem: si sermonis genus ab utroque adhibitum, & præterea sententias, figuras, colo-

colores, certe Juvenalis acerbior, amarior, vehementior: Horatius lenior, jucundior, venuſtior ſanis hominibus videbitur. Latinæ etiam linguæ proprietate Horatius Juvenali multis millibus antiſtat; verum hæc ſæculi quo floruit Horatius, nimirum Auguſtæi, præcipua laus fuit: ea enim ætate nondum colluvies peregrinorum, prave & inquinate loquentium, in urbem confluxerat: quod accidit poſt vulgatam a Cæſaribus ſenatoriam dignitatem, & aditum ad honores peregrinis patefactum. Ex illo enim candor, & genius Latinæ linguæ detrimentum cepit.

Julius Scaliger, acutiſſimo vir ingenio, ampla & recondita doctrina, ſed judicio plerumque non adeo felici, libro VI. Poetices, quem librum Hypercriticum inſcripſit, cap. VI. pronuntiavit, *Juvenalem candidum eſſe, ac Satyrorum facile principem. Ejus verſus longe meliores eſſe quam Horatianos, ſententias acriores, phraſin apertiorem.* Hoc Scaligeri judicium, quod multa continet falſa, nos pro munere docendi noſtro examinare debemus. *Juvenalis* igitur *candidus eſt.* In verbiſne, an in ſententiis? Verba & locutiones quidem barbaræ non ſunt: ſed ab aurea illa & minime fucata Latinitate, qua

ævo

ævo ſuperiore utebantur, ſæpius aliquantùm diſcedunt. Niſi velimus *Latinum* appellare quod obſcœnum eſt, ac rem puram putam aperte ſignificat ſine circuitione: quod nimirum τὴν σκάφην σκάφην λέγει, ut Græcorum proverbio fertur. Nam & id vocabant *Latine loqui;* ut Priapejorum carminum & Martialis teſtimonio ſatis conſtat. Si Latinitatem hoc pacto accipimus, valde Latinus & candidus fuerit Juvenalis: qui ſæpe abjecto pudore, flagitia & libidines propriis & ſignificantibus verbis ob oculos ponere non dubitat. In quo tamen genere poeta noſter ipſi Martiali concedat neceſſe eſt; qui Catullum in Epigrammate ſecutus quod ſpectat ad licentiam loquendi, obſcœnæ ſcriptionis palmam ferre viſus eſt. Si vero candorem ſententiarum Juvenalis noſtri laudare Scaliger voluit, haud ægre illi hac in parte ſubſcripſerim. Sunt enim ſententiæ Juvenalis quum ad vitam utiles & moratæ, tum mire perſpicuæ, bonoque in lumine collocatæ: niſi quod interdum acutæ nimis & exquiſitæ videri poſſunt. Pergit porro Scaliger, & Juvenalem Satyrographorum principem facit. Quo jure, ipſe viderit. Nam ſi vera ſunt quæ attulimus quum Satyræ

La-

Latinæ definitionem, ducibus viris doctissimis, explicaremus, in Satyra non est declamandum, sed potius jocorum urbanitate, & cavillatione utendum. Declamavit autem sæpissime Juvenalis in Satyra. Non igitur princeps dicendus est Satyricorum, qui legem potissimam condendæ Satyræ adeo servare non curaverit, ut perpetuo etiam violaverit. Itaque principatus hujusmodi non est a justo possessore Horatio ad Juvenalem iniquo judicio transferendus. Quum vero Scaliger confidenter pronuntiat, *versus* Juvenalis *longe meliores* esse *quam Horatianos*, distinguere accurate oportet, qua ratione id verum, aut falsum esse possit. Nam si collocatio verborum suavis, neque ullo modo contorta, si molles juncturæ, si vocalium sonus, si cetera quæ pueri etiam ipsi statim probant in versu, considerentur; meliores profecto Juvenalis versus erunt quam Horatiani. Sed si spectare voluerimus, quem versum sibi poscat hoc poematis genus, utrum humilem ac solutæ orationi proximum, an vero sublimem & magnificum; Horatiani profecto versus, quamvis duriusculi & salebris impediti, rotundis ac tornatis Juvenalis longe præferendi erunt, utpote ra-

 tioni-

tioni propositi operis magis apti & convenientes. Jam quod *sententias* Aquinatis poetæ *acriores* judicaverit Scaliger quam sententias Venusini; nos quoque calculum addimus: quod vero *phrasin apertiorem*; id etiam damus non gravate. Dicimus tamen, in Satyra scribenda non tam apertam, quam subobscuram phrasin laudari: & iccirco fieri ut majorem laudem promeritus fuerit Horatius, qui oblique & per ambages vitia & errores hominum perstringere potius ac vellicare adamavit, quam Juvenalis, qui larva deposita, & flagello sumto, in improbos & nebulones debacchatur.

Alio loco idem Julius Scaliger de Satyra Horatiana hanc sententiam protulit: *Horatium in ea irrisorem esse, & ob id Sermonum titulo contentum fuisse, qui modo sententiæ lacertos expressos ostendat sermone vulgato, sed lecto tamen, parum curat numeros; & denique, modo pure diceret, nihil pensi habuit.* Sed, o bone, ista quæ tu Horatio tribuis, non vitio verti debent, sed prorsus laudanda sunt, tamquam Satyrici carminis virtutes. *In Juvenale*, inquit, *omnia contra. Ille ardet, instat, aperte jugulat. Stylus valde arridet, in quo cum Romana puritate juncturas*

mol-

molles feliciſſime conſecutus eſt. Animadverto hic obiter, *puritatem* vocem eſſe a nullo optimorum ſcriptorum adhibitam in ſcriptis quæ exſtant. Ceterum, ardere, inſtare, aperte jugulare, quum de peccantium morbis emendandis agitur, omnino inutile eſt. Suavibus profecto & lenibus remediis, non aſperis & irritantibus morbi animorum curandi ſunt: nam ſi contraria medendi via ineatur, ita exacerbantur, & in dies gliſcunt, ut nulla ſpes ſanitatis reliqua futura ſit. Propterea urbanitate Horatiana feri & indomiti affectus, qui homines tranſverſos agunt, & a recto rationis tramite ſecum abripiunt, cicures fiunt, & „quaſi frenis injectis, in gyrum prudentiæ compelluntur. Quam urbanitatem Scaliger Horatio voluit eripere, & Juvenali adjudicare. Sed facilius ab Herculis manu clavam extorſeris. Concludit iccirco: *Neque argumentorum varietate, neque dexteritate tractandi, neque ubertate inventionis, neque crebritate ſententiarum, neque acrimonia reprehenſionis, neque facetiis & urbanitate*, ſi diis placet, *Horatium Juvenali parem eſſe*. Quid iſti homini, quæſo, faciamus? niſi oculis tam lippientibus collyrium precemur. Putamuſne, Julium Scali-

gerum noviffe, aut faltem meminiffe, quid urbanitas & dexteritas effet? Sane, fi noviffet, vel, ut cautius loquamur, fi meminiffet, eum valde puduiffet Juvenalem Horatio in urbanitate præponere: quum fit urbani hominis, ab iracundia & verborum acerbitate abftinere: iracundiorem porro atque acerbiorem Juvenale poetam memini me legiffe neminem. Ceterum, Horatius ipfe Satyra 4. libri 1. fibi poetæ nomen denegat, humilemque fcribendi rationem fe fecutum effe in Sermonibus, ingenue profitetur; vel modeftiæ confulens, vel ipfius nomini detrahentium ora obftruere volens, & fimul tirones docere, quo pacto Satyram fcribere oporteat. Verfus ejus afferam:

Primum ego me illorum dederim quibus effe poetis,
Excerpam numero: neque enim concludere verfum
Dixeris effe fatis; neque fi qui fcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc effe poetam.
Ingenium cui fit, cui mens divinior, atque os
Magna fonaturum, des nominis hujus honorem.

Sed, ut funt ingenia hominum inter fe diverfa, nullo tempore fui amatores Juvenali defuerunt: quemadmodum & Horatius

fuos

suos semper habuit. Lenes nimirum animos, callidos, & usu rerum subactos, mirum in modum capit urbanitas illa Horatiana: generosis & acribus, qui dissimulationem atque ironiam ignorant, præsertim si stimulis indignationis impellantur, placet Juvenalis. Profecto hi duo poetæ pariter grassantur ad gloriam, quamquam non eodem itinere. Neque displicet judicium Isaaci Casauboni Prolegomenis in Persium, existimantis videlicet, sales Horatii populare aliquid fere sapere: Juvenalis jocos ita salsos esse ac mordaces, ut acumen sæpe atque eruditionem præ se ferant, & ingenium longa declamandi consuetudine exercitatum. De Juvenale igitur, mea quidem sententia, sic censendum est: Quamquam ad illum Satyræ Latinæ principatus non est deferendus, in qua sane regnat Horatius: operam tamen quæ in eo legendo atque illustrando a studiosis adolescentibus, doctissimisque Criticis ponitur, non perire: sumtus enim, ut ita dixerim, fructu satis toleratur. Hic poeta sententias plurimas exhibet βιωφελεῖς, nempe ad vitam regendam, & mores formandos apprime utiles: acerrimus est malorum hostis, uni virtuti æquus, atque e-

jus amicis: alere etiam eloquentiam poteſt: tum plurima ſuppeditat quæ ad cognitionem Romanæ antiquitatis pertineant. Eſt igitur maximo ſuo merito colendus, & in pretio habendus. Cavere tamen oportet in Satyris Juvenalis quoſdam quaſi Sirenios ſcopulos, qui legentibus paſſim occurrunt, & docent vitia quum reprehendunt. Nam quod aliqui de obſcuritate hujus auctoris queruntur, juſtam querelarum cauſſam non habent. Cæci homines ipſo meridie minus lucere ſolem clamant: ita qui ab omni eruditione ac rerum antiquarum notitia imparati ſunt, quoties bonis ſcriptoribus manum admovent; inſcitiæ ſuæ culpam in eos conferre ſolent, quaſi ea quæ ſcripſerunt cognoſci atque intelligi noluerint. Seligant igitur delicati iſti optimum quemque interpretem, vivam magiſtri vocem attente audiant, mentem animi contendant: paullatim enim quæ inexplicabilia initio putaverant, perſpicua illis omnino & aperta fient. Profecto Perſius longe obſcurior eſt quam Juvenalis: poſtremis tamen his temporibus, cura doctiſſimorum virorum, præcipue Iſaaci Caſauboni, tenebræ omnes ab eo depulſæ, atque in intima ejus adyta penetratum eſt; -- -- *labor*

enim

enim omnia vincit Improbus -- -- -- Mendax fuerim, si dixero studiosis adolescentibus, antiquos auctores, in primis vero poetas, intelligere, facilem rem esse ac nullius operæ. At neque muneris mei est, neque propositi, neque naturæ, quemquam falsa spe lactare. Vetustas faciem orbis terrarum penitus immutavit: propterea ex hodiernis non sunt æstimanda prisca: præsertim quum poetæ publicos vel privatos mores suorum temporum carpunt: in quo versantur Comœdia, & Satyra Romana. Deinde, Satyra poema est eruditum, atque adeo operosum: interdum vero ipsa personarum mutatione perplexum: docuimus enim superius, eam trahere aliquid ex dramaticis poematis. Attentum igitur & sollertem lectorem poscit. Nemo autem, ab Eilhardo Lubino deceptus, celebri Juvenalis interprete, indignetur, me affirmare, non esse hunc poetam Satyricorum principem; existimetque, me Quinctiliani judicio adversari, qui scilicet Juvenalem, si diis placet, reliquis Satyrarum scriptoribus prætulerit: nam id bonus Lubinus profecto somniavit: siquidem apud Quinctilianum de Juvenale nulla fit aperte mentio. Hoc solum dicitur cap. 1. lib. 10. ubi Satyræ

ſcriptores conſiderantur: fuiſſe nonnullos claros in hoc genere temporibus Quinctiliani, qui olim nominandi eſſent. Sequenti capite, Horatii, Perſii, ac Juvenalis, in Satyra, comparationem inſtituemus.

CAPUT XI.

De bonis auctoribus magnam eſſe judiciorum diſſimilitudinem. Verecundia cenſorem decet. Horatii laudes. Quo differant ejus Lyrica a Sermonibus & Epiſtolis. Perſii Satyræ plenæ Stoicorum præceptis decretiſque. Julius Cæſar Scaliger quam durus in Perſium judex. Loquendi libertas mira in Juvenale. Hiſtoria & Satyra conſentiunt παῤῥησίᾳ. Marii Maximi Hebdomades Hiſtoricæ olim ab otioſis lectitatæ. Horatii mores fœdi. Generis obſcuritatem Horatio nihil nocuiſſe, quominus præclara ſcriberet, contra Caſauboni ſententiam oſtenditur. Perſii mores integri; ſcripta utilia, & virtutem præferentia. Juvenali qui mores fuerint, haud compertum. Satyra omnis Horatiana triformis. Perſius in Satyris callidus, & ſapiens. Horatium imitatur. Academicorum, & fortaſſe Pyrrhoniorum nationem Horatius in philoſophia ſecutus eſt.

DE

DE ſcriptorum præſtantia & dignitate varia ſunt, ac ſemper fuerunt hominum judicia. Propterea, *in omni re*, ut ait Cicero in Oratore ad Brutum cap. 11. *difficillimum eſt, formam (quod χαρακτὴρ Græce dicitur) exponere optimi: quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quiſpiam, quod non diſcedit a communi more verborum: Pacuvio, inquit alius; omnes apud hunc ornati, elaboratique ſunt verſus: multa apud alterum negligentius. Fac alium Attio. varia enim ſunt judicia, ut in Græcis: nec facilis explicatio, quæ forma maxime excellat. In picturis alios horrida, inculta, abdita, & opaca: contra alios nitida, læta, colluſtrata delectat.* Quemadmodum enim formæ puellarum aliæ aliis placent: neque ullum amatorem invenias cui mulier amata non ipſa Venus videatur: ita in litteris accidit, ubi de facultatis alicujus principatu inter auctores contenditur. Lucretius prope finem libri 4. hanc amantium κακοζηλίαν, falſamque perſuaſionem elegantiſſimis verſibus perſequitur: quorum aliquos huc afferre juvat.

Hoc faciunt homines plerumque cupidine cæci,

Et

Et tribuunt ea quæ non ſunt his commoda vere.
Multimodis igitur pravas turpeſque videmus
Eſſe in deliciis, ſummoque in honore vigere.
Atque alios alii inrident, Veneremque ſuadent
Ut placent, quoniam fœdo adflictantur amore;
Nec ſua reſpiciunt miſeri mala maxima ſæpe.

Deinde Lucretius ſingulari cum lepóre multa puellarum vitia enumerat, quæ ab illarum amatoribus extenuentur, vel etiam ad laudem trahantur: quum enim mala ſint bonis proxima, facile admodum eſt vitioſum quempiam excuſare volenti, eum proximæ virtutis nomine ornare, atque adeo vitii quo laborat ſuſpicionem ab eo removere. Ut ſi avarum hominem, parcum dicas & frugi: ſi timidum, cautum ac prudentem: ſi ſuperſtitioſum, pium. Nemo igitur miretur, tantam de bonis auctoribus diſſimilitudinem eſſe judiciorum. Ut enim quiſque ab ingenio & natura comparatus eſt, ut inſtitutus a puero, ut aſſuetus; ita hunc, vel illum poetam, hiſtoricum, oratorem, philoſophum ceteris præfert in eo genere: neque ullis plerumque argumentis ab opinione quam ſemel imbibit, ſe patitur dimoveri. Non parum certe refert ad

bene

bene de ſcriptis judicandum, quibus magiſtris adoleſcens uſus fueris, quos educatores, quos monitores habueris, quum *cereus* adhuc eſſes, ut Horatii verbo utar, & eo flecti poſſes facillime quo manus inſtituentium te ducebant. Eodem pacto lanas albas quo potiſſimum colore volueris, nullo negotio imbuas atque inficias; qui color poſtea permanet, ita ut candor ille priſtinus nulla ratione jam revocari poſſit. Audiamus iterum Lucretium libro 6.

Purpureuſque colos conchylî mergitur una
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat umquam,
Non, ſi Neptuni fluctu renovare operam des,
Non, mare ſi totum velit eluere omnibus undis.

Ad quamcumque propterea diſciplinam philoſophorum, vel rhetorum ſectam candidi & ſimplices juvenum animi quaſi tempeſtate delati fuerint, ad eam tamquam ad ſaxum adhæreſcunt. Hinc plane diverſa oriuntur iiſdem de rebus judicia. Nunc ad propoſitum noſtrum & inſtitutum propius accedamus.

Horatium, Perſium, Juvenalem, Romanæ Satyræ ſcriptores, qui ſoli hoc tempore ſuperſunt, comparaturi ſumus. Ex hac

enim

enim comparatione, quum eorum virtutes magis enitebunt, tum etiam si qua vitia sunt in eorum poematis (magni enim fuerunt, homines tamen, ut cum Quinctiliano loquar) ea diligentius notari, & certius vitari poterunt. Daniel Heinsius, majorum gentium Philologus, in duobus libris de Satyra Horatiana Venusinum poetam ita miratur, ita laudibus ad cælum vocat, ut præ ipso Persium ac Juvenalem pæne contemnere, ac nullo loco habere videatur. Isaacus Casaubonus, vir profecto summus, edito in Satyras Persii Commentario longe doctissimo, eum poetam non solum a calumniis reprehensorum egregie vindicat, sed etiam principem in illo genere atque excellentem esse, ostendere conatur. Denique Nicolaus Rigaltius, indignatus, Juvenalem pro ipsius meritis ab Heinsio & Casaubono parum æstimari, ei suppetias ire voluit, edita διατριβῇ de Satyra Juvenalis, qua summum poetam utcumque defendit atque extollit: Heinsio tamen & Casaubono impar; vera enim dicenda sunt. Nos quoque hodie amussim criticam sumamus, ejusque ope, non tamquam disceptatores ac judices (quod munus nobis non arrogamus) ve-

rum

rum ut ſpectatores, & proficiendi cupidi, has controverſias cognoſcamus. Enimvero ſolius Criticæ artis auxilio, quid vere probandum ſit in bonis auctoribus, quid imitandum, quid excerpendum & ediſcendum: contra, quid reprehendendum, ſi diis placet, quid fugiendum & reſpuendum ſit, cognoſcere poſſumus. Id tamen quum uſuvenit, verecunde admodum, & petita prius venia, nec ſine quadam honoris ſignificatione fieri debet. Omnino enim abſtinere debemus ab eorum audacia qui quum ipſi umbræ ac ſimulacra hominum ſint, ſemper melioribus obloquuntur, atque ut eſſe aliqui videantur, cælum ipſum vituperant. Summi ſcriptores, virtutum ſuarum magnitudine, meritiſque illuſtribus erga omnem poſteritatem, quum ſtudia noſtra & reverentiam efflagitant, tum ruſticam certe atque impudentem cenſuram jure quodam ſuo deprecari videntur.

Ut igitur a meritis Horatii conſiderandis initium ducam: ſi quis urbanum & dicacem ſcriptorem ultra Latinos omnes, fortaſſe etiam ultra Græcos, requirit; ſi Romanum vere ac terſum; ſi in decretis veterum philoſophorum egregie verſatum; ſi acutum

Cri-

Criticum, prudentem, vafrum, in notandis præcipue moribus hominum excellentem; huic auctor fuero, ut Sermones atque Epistolas Horatii numquam e manibus deponat: sic tamen legat, ut meminerit, ea Venusini poetæ scripta Sermones atque Epistolas esse, non Iliadem Homeri, aut Æneidem Virgilii, aut carmina Pindarica vel Alcaica; in quibus imitandis egregium se consummatumque artificem satis probavit idem Horatius: iccirco ab Ovidio *numerosus* appellatus, quod numerorum legem, viam, varietatem unice calleret. In his igitur libris, ad quos componendos jam senior accessit, ingenium animi sui penitus denudavit, ac tamquam in tabella pictum ante oculos posuit. Commiseratione propterea digni videntur Danieli Heinsio qui hanc rationem scribendi ab Horatio adamatam reprehendere non verentur, & præ nimiis deliciis ferre non possunt; viri puerorum similes, & ad puerilia vere nati, qui nuces & bellaria semper poscunt, solidum cibum virilemque aspernati. Horatium excipit Aulus Persius, qui tametsi virilitatem attingere non potuit, acerba morte præreptus, breve nihilominus vitæ tempus ita par-

parce ac sapienter dispensavit, ut neque contemnendam doctrinam neque vulgarem præmature adipisceretur. Tantos enim profectus habuit in Stoicis, Cornuto præceptore usus, qui Neronis temporibus in ea disciplina regnabat, ut omnes fere condiscipulos post se reliquisse videretur. Id testantur Satyræ sex quæ adhuc supersunt, doctissimi adolescentis fœtus, plenæ Stoicorum præceptis, gravissimoque stilo conscriptæ, excelsam indolem auctoris præferentes, ac moribus valde utiles. Quanta vero fuerit Persii eruditio, quantus ardor erga optimas litteras, ex ejus Vitæ veteri scriptore satis manifestum est, narrante, illum testamento septingentos libros magistro suo legavisse: qui numerus librorum ea ætate insignis fuit, ac privatæ pæne bibliothecæ modum excedens. Non me fugit, Julium Cæsarem Scaligerum ita de Persio judicavisse in Hypercritico: *stilum* ejus *morosum* esse: *auctorem ipsum ineptum, qui quum legi vellet quæ scripsisset, intelligi noluerit quæ legerentur*. Paullo post scribit, *Persium ostentatorem febriculosæ eruditionis cetera neglexisse*. Illum propterea quasi cum ignominia missum facit. Quid sit acutissimo censori *febricu-*

briculosa eruditio, non facile est divinare. Nam plerumque Scaliger mysteria loquitur, ejusque sententiæ, tamquam oraculorum, conjectore atque interprete opus habent: ut in id vitium quod tantopere in Persio reprehendit, sæpius ipse incidere videatur. Hoc tamen Scaligeri judicium de tanto poeta, durum profecto & inhumanum, studia nostrorum juvenum retardare non debet, neque illos a legendo Persio & pro meritis æstimando vel tantillum deterrere: qui scilicet noverint, Julium Scaligerum magnum esse haud raro bonarum rerum contemtorem: summum etiam & immodicum laudatorem scriptorum quos amare cœperit; osorem contra pertinacem illorum qui semel ipsi displicuerint. Credamus potius M. Fabio Quinctiliano scribenti: *multum veræ gloriæ, quamvis uno libro, meruisse Persium:* credamus Martiali, qui testatur, unum librum Persii celebrem tamen atque in ore hominum fuisse, ut magis memoraretur & frequentius, quam Domitius Marsus in prolixo poemate quod is Amazonida inscripserat. Ex hoc parvo quidem at elaborato monumento æstimemus Persium, tamquam ex ungue leonem: ut recte monet Isaacus Casau-

ſaubonus. Et ſane in Satyris hujus poetæ nonnulla occurrunt adeo egregia, quæ mores hominum ſic exprimant, eam vim, eos nervos dictionis præferant, ut difficile ſit, paria in hoc genere apud alios auctores invenire. Sed neque Juvenalem, ſcriptorem celeberrimum, jure contemnere poſſumus; cujus præcipue παῤῥησίαν, ſcilicet loquendi libertatem, animique magnitudinem omnino mirari oportet. Hujuſmodi autem παῤῥησία (ut animadvertit Nicolaus Rigaltius in Diſſertatione de Satyra Juvenalis) Hiſtoriæ Satyræque communis eſt: utrique enim lex ea poſita videtur, ne quid veri dicere non audeat, ne quid probroſi carpere ac notare formidet. Quum igitur ex rerum geſtarum cognitione, pravorumque morum reprehenſione habeant homines unde prudentiores & meliores fieri poſſint: utrumque autem Hiſtoria & Satyra jucundiſſime præſtent: iccirco Rigaltius exiſtimat, non prorſus male feciſſe qui corruptiſſimo Romano imperio, & ingeniis una cum eo ſeneſcentibus, Juvenalem tantum & Marium Maximum lectitarent, & in deliciis haberent, quum ceteros libros vix attingerent, ac diſciplinarum genus omne faſtidirent. Marius porro

Maximus in vitia calamum distrinxerat, quemadmodum Juvenalis. Narrat hoc Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. Historiarum. Non igitur, si Rigaltium audimus, lectio Juvenalis & Marii Maximi ab Ammiano Marcellino sæculi corruptelis annumeratur: verum scriptor ille significare voluit, hosce duos auctores, ut civilium doctrinarum compendia quædam, & morum in dies labentium remedia præsentissima, illius ævi delicatis hominibus summopere placuisse. Marius Maximus nimirum Hebdomadas historicas ediderat, quibus acta Cæsarum uberrimo & diligentissimo stilo descripserat. Juvenalem vero, tamquam veteris disciplinæ magistrum, ac totius vitæ humanæ censorem longe gravissimum, suspiciebant.

Jam ut de moribus horum Triumvirûm Satyræ Latinæ nonnulla dicamus; unde sententiæ poematum originem ducere solent: de Horatio quidem tradit Vetus Auctor ejus Vitæ, non mediocribus flagitiis, & nebulone potius, quam viro sapiente dignis, fœde inquinatum fuisse. At eæ Horatii labes, domesticæ, ut puto, & arcanæ fuerunt, quæ parietibus, foribus, & velis tegeren-

gerentur. Quoties autem in publicum prodibat, honestam faciem & gravem sumebat: ne cuiquam civi exemplo noceret. Nam sicuti necesse est, oratorem virum bonum videri, etiamsi reapse non sit: alioqui oratoris nomen tueri non poterit, neque persuadere dicendo: ita poetæ satis est si virtutis amorem præferat, quamvis vera virtute careat; ut scripta ejus lectoribus prosint. Mirum est quod Isaacus Casaubonus Prolegomenis in Persium objectat Horatio, poetam egregium calumniatus: videlicet, libertinæ prosapiæ hominem, & patre coactore natum, qualis fuit Horatius, nihil altum spirare in Satyris & Epistolis, & iccirco in vulgatissimis morum præceptis ubique occupari. Hæ, pace tanti Critici, nugæ sunt meræ. Non certe nocuit Horatio natalium obscuritas, quominus in Lyricis *majores nido pennas extenderet*, atque *album in alitem mutaretur*, cujus concentum oriens & occidens, totusque terrarum orbis audiret: quominus Augusti Cæsaris gratiam, amicitiam, familiaritatem promereri posset; cui sane carissimus vixit. Deinde, a patre libertino tanta cura educatus fuit (quod ipse testatur Satyra 4. libri 1.) ut ne se-

natorum quidem liberis invideret: ac si optio ei dari potuisset ut rursus vitam inchoaret, parentes vero quos mallet eligeret, alium patrem sibi petere noluerit quam illum qui naturæ necessitate semel contigisset. Numquid P. Virgilio Maroni pagus Andinus, in quo natus est, vel pater agricola impedimento fuerunt, quominus Æneide scribenda, altissimi spiritus poemate, ad Homericam majestatem proxime accederet? Ajebat Plinius junior verissime, *morum sanctitatem ordinibus non distare*: hoc dictum etiam doctrinæ atque eloquentiæ facillime accommodari potest: multi enim homines insigni nobilitate, stupidi & infantes; multi plebeji, acuti & diserti. Sed videlicet Casaubonus fecit quod plerique facimus: nobilibus adulari voluit. E Satyris Persii mira profecto morum sanctitas elucet: ipsumque virtuti dedisse operam, scriptor ejus Vitæ apertissime testatur, quæ res in adolescente magis æstimanda. Tametsi viveret sub tyranno, Romanam tamen libertatem plane spirabat. Romanam dico? Stoicam dicere debueram, quæ libertate Quiritium solidior & verior. Propterea pugnacem & acerrimum se præstitit etiam adver-

ſus Neronem, qui Perſio ſcribente rerum potiebatur. Quamvis leniſſimus natura eſſet, maximus tamen ſcelerum & flagitiorum oſor, ſcripſit contra vitia aſpere, contra pericula animoſe, contra fortunam ſuperbe, contra ambitionem contumelioſe. Decretum illud Stoicum de ultimo fine ubique urget: ſentit autem quæ dicit, ſincere loquitur & ex animo: neque aliud clauſum in pectore, aliud lingua promtum habet: id quod ex ejus dictorum ſententiarumque conſtantia facile apparet. Pudicitiam etiam & verecundiam, adoleſcentiæ ornamenta, in Satyris Perſii animadvertere eſt: nam ſi pauca quædam loca excipias, obſcœnum ſermonem vitavit quantum potuit. Hoc autem in eo ſingulare, qui Stoicorum diſciplinam profiteretur: ſcimus enim, Stoicos nullam in verbis liberioribus turpitudinem eſſe putaviſſe: quod, præter alios, refert Cicero in Epiſtola celebri ad Papyrium Pœtum. Juvenali qui mores fuerint, non ſatis conſtat, in tanta veterum monumentorum inopia. Si loquentem in Satyris audias, Fabricium aliquem, aut Curium, aut Coruncanium, aut Catonem e cælo cecidiſſe exiſtimes: qui enim vitioſis nullius

licti gratiam faciat, qui ab aliis rationem vitæ repoſcat, legem ſibi ipſe innocentiæ, continentiæ, virtutum omnium dicere videtur. Propterea in vetuſtis codicibus *Ethici* cognomine a ſcriptoribus librariis Juvenalis donatur, teſte Caſpare Barthio Adverſariorum lib. *6.* cap. 1. quo pacto Martialem *Coquum*, Propertium *Nautam*, Ovidium *Getam*, Statium *Aquilinum*, Prudentium *Amœnum* iidem librarii vocaverunt: vel ab eventibus, vel a dicendi charactere, vel a quibuſdam eorum poetarum locis perperam lectis atque intellectis.

Quod pertinet ad rationem tractandi argumenta, ſive ὑποθέσεις propoſitas; Horatius poeticæ artis non ſatis peritis varius & inconſtans videri poteſt: multiplex enim fere, non unum tantummodo & ſimplex argumentum in ſingulis Satyris tractat. Verum ordo poeticus non ea lege incedit qua ordo philoſophorum. Excurrit ſæpius poeta, quaſi propoſiti oblitus, præſertim Satyricus: nova quædam introducit, obiter attingit nonnulla, digreditur, nequam homines per aliorum pectus confodit: ſed quum aberrare videtur maxime, tunc poematis legem ſervat maxime; quæ lex vulgo non intelligitur.

gitur. Omnis autem Satyra Horatiana triformis est; ut jampridem animadvertit Daniel Heinsius. Aliquando enim simplici oratione constat: & δι' ἀπαγγελίας, nimirum ex poetæ persona, rem exponit. cujusmodi sunt pleræque Satyræ libri primi. Interdum Horatius duplicem personam sustinet: puta suam, & amici. Quod videre est in Satyra prima libri secundi, ubi poeta & Trebatius jurisconsultus colloquuntur. Nonnumquam totam orationem aliis tribuit, quod est proprium dramatici poematis. Exemplum hujus formæ luculentum fuerit Satyra quinta libri alterius, in qua Tiresias vates inducitur Ulixem admonens, quomodo senem locupletem colere debeat, ut ab eo in testamento scribatur heres. Harum formarum quæ secundo loco memorata est, obscuritatem quamdam continere videtur, & lectoribus oscitantibus fraudem facere potest; qui scilicet non tam facile intelligunt, cujus personæ sint verba & sententiæ quas legunt: utrum poetæ ipsius, an vero amici quem colloquentem inducit poeta. Formæ hujus vestigia deprehendas in aliquibus particulis Satyrarum Persii, quæ tironibus propterea negotium facessunt. Immo quoties

Perſius alium inducit ſibi aliquid objicientem, ſic perſonam alienam ſuſtinet, ut ſuam interea non deponat: quod animadvertere licet Satyra prima, ubi dum ambitioni & κενοδοξίᾳ quorumdam ψευδοποιητῶν patrocinari videtur, eorumque cauſſam agere, ſimul tamen ſatyrico ſale illos defricat. Patrocinium igitur, ab ejus mente eſt cujus poeta perſonam ſumit: irriſio, ab auctoris mente. Id porro primus invenit Epicharmus Siculus, poeta comicus antiquiſſimus: quod colligitur ex Gorgia Platonis; uberrime autem oſtendit Olympiodorus in Commentario ad eum Dialogum, nondum edito. Sic Horatius tractare ſolet argumenta propoſita. Perſius vero petitos e philoſophia locos carminis legibus includit: θέσιν quam enucleandam & ſtabiliendam initio ſuſcepit, urgere atque ornare numquam deſinit, donec tractationem abſolvat. Vix a propoſito digreditur: abit certe numquam. Ubique autem δόγμα Stoicorum inculcat de ultimo bonorum fine, quo referenda ſint omnia. Juvenalis pariter unum & ſimplex argumentum tractat in ſingulis Satyris, tamquam ſi ſcholam aliquam philoſophorum explicaret. Oratione recta plerumque utitur, ex

per-

persona sua loquens: raro διαλογίζεται. Ceterum excellit ubertate inventionis, facultate amplificandi, copia exemplorum. Id hoc loco non est prætermittendum, ab Horatio & Juvenale partem illam Ethicæ philosophiæ in Satyris cultam fuisse quæ monitis & præceptis constat: alteram vero neglectam & posthabitam, quæ decreta exponit: δογματικὴν Græci appellant. Persius, contra, hanc excolendam sibi sumsit: placitis enim ac decretis Stoicorum toto animo adhæserat. Quapropter perpetuus & constans est vitiorum hostis,

Virtutis veræ custos, rigidusque satelles.

Et quum Horatium, quem admirabatur, in servilem pæne modum imitetur (de qua Imitatione Persii Horatiana Isaacus Casaubonus peculiarem libellum conscripsit); sententias enim plures Venusini poetæ, figuras, verba ipsa & locutiones idemtidem usurpat: hoc uno tamen dissimilis esse voluit, quod scilicet sibi magis constet quam Horatius, & in argumento persistat. Quæ ratio, ut sæpius dixi, philosophorum propria est, non poetarum. Casaubonus paullo ante memoratus, pronuntiare non dubitavit, Horatium scripsisse sicuti vixit, nempe nulla

la conſtantia: ut iccirco Satyræ ipſius, morum auctoris exemplum & ſpeculum certiſſimum haberi debeant. Fluctuavit ſane Horatius in philoſophia, & ſe Arceſilæ Academici, vel Pyrrhonis diſcipulum præſtitit: qui philoſophi nihil affirmabant, aſſenſum ſuſtinebant, de omnibus dubitabant; non vera, ſed tantum ſimilia veri, tamquam vivendi regulam, ſequi ſe profitebantur. Audiamus Horatium ipſum Epiſtola 1. libri 1. ubi ſic Mæcenatem alloquitur:

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.
Nunc agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos, rigiduſque ſatelles:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubjungere conor.

Hæc tamen decretorum & opinionum inconſtantia eſt. Ceterum, quod ad mores pertinet, idem Horatius Epiſtola 7. libri 1. ſignificat ſatis aperte, vitam ſuam orationi conſenſiſſe, atque illa ſequi ſe ſolitum quæ laudaret. Ejus enim verba ſunt:

Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium. ---

Hactenus eruditionem, doctrinam, ſententias, mores, tractandi rationem Horatii, Perſii,

Perſii, ac Juvenalis contulimus: deinceps orationis genus, dicendi characterem, jocos, numeros, vitia eorumdem poetarum inter ſe comparare incipiemus.

CAPUT XII.

Horatii germana Latinitas, & quæ Latinitatem comitantur virtutes. Perſius in ſcribendo celer, ſeverus, truculentus: Juvenalis magnificus, vehemens, copioſus. Figuræ Horatii & Juvenalis quo differant. Perſii ἠθοποιΐα. Joci, Satyricis neceſſarii. Horatii urbanitas, aulici hominis propria. Perſius ad jocandum parum aptus. Plautus numerorum negligens. Horatius numerum Lyricum & Heroicum in Satyris, de induſtria, vitavit. Perſii hexametri ſonori ac temperati: Juvenalis, compoſiti, expoliti, ſuaves. Obſcœnitas, obſcuritas, declamatorius tumor, tria Satyricorum vitia. Satyrici flagitia docere videntur, dum caſtigant. Obſcœnitatem veteres cur in ſcriptis etiam ſeverioribus adhibuerint. Obſcuritatis Perſianæ cauſſa triplex. Dictionis tropicæ magnificentia. Sine antiquitatis notitia, Latini & Græci ſcriptores intelligi non poſſunt. Iſaaci Ca-

Casauboni Commentarius in Persium laudatus. Petrus Bælius notatus. Persium veteres quanti fecerint. Declamandi consuetudo stilum Juvenalis vitiavit.

TRIUMVIROS Latinæ Satyræ Horatium, Persium, Juvenalem superius inter se comparavimus, quod attinet ad res ipsas, nimirum argumenta, & rationem tractandi: veniemus nunc ad orationem, dicendi χαρακτῆρα, jocos, numeros, vitia denique ipsa; quibus vel majoribus vel minoribus egregii quoque scriptores non omnino carent. Incipiamus ab Horatio. Venusinus igitur poeta in Satyris suis excellit pura Latinitate, gratia narrationum, suavibus apologis, ἀφελείᾳ seu simplicitate, incredibili lepóre atque urbanitate. Floruit enim ævo Augusti, quo tempore Latinitas erat ἐν ἀκμῇ, perfecta nimirum & consummata: quum paullo ante vixisset M. Tullius Cicero, qui admirabili & prope divina ingenii ubertate, assidua exercitatione & scriptione, Græcorum imitatione, Romanam eloquentiam ad eum finem provexerat quo soluta oratione provehi poterat. Neque multum ætate præcessit C. Julius Cæsar, non

lit-

litteris minus & puriſſima Latinitate, quam militari virtute præclarus. Salluſtius etiam, ſummus auctor, Hiſtoriarum libros ediderat, Thucydideam brevitatem ac robur, in eo genere ſcribendi, gnaviter æmulatus: qui majorem etiam laudem conſecutus fuiſſet, niſi præpoſtero quodam ſtudio verba Porcii Catonis, & aliorum veterum hiſtoricorum atque oratorum, obſoleta, & recentiorum auribus jam ingrata, revocare, atque idemtidem uſurpare voluiſſet. Floruerant etiam paullo ante cultiſſimi poetæ Lucretius & Catullus: alter ſublimis, alter venuſtus ac tener: quorum præcipue opera Muſæ Romanæ plane confirmatæ, fiduciam ſumſere Græcas ipſas provocandi. Temporum igitur felicitas multum contulit ad Horatiani ſermonis præſtantiam. Simplicitas enim, lepos, urbanitas, nativæ quædam veneres puram & incorruptam Latinitatem, quaſi ancillæ dominam, furtim ſubſequuntur. Neque tamen negaverim, Horatium & naturæ ſuæ, callidæ, leni, moderatæ, multum debuiſſe: cui naturæ eam doctrinam, artem, ſtudium experientiam adhibuit, quæ tardam etiam anguſtamque mentem acuere facile atque excitare potuiſſet. Perſius hac dicendi virtute

Hora-

Horatium quidem non assequitur: vixit enim temporibus Neronis, quibus Latina lingua non mediocre detrimentum ceperat: secundus tamen ab ipso est. Celerem atque expeditum in scribendo se præstat: verborum parsimoniam soliditate sententiarum, & quasi graviditate compensat: excellit γοργότητι, nempe truculento & severo stilo, quo ipsum Horatium superare Casaubono videtur; neque injuria. Juvenalis noster utrique Latinitate cedit: magnificus tamen est atque amplus in sententiis: eminet quoque τῇ πομπικῇ ϗ ἀξιωματικῇ λέξει, nempe dictione splendida, vehementi, declamatoria, tragica, quæ auditorium, coronam, theatrum requirat. Propterea non erraverit qui dixerit, stilum Horatii tenuem esse, Persii grandem, Juvenalis sublimem. Quod pertinet ad figuras quum verborum tum sententiarum, Horatius & Juvenalis hoc ornamenti genere abundant. differunt nihilominus inter se, quod ille jucundis & venustis, hic gravibus & impetum habentibus figuris utatur. Aulicum propterea in Horatio, forensem hominem in Juvenale facile agnoscas. Tropi Aquinatis poetæ audaces plerumque sunt, coacti, & longe petiti;

qua

qua transferendi ambitione scriptores ejus ætatis mirum in modum sibi placebant, ut admirationi essent, atque a populari consuetudine loquendi quam maxime abirent. Apud Persium loco figurarum est insignis ἠθοποιία & ἐνάργεια, morum alienorum imitatio, & evidentia; quæ lectoris animum incredibiliter delectat & docet. Nihilominus in Satyris hujus poetæ verborum tropi, καταχρήσεις præcipue, frequentissime occurrunt: quæ non exigua sane obscuritatis caussa est. Virtutes & vitia Persianæ orationis Quinctilianus & D. Hieronymus olim pensitaverant: quorum ille Persium vera laude dignum, hic Satyricum disertissimum appellavit.

Venio nunc ad considerationem jocorum, sine quibus hoc poematis genus omnino consistere non potest. Diximus enim, quum Satyræ Latinæ naturam & constitutionem definitione explicaremus, tria in lectoribus suis a Satyrico poeta excitari, odium, indignationem, risum. odium videlicet in scelera & sceleratos, indignationem ob ærumnas bonorum, & felicitatem improborum, postremo risum, ut remedium paretur tristibus affectibus, odio & indignationi; at-

que

que animi lectorum a nimia contentione ac severitate aliquantum relaxentur, & ad hilaritatem traducantur. Docuimus porro, fontes ridiculorum uberrimos esse hominum ignorationem atque errores. Enimvero si quis componenda Satyra prodesse tantummodo velit, neque placere curet ridiculorum admixtione; is neque placebit, neque sane proderit. Siquidem homines vitio aliquo animi laborantes durum atque agrestem reprehensorem oderunt, lepido ac urbano monitori auscultant & parent. Malunt enim corrigi sponte sua, quam vi & imperio alterius adigi ad recte faciendum. Quod Terentius aperte significavit notissima illa sententia:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

vel, sicut nonnulli codices præferunt: *veritas odium parat*. Iccirco vera loqui non satis est, nisi de austero ac tristi veritatis aspectu blandæ orationis mollitie ac jucunditate aliquid detrahatur. Quantopere autem Horatius urbanitate, salibus, facetiis præstet in Satyra, noverunt illi qui assidua lectione scriptorem elegantissimum sibi perfamiliarem reddiderunt. At Isaaci Casauboni judicio, Horatii sales τὴν ὀχλικὴν ἀναγωγίαν,

ple-

plebejum nescio quid, si diis placet, ac petulantiam de trivio fere sapiunt. Quod non facile concesserim: nam in mentem venit, Horatium vitæ instituto aulicum fuisse, & Augusti aulicum, principis nimirum eruditi atque ingeniosi: cui poeta Venusinus in deliciis fuit; satis enim se illi probaverat ingenii ac morum dexteritate. Scimus alioqui, consuetudinem aulicorum ab agrestium & vulgarium hominum consuetudine quam longissime abhorrere. Nonne Horatius ipse professus est in Epistola ad Pisones, se optime novisse discrimen quo inurbanum dictum distaret a lepido? Ita enim de Plauti facetiis:

At nostri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus & aure.

Plauti sales rejicit tamquam εὐτελεῖς & plebejos: adeo fastidioso judicio fuit ac delicato. Non igitur Casaubono de hoc assentiri possum. Persius non est quidem ad jocandum aptissimus: quamquam enim Satyra 1. *petulanti splene cachinnonem* se ipse appellat, nihilominus ἀπίθανος ἐν τῷ γελοίῳ reapse de-

prehenditur. Nec mirum: gravis enim ac ſeverus fuit adoleſcens, præterea Stoica duritie imbutus ab ineunte ætate: quapropter Gratiis raro litat; in ſcribendo autem Xenocrati quam Menippo ſimilior eſt. Juvenalis joci, elaborati, rhetorici, eruditi, ingenioſi: verum aliquando lucernam olent, ac domo allati videntur; ex quo frigus oriri neceſſe eſt.

Diximus de jocis & ſalibus: nunc de numeris nonnulla dicamus. Lucilium Horatius culpavit, quod negligens numerorum fuiſſet, quod verſus duros feciſſet, atque incompoſito pede currentes: Plautum etiam reprehendit, ut paullo ante audivimus, quod verſus pluſquam comicos inſigni licentia effudiſſet, vix metri legem ſervantes, & proſæ orationi quam ſimillimos. Tetrametri enim ac trimetri Plautini jambis, ceteriſque pedibus jambo ἰσοχρόνοις admiſcent ἀνισοχρόνυς & πολυσυλλάβυς nullo certo ordine neque ratione. Propterea, quum Plauti Comœdiæ barbaris temporibus non obſervato verſuum diſcrimine, in morem ſolutæ orationis a librariis deſcriberentur, quemadmodum & Terentianæ fabulæ, non parum a viris doctis & diligentibus laboratum eſt ut

illa

illa confuſio tolleretur: impediebantur enim a numerorum difficultate ac varietate. Sed nondum res plane confecta eſt: quum plura ſuperſint mirum in modum ambigua & perplexa, quæ accuratiorem operam deſiderent. Quamvis igitur poeta Venuſinus in antiquioribus notaverit hanc numerorum diſſolutionem, videtur nihilominus Iſaaco Caſaubono, & aliis doctis viris, ab eodem vitio ipſe abſtinere non potuiſſe. Verumtamen, quum Horatius eodem loco quo Plautum perſtringit, ſe legitimum ſonum digitis & aure callere, profiteatur; dicendum eſt, eum judicio & data opera, non inſcitia vel ingenii tarditate, in Satyrico verſu duriuſculum aliquando ſe præſtitiſſe: quod nimirum cenſeret, hexametros multum elaboratos, concinnos, rotundos heroico quidem poemati convenire, Satyræ non item: quæ popularem ſermonem & genere dicendi humili vel mediocri, & ipſis numeris neglectis quodammodo & horridulis imitari debeat. Nam ſi quum Lyrica ſcriberet Horatius, adeo ſuavis eſſe potuit; cur non eamdem ſuavitatem ſervare potuerit in Satyris & Epiſtolis, ſi voluiſſet, ac rem aptam exiſtimaſſet, nullam certe cauſſam vi-

 deo.

deo. Sed cujuſmodi eſſe velit ſtilum ac numeros hujus poematis, aperte ſignificavit Satyra 10. libri primi.

Et ſermone (inquit) *opus eſt modo triſti,*
ſæpe jocoſo,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetæ,
Interdum urbani parcentis viribus, atque
Extenuantis eas conſulto -- --- ----

Quod autem aliis Horatius præcepit, ipſe in Satyra ſervavit: ſuis nempe viribus pepercit, eaſque conſulto extenuavit, ut non agnoſcas eumdem eſſe qui Lyrica ſcripſit; Perſius in faciendo verſu cum lege plerumque incedit: ſonori ſunt ac fluentes ejus hexametri, quantum patitur lex & ratio ſuſcepti operis: numquam enim obliviſcitur Stoicæ virilitatis. Juvenalis Horatio & Perſio, quod ad numeros pertinet, canorus magis eſt, atque Epicis poetis proximus. Audiamus initium Satyræ ſextæ, quod ſane prædulce eſt, ac molliſſime in aures influit.

Credo, pudicitiam Saturno rege moratam
In terris, viſamque diu: quum frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque, Laremque,
Et pecus, & dominos communi clauderet umbra:

Sil-

Silvestrem montana torum quum sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud similis tibi, Cynthia, nec tibi cujus
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.

Profecto meliorem artificem componendi versus (solis fortasse Virgilio atque Ovidio exceptis) vix inveniemus quam sit Juvenalis : adeo nihil scabrum , nihil hiulcum , nihil coactum præfert ; sed omnia composita , omnia polita , omnia suavia.

Tandem vitia ipsa quibus laborant hi Tresviri Satyræ Latinæ, mihi consideranda & conferenda sunt ; obscœnitas nimirum, obscuritas, & declamatorius quidam tumor. Obscœnitas commune trium vitium est : quo tamen Persius minus peccavit quam ceteri . Obscuritas Persio præcipue tribuitur: deinde etiam Juvenali. Declamatorio tumore insignis est Juvenalis . Ab obscœnitate incipiamus. Quæri primum potest , utrum Satyrici sint magistri virtutum , quod videri volunt, nec ne . Certe si loquendi licentiam, & rem quamque fœdissimam describendi ac suo nomine appellandi, quam

Satyrici poetæ ſibi ſumunt, ſpectare velis, magiſtros potius dixeris flagitiorum ac libidinum, quam virtutum. Verbi cauſſa, nonam Satyram ſcripſit Juvenalis adverſus perditos nebulones qui muliebria patiebantur: ſed ita fœde ac Sotadico ſtilo, ut caſtæ aures eum ferre nullo modo poſſint. Sexta quoque Satyra, ceteroqui plena ingenii, facundiæ, colorum rhetoricorum, impuris mulierum arcanis revelandis, atque in lucem protrahendis, peſſimo exemplo docere videtur quæ caſtigat. Nefaria enim flagitia ſummoveri potius ab auribus & cogitatione pudicorum debent, quam calamo deſcribi, & quantalibet verborum acerbitate puniri. Quam indignum enim & abſurdum eſt ita docere, ſuadere, laudare caſtitatem, ut a caſtis quidem hominibus legi non poſſis, impudicos vero ad legendum allicias, non ut emendent mores, at potius ut libidinum ſuarum pabulum atque irritamentum in verſibus tuis quærant! Hac tamen labe non ſolum Satyrici poetæ, verum etiam, quod valde dolendum, Hiſtorici nonnulli ſunt inquinati, Suetonius præcipue, dum Cæſarum ſuorum flagitia & probra nimis accurate perſequitur. Fateor equidem, antiquis tempo-

bus

bus eam hominum etiam ſapientiſſimorum opinionem fuiſſe, ut exiſtimarent, obſcœnitatem factorum obſcœna, vel ſaltem liberiore, dictione caſtigari oportere; ut animadvertit olim Caſaubonus in Commentario ad Satyram quartam Auli Perſii. Quæ ſane opinio a recta ratione valde abhorret: verumtamen ſummos viros hac perſuaſione in errorem inductos, ex illorum ſcriptis adhuc exſtantibus manifeſtum ſatis eſt. L. Seneca, philoſophus graviſſimus, in libris de Beneficiis, & Naturalium Quæſtionum, de ſpeculo cujuſdam Hoſtii, & de quodam Scauro, effrenatæ libidinis nebulone, flagitioſa multa narrat, quæ lectorum verecundiam offendant. Cauſſam porro cur ita ſentirent veteres, & hac ratione reprehendendi vitia uterentur, aperit D. Joannes Chryſoſtomus Homilia 4. in Epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Romanos. Ait enim, eos qui libidinem atque impudicitiam perditorum hominum vituperandam ſuſcipiunt, neceſſitate quadam cogi ut fœditatem ac turpitudinem illorum denudent, atque ipſis ob oculos ponant; nam ſi parcius & verecundius agant, cenſuram inutilem fore. In priorem vero Epiſtolam ad Corinthios, de

eadem re locutus, chirurgi exemplum affert, qui ad curandum ulcus arcessitus, manus inquinare non veretur, & saniem ex ulcere fluentem tractare. Verum, ut recte distinguit alio loco idem vir sanctissimus, plurimum interest, utrum ea loquendi & scribendi ratio adhibeatur ἐξ οἰκείου πάθους, ex loquentis aut scribentis affectione, an ἀπὸ κηδεμονίας, ex curandi & sanandi voluntate. Nam & Prophetæ aliquando in sacris litteris, Ezechiel præcipue, fœdos Hebræorum mores verbis multum apertis, & rem proprie significantibus reprehendunt: nulla tamen suspicio cadere potest in viros θεοπνεύστους, eaque sanctitate, turpibus verbis & locutionibus delectatos fuisse: quod vel cogitare, a pietate alienum. Volebant scilicet acribus hisce medicamentis populum obcæcatum, qui pudori callum obduxerat, e veterno quasi excitare. Id autem de Satyricis poetis dici non potest: quibus hanc κηδεμονίαν tribuere velle, simplicis nimium hominis esset, qui nihil de moribus illorum legisset, vel audivisset, ad sanctitatis & pudicitiæ normam non adeo exactis. Persium tamen excipio, quem scimus frugi adolescentem & castum fuisse. Hæ autem

vir-

virtutes ex ejus etiam Satyris plerumque elucent: nisi quod in quarta, ubi Neronem insectatur, mortalium impurissimum, nonnulla admiscuit stomacho & indignationi illa quidem convenientia, verum a moribus suis plane aliena. Hoc Satyricorum peccatum adolescentibus nostris detrimento non erit, si loca nequiora intacta præterierint, quæ magis nocere possunt quam prodesse: honestiores vero Satyras ita legere meminerint, ut si aliqua incidant ejus furfuris, ea statim abjiciant, ut cautos & pudicos decet, neque curiosi esse voluerint in re minimi pretii. Sic nullo dispendio probitatis, opes eruditionis augebunt.

Diximus de obscœnitate, communi Satyricorum vitio, quod erat primum ex tribus propositis: dicamus de obscuritate. Hoc vitium Persio præcipue tribuitur. Verum ea opinio tralatitia originem potius duxit a deliciis & inscitia lectorum, quam a culpa ipsius poetæ. Nihilominus triplicem obscuritatis Persianæ caussam afferre possumus: quarum una sit in auctore, altera extra illum, tertia in interpretibus. Multa sunt quæ Satyras Persii faciant subobscuras: in primis tamen dictio tropica, eruditio recondita,

&

& βραχυλογία, seu breviloquentia. Hic poeta gravitatis & magnificentiæ studiosus fuit, quam scilicet hauserat ex disciplina & consuetudine Stoicorum. Nam Stoici philosophi humana omnia despiciebant, sapientem suum regem esse ajebant, immo cum Jove ipso de felicitate certare: quæ sane decreta magni animi & excelsi τεκμήρια sunt. Porro, ut docet Dionysius Longinus in aureo libello περὶ ὕψους, dictio tropica, seu translatis verbis & locutionibus abundans, continet magnificentiam: in affectibus etiam commovendis, & in narrationibus locum habet, ut res narratæ, in præsentia quodammodo geri videantur, & animis auditorum imaginem sui magis expressam insculpant. Translationibus autem verborum & locutionum grata quædam & venusta obscuritas inest: in hujusmodi autem obscuritate vis & acrimonia non raro continetur, si Dionysium Halicarnassensem, eximium Rhetorem & Criticum, audimus. Præterea doctrina Persii, & multiplex eruditio: in primis quæ hausit e Stoicorum fontibus deviis & abstrusis, eximunt illum a vulgo poetarum, ita ut non facillimum sit τοῖς τυχοῦσιν ad sententiarum ejus medullam penetrare. Βραχυ-

λογία

λογία etiam, seu brevitas in loquendo, nimia interdum, qua Persius gaudet, lectoribus ejus negotium facessit. Hoc quoque a Stoicis habet; qui rerum copiam, verborum parsimoniam amabant, & in Dialecticorum senticetis quam in Rhetorum pratis & viridariis frequentiores erant. Altera caussa quamobrem Satyræ Persii obscuræ videantur, est in ipsis lectoribus: curta nimirum supellex eruditionis, pectus bonis artibus vacuum, ignoratio philosophiæ. Illotis enim manibus ad hæc sacra accedunt, ab omni antiquitatis notitia imparati: sine qua nec Persium, nec reliquos auctores Latinos aut Græcos ullo pacto intelligere licet. Multum profecto discrepant ritus & consuetudines antiquorum ab hodiernis; quum vetustas longinqua faciem orbis terrarum penitus immutaverit: ut iccirco ex nostris non sint æstimanda prisca: quod qui faciunt, & se ipsi fallunt, & eruditioribus de se jocum & risum præbent. Satyra præsertim doctum poema est: salebrosum etiam, & ipsa personarum quæ loquentes haud raro inducuntur, mutatione perplexum. Docuimus enim superius, eam trahere multum ex dramaticis poematis, ac veteris Comœdiæ σκώμματα

&

& maledicentiam imitari. Quapropter attentum & acutum lectorem poscit, non pinguem atque oscitantem: qui quum ipse sit oculis lippientibus, claro meridie minus lucere solem queratur. Postrema caussa cur obscurum Persium esse dictitent, interpretum propria est. Interpretes veteres negligentia superiorum ætatum perierunt; si paucas quasdam & confusas eorum lacinias exceperis: recentiores plerique οὐχ ἑρμηνεύοντα, nempe loca obscuriora inexplicata prætereunt: aliquando δὲ παρερμηνεύοντα, male atque indocte interpretantur. Hadrianus tamen Turnebus, qui sæculo a CHRISTO nato decimosexto in his nostris litteris plane regnabat, in Adversariis suis doctissimis multa Persii loca feliciter admodum enodavit. Sed omnibus eruditorum hominum laboribus, quicumque Persio illustrando manus umquam admoverunt, longe præferendus est Commentarius insignis, & quantivis pretii, Isaaci Casauboni; quem qui perlegerit atque intellexerit, quum doctiorem se factum animadvertet, tum de Persio meliorem & honestiorem opinionem concipiet, neque ipsi deinceps tantæ obscuritatis vitium objectabit. Studiosis porro adolescentibus auctor

fue-

fuerim, ne longitudine tam egregii Commentarii ab eo evolvendo deterreantur, quum primum per doctrinam & judicii maturitatem id illis facere licebit: brevioribus enim Annotationibus res tam difficilis expediri nequit. Marcus Antoninus Philosophus Imperator, in libris quos de Vita sua conscripsit, jure illorum delicias reprehendit qui pusillis tantum commentariis in bonos auctores delectati, prolixos & uberes aspernantur: hi enim eruditionem oderunt, vel summis tantum labellis eam degustare malunt; a quorum consuetudine studiosos adolescentes plurimum abesse cupimus. Ceterum iniquo & præcipiti judicio Petrus Bælius in Lexico Persium comparat Lycophroni, Græco Cassandræ scriptori, propter obscuritatem. Non tanta profecto est obscuritas Persii, ut cum ænigmatis, vel cum responsis Oraculorum aut Sibyllarum comparari mereatur. Bona verba quæso. Hi sunt panici terrores, hæ sunt fabellæ quasi per manus traditæ, ac sine ullo examine a credulis & ignavis hominibus exceptæ. Si omnibus quæ in veterum libris operam interpretis requirunt, obscuritatis notam inurere velimus; jam solus Persius obscurus non

erit,

erit, ac se plurium excellentium scriptorum exemplo tueri satis poterit. Quotus enim quisque Pindari Odas, Aristophanis Comœdias, Choros Tragicorum, Thucydidis conciones, obscuris abditisque sententiis plenas, Ciceronis Epistolas ad Atticum, Taciti scripta, sine interpretis auxilio intelligit? Theocriti, suavissimi poetæ, multa sunt σκληρά; duriora nempe ac subobscura: norunt veteres Critici, neque indignantur. Ita comparatum est cum interioribus litteris:

Qui nucleum esse volt, necesse est ut frangat nucem.

Recte animadvertit Dionysius Petavius apud Franciscum Vavassorem, Societatis JESU, Rhetorem egregium, libro de Ludicra Dictione cap. 7. Persium his temporibus dimidio minoris vulgo fieri, quam olim doctissimi veterum fecisse videantur; quum & commentariis illum suis atque interpretationibus dignati sint; & ipsius persæpe versus, ut Servius & Hieronymus, testimonii loco protulerint; & eum æquales poetæ, ut Lucanus, plausu & admiratione recitantem exceperint. Hæc porro quæ de Persio diximus, de Juvenale quoque dicta intelligun-

guntor; si quando illum etiam obscuritatis crimine accusant.

Nunc de tumore locutionis, & stilo declamatorio, quo plerumque utitur Aquinas poeta, tria verba subjungam. Hoc vitio Juvenalem laborare, si verum amamus, inficiari non possumus. Ea temporum illorum communis labes fuit. Deleta enim Romana libertate, simplicitas quoque morum interciderat, animique dicentium & scribentium ad fœdissimam adulationem verterant, ut crudelium principum & sæpe insanorum gratiam colligerent. Adulationi porro blanditiæ subserviunt, & flosculi orationis. quis nescit? Hac pice igitur inquinatos deprehendas viros ejus ævi præstantissimos, puta Vellejum Paterculum, Marcum & Lucium Senecas, Fabium Quinctilianum; qui sæculi vitium probe agnoscebat, neque tamen vitabat; Petronium Arbitrum, Plinium utrumque, Lucanum, Statium, Valerium Flaccum, Martialem; ut plures alios omittam. Deinde, Juvenalis declamando, & fictas caussas agendo, ætatem primam insumserat: quod genus exercitationis incredibile est quantum sanæ atque incorruptæ eloquentiæ noceret. Ignoscendum igitur est poetæ

no-

noſtro, ſi temporum culpa & conſuetudinis, tumidiorem & a perfecto dicendi genere alieniorem ſe præſtat. Vitium hujuſmodi, gravitate ſententiarum, copia exemplorum, acrimonia reprehendendi, verſuum rotunditate, apud æquos judices, ſatis compenſat. Eum propterea colere, ac ſummo ſtudio legere oportet: erit enim pretium operæ.

Abſolvimus tandem σὺν Θεῷ tractationem de Satyra Latinorum: de Juvenalis Vita diximus: Horatium, Perſium, & Juvenalem inter ſe comparavimus. Proximum eſt, ut argumentum Satyræ decimæ Aquinatis poetæ exponamus, deinde Satyram ipſam Paraphraſi perpetua & Commentario luculento interpretemur. quod ſine mora faciemus.

D. JU-

D. JUNII
JUVENALIS
SATYRA DECIMA:
ET IN EAM
JOANNIS ANTONII VULPII
PARAPHRASIS PERPETUA, ET COMMENTARIUS UBERRIMUS.

ARGUMENTUM
DECIMÆ SATYRÆ
D. JUNII JUVENALIS:

Præterea, quid senserint veteres Philosophi de precibus & votis quibus utuntur homines ad numen divinum placandum, & ab eo prospera quæque impetranda. Ex Platone potissimum & Maximo Tyrio.

UT sæpius polliciti sumus nos facturos, accedimus ad explicandam Satyram decimam Junii Juvenalis. Argumentum præclarissimi poematis est hujusmodi. Inscitiam & vecordiam hominum accusat poeta, qui a Diis immortalibus (ut eo tempore loquebantur) ea petere soliti sint quæ ipsis pestem ac perniciem aliquando afferant: puta divitias, magistratus, potentiam, eloquentiam, famam, gloriam, prolixum vitæ cursum ad ultimam usque senectutem, pulchri-

tudinem denique ac speciem corporis; quod mulierum potius quam virorum votum est. His autem optandis & poscendis se imprudentes, ac verorum bonorum ignaros omnino testantur. Hæc omnia exemplis nobilissimis ex Romana Græcaque Historia depromtis eloquenter admodum ostendit. Postremo docet, non illa a Diis postulanda quorum desiderio vulgus insanit, verum ea quæ sapientium judicio legitima & solida sunt bona; nimirum ut corpore ac mente valeamus: præterea contemtum rerum humanarum, prudentiam, fortitudinem, partes virtutis omnes. Persius quoque Satyra secunda simile huic argumentum tractaverat. Videtur Juvenalis noster, quemadmodum & Persius, ex altero Platonis Alcibiade Satyræ hujus materiam hausisse: nam in eo Dialogo divinus ille philosophus τὰς τῶν ἀνθρώπων προσευχὰς, preces quibus hominum genus Deos orare soleret, tamquam stultas & ab optimo fine procul aberrantes reprehendit: quicquid autem in eo genere ab orantibus peccaretur, diligenter notat, atque in ordinem redigit. Sunt porro duæ partes Satyræ hujus. Prior, quæ longissima est, ἐλεγκτικὴ vocari potest: demonstrat enim

atque

atque perſtringit vitia precum humanarum, & quid non petendum ſit, commemorat. Poſterior breviſſima, quæ loco eſt epilogi & concluſionis, διδακτικὴ merito appelletur: nam in ea docetur, quid a Diis poſtulari oporteat. Antequam vero initium Satyræ hujus afferamus, operæ pretium eſt nos paucis exponere, quid ſenſerint veteres philoſophi περὶ προσευχῆς, nempe de precatione. Quæ res quum jucunda accidet ſtudioſis adoleſcentibus, tum ad ea quæ lecturi poſtea ſunt, facilius intelligenda valde conducet.

Igitur Cyrenaici & Epicurei, quod divinam providentiam negare inſtituiſſent, ac de illa opinionem ex animis mortalium funditus evellere, preces & vota omnino ſuſtulerunt. Neque mirum: ſi enim illud quicquid eſt ſummum res humanas contemtui habet; ſi nihil intereſſe exiſtimat, utrum homines pejerent, an juramenti ſanctitatem revereantur; ſi neque ira commovetur, neque gratia tangitur; illud ſequitur neceſſario, precationem rem eſſe irritam, ſtultam, ſuperſtitioſam; utpote quam Dii non audituri, vel etiam irriſuri ſint. Legitur impium Epicuri decretum apud Lu-

cretium, fidum ejus interpretem, libro 1. de Rerum Natura:

Omnis enim per ſe divûm natura neceſſe eſt
Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
Semota ab noſtris rebus ſejunctaque longe;
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Quod ſi ejuſmodi ſit Deus, qualem deſcribit Epicurus, diceret M. Tullius, Vivat valeatque. Apud Maximum Tyrium, philoſophum Platonicum longe venuſtiſſimum, Sermone triceſimo, exſtant argumenta quibus efficere contendebant nonnulli ex inſipienti ſapientium grege, non eſſe Deum orandum. Quid ſibi volunt, ajebant, hominum preces? nempe Dei voluntatem flectere atque ad humanas neceſſitates levandas inclinare. Atqui flecti Deus aut precibus moveri non poteſt. Neque enim divinam naturam, eamdem ſemper atque immutabilem, decreti ſui pœnitere umquam decet: quod non Deo ſolum, ſed viro etiam gravi & cordato indignum videtur. Nam homo qui facile a propoſito dimovetur mutatque ſententiam, ſi a malo migrat ad bonum, certe prius erraverat, & minus re-

ſte rationem ſubduxerat: ſin a bono ad malum tranſit, male conſilium mutavit. Improbitas autem in Deum cadere nullo modo poteſt. Jam qui petit aliquid a Deo, aut dignus eſt ut id conſequatur, aut indignus. Si dignus eſt, conſequetur etiamſi non petat: ſi indignus, non conſequetur etiamſi petat. Nam qui dignus eſt, & a precando abſtinet, non ideo fit indignus quod non precetur: neque qui indignus eſt, & precatur, propterea dignus fit quia precatur. Immo contra evenit, ut qui dignus eſt, neque Deo moleſtiam exhibet, vel eum precatione obtundit, digniorem ſe efficiat ob modeſtiam. Quod interdum contingere videmus etiam iis qui in domibus locupletum, vel in aulis principum degunt. Nam, ut ait Horatius (Epiſt. 17. libri 1.)

Coram rege ſua de paupertate tacentes
Plus poſcente ferent -- -- -- -- --

Indignus vero & moleſtus, ipſa importuna precatione indigniorem ſe facit. Propterea homines probi, & nihil a Deo petentes, verecundia & fiducia excellere videntur: nam ob fiduciam, credunt ſe conſecuturos; propter verecundiam autem, quieſcunt etſi non conſequantur, neque vota ulla faciunt.

Indignis contra petentibus inſcitia & improbitas præſto ſunt: inſcitia, quod precentur Deos qui flecti non poſſunt; improbitas, quod ſibi favere Deum poſtulent, optimum, & ipſorum diſſimillimum. Fingite vobis (ajebant veteratores hi philoſophi) imperatorem exercitus eſſe Deum. Petat igitur ab hoc imperatore juſtiſſimo calo aliquis, aut lixa, qui ſarcinis militum geſtandis atque impedimentis tantum idoneus eſt, ſe cataphractum fieri, vel centurionem, vel primipilum, vel tribunum, vel imperatoris legatum: contra, egregius aliquis miles quieſcat, nihilque ſibi petat. Profecto utile eſt exercitui ſi prior ille curam impedimentorum habere pergat: hic vero alter cataphractus fiat, vel id muneris accipiat cui fungendo idoneus eſt. Faciet itaque imperator quod in rem exercitus eſſe exiſtimabit. Et nihilominus mortales imperatores aut neſcire poſſunt, aut decipi, aut donis & gratia corrumpi: quæ ſane vitia ab immortali Deo aliena ſunt. Quamobrem nec dabit precantibus ea quæ accipere non merentur; neque non precantibus negabit quæ accipere merentur.

Præterea hi philoſophi precationum adverſa-

versarii hac partitione utebantur. Quæcumque homines sibi evenire optant, & a Deo petunt, ea vel a providentiæ consilio pendent, vel a fati necessitate, vel a fortunæ levitate, vel ab artis dispensatione. Jam providentia est opus Dei, fatum necessitatis, fortuna temeritatis & casus, ars hominis. Horum porro singulorum magnam vim esse ad vitam regendam ac temperandam ponebant. Si ergo, ajebant, quæ precamur, ad Dei providentiam pertinent, quid opus est precibus? Nam si est Dei providentia, ea vel universis tantum consulit, singula vero negligit: vel utraque simul cordi habet. Si tantummodo circa universa occupata est: quemadmodum & reges totis civitatibus jura dicunt, legesque imponunt, singulos vero cives intueri non solent: precibus Deus obtundendus non erit. Si enim aliquid ab eo postules quod cum salute pugnet universitatis, certe non impetrabis. Hujusmodi autem exemplo doctrinam suam illustrabant. Decreverit medicus ægrotum aliquem sanaturus partem aliquam corporis putrescentem, ac toti corpori exitio futuram resecare: postulet autem illa ne se corrumpere velit: quid existimemus medicum ipsi responsurum?

Ita

Ita nempe: Non æquum eſt, infelix membrum, tui cauſſa corpus interire totum: ſed tibi potius pereundum eſt, ut illud conſervari poſſit. Eodem pacto, peſtilentia exercet Athenienſes, terræmotus Lacedæmonios, inundatio Theſſalos, incendium Ætnæ Catinenſes in Sicilia. Harum gentium interitum ſtulti vocant corruptionem. Cauſſam vero cur hæc eveniant, pulchre novit medicus, nempe Deus, qui rerum univerſitati conſulit, nec preces membrorum reſpicit, ſed totum conſervat: hoc enim illi curæ eſt. Quod ſi ponamus, ajebant, Deum etiam ſingula curare; ne ita quidem orandus erit. Simile enim fuerit ac ſi æger aliquis medicamentum aut cibum a medico poſcat. Nam ſi profuturum id eſt, medicus dabit & non petenti: ſi nociturum, ne petenti quidem dabit. Quo concludebant, eorum quæ ad providentiam pertineant, nihil a Deo poſtulandum.

Sed neque illa quæ in ditione fati poſita eſſent, votis ac precibus rogari oportere docebant. Facilius enim regem flectere quis poſſit quam tyrannum. Atqui tyranno ſimillimum eſt fatum: neque ſuperius aliquid agnoſcit cui pareat, neque omnino mutari

tari poteſt. Fatum etenim, tamquam freno & capiſtro injecto, humanum genus, vel invitum, eo trahit quocumque ipſi libitum fuerit, neque ulli mortalium tergiverſari, aut detrectare imperium licet. Ita Syracuſiorum capitibus imminebat Dionyſius, Athenienſium Piſiſtratus, Corinthiorum Periander, Mileſiorum Thraſybulus. In δημοκρατίᾳ enim, ſeu populari gubernatione, facundiæ locus eſt, quæ aliquid civibus perſuadeat: neque nihil poſſunt preces, obſequium, gratia. In tyrannide, quemadmodum & in bello, vi omnia geruntur. Quæ igitur fato dona offeremus, ut ejus vinculo & neceſſitate nos expediamus? quas victimas & ſacrificia? Neque Juppiter ipſe umquam rationem invenit qua fati neceſſitatem averteret; ut apud Homerum legimus. Fatum enim ſemel definitum erat, ipſique credita humana vita; quemadmodum putabant veteres. Quod etiam trium Parcarum nominibus ſignificare ſoliti erant. Itaque Horatius in Carmine ſæculari:

Voſque veraces cecini ſſe Parcæ
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſque rerum
Terminus ſervat - - - - - -

Tibullus vero libro 1. Elegia 8.

Hunc

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolüenda Deo.

Si ergo fatum *inexorabile* est, ut id Virgilius appellat, cur quisquam illi supplicaverit?

Sed neque a fortuna quicquam postulandum ajebant, eorum scilicet quæ ipsa dispensare crederetur. Quis enim adeat insanum principem, cumque illo agat, in quo nullum consilium, neque judicium, neque affectio moderata, sed furor tantum, & rationis expers libido? Atqui fortuna hujusmodi est; insana, præceps, temeraria, quam consilio nullo, nulla divinatione prospicere, ac declinare possis: quum tamquam Euripus aliquis, incerta lege fluat ac refluat, neque ulla gubernatoris arte dirigatur. Non igitur est cur fortunæ homines vota faciant, dæmoni tam surdo & vecordi, rogantes & supplicantes ut ea ipsis bene faciat.

Supersunt quæ arte parantur bona. Quis porro faber pulchrum aratrum, gladium, clypeum a diis petat; quum artem habeat, cujus operâ ea sibi comparare potest? Quis fortis vir & bellicosus animum ad pericula imperterritum; quum fortitudinem habeat, quæ in periculis subeundis artis quodammodo vicem fungitur? Quis bonus felicitatem; quum

quum virtute non careat, felicitas vero in virtute consistat? Si ergo ea quæ ad providentiam pertinent, & quæ ad fatum, & quæ ad fortunam, & quæ ad artem, a Deo petenda non sunt; nihil reliquum est, ajebant, quod ab ipso peti possit. Hæc autem argumenta omnia, quam levia, infirma, ficulna sint, quam facile refutari ac dissolvi possint, a nobis præcipue, qui singulari Dei Optimi Maximi beneficio Christiani sumus. & longe aliter de ipsius providentia & natura sentimus quam veteres illi miserrimi, & fabularum stultissimarum caligine involuti sentirent, doctorum non videre arbitror neminem. Ea tamen afferre volui, ut tam insanis opinionibus cognitis, nobis ipsis veritatis lucem, qua perfusi sumus, gratularemur.

Salibus etiam & σκώμμασιν acerbis atque impiis in re tam gravi & sancta utebantur. Ajebant enim: Opes petis? noli Diis molestus esse; nihil enim boni petis: Dii vero sunt datores bonorum. Noli fatum obtundere; nihil necessarii petis: ad fati enim ditionem pertinent sola necessaria. Noli fortunæ supplicare: neque enim ipsi mos est egentibus subvenire, at potius locuple-

cupletes novis ſemper divitiis cumulare; donec eos tandem ſubità vertigine redigat ad paupertatem. Sed neque artem preceris: avari enim ſunt artifices, & opera ſua caro vendunt. quod ſi aliter faciant, eorum ars vileſcit, neque ullo in pretio eſt. Rationem qua diteſcere poſſis, nos indicabimus. Vir bonus es? impedimentum eſt diteſcendi bonitas. Mutandi tibi ſunt mores tui: dolo & fraudibus graſſare, mentire, pejera: lucri cauſſa leno eſto aut caupo, prædo aut ſycophanta, fidem habe pretio addictam. Hac via pervenitur ad opes. Victoriam petis? hanc in bello a ſtipendiario milite, in judicio impetrabis a ſycophanta, nempe ab homine qui nigra in candida vertat, qui judicibus os oblinere egregie ſciat. E mercatura petis aliquid? Navigare incipe: hæc res in maris & ventorum poteſtate omnino poſita eſt. Merces muta: da pecuniam fœnori: hæc res virum audacem, ſtrenuum, experientem requirit, non otioſum precatorem. Quod ſi Deum adire volueris, non obſecundabit Deus cupiditati tuæ. Severus enim judex eſt, minimeque exorabilis. Diſpicit atque examinat ſingulorum preces auſtere: quæ tu bona

na existimas, ipse mala censet. Propterea stultorum querelis non commovetur: quamvis lamentere, quamvis fleas, miseraque & lugubri voce misericordiam implores: aris etiam te advolvas, & pulverem capiti inspergas: præterita quoque sacrificia ipsi exprobres atque imputes.

Quod si pius aliquis, horum philosophorum, preces omnino tollentium, pertinaciam flectere in animum induxisset, proposito exemplo sapientium virorum, Socratis puta, Pythagoræ, Platonis, qui Deos precati fuissent: respondebant, præclaros illos doctrinarum antistites alio sane consilio quam vulgus hominum solitum sit, templa frequentavisse. Non enim divitias, vel magistratum a Diis petebant, sed cum illis de bonis præsentibus tantummodo colloquebantur, de virtute nimirum qua præditi erant, qua sciebant delectari Deos, tamquam re optima, & qua nemo abuti posset. Sumebant vero a se ipsi, Diis tamen libenter concedentibus, tranquillitatem animi, contemtum rerum humanarum, morum sanctitatem, plenam fiducia mortem, reliqua omnia non falsa & adumbrata, sed vera & expressa bona. Hæc opinio tam absurda,

tam impia, de Diis non orandis, ab hominum superbia profecta erat, qui scilicet nihil sibi deesse existimarent illorum quæ ad virtutem & felicitatem conducunt; & propterea naturæ divinæ, tamquam superiori ac præpotenti, obnoxii esse nollent. Stoicorum præcipue scitum erat, *Nullam rem carius constare quam quæ precibus emta sit*. Idem superbiæ fons etiam in Ecclesia Christiana impiis decretis Pelagianorum dedit originem; qui humanis viribus nimium confidentes, benefactorum caussam a propria voluntate, non ab auxilio Dei repetebant.

Verumtamen non esse Deum orandum, δόγμα fuit paucorum philosophorum & hæreticorum: male autem orare vitium est omnium pæne mortalium. Neque id mirum videri debet: nam, ut sapienter definit Plato in Euthyphrone, sanctitas est ἐπιστήμη αἰτήσεως καὶ δόσεως θεοῖς; *scientia eorum quæ a Diis petenda & Diis offerenda sunt*. Res igitur difficillima est, judice Platone, & in qua magistro Deo sit opus, novisse nos, quas res a Deo possimus petere aut debeamus: id enim scire pars est sanctitatis. Hieroclis propterea sententia fertur plane aurea: μόνος ἱερεὺς ὁ σόφος λέγεται, μόνος θεο-

φιλὴς,

φιλῆς, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι. *Solus ſapiens dicendus eſt ſacerdos, ſolus Dei amicus, ſolus precandi peritus*. Vulgus hominum exiſtimare videtur, precibus, votis, pollicitationibus Deum capi & corrumpi poſſe, ut noſtris ſceleribus conniveat, & cupiditatibus faveat. Hinc verſus ille tritus apud Græcos:

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας·

Dona Deos perſuadent, dona venerandos reges. Quod ſi verum eſſet, nihil aliud precationem vocare oporteret quam ἐμποριxὴν τέχνην, nundinationem ſcilicet, ac mercatoriam artem, inter Deum atque hominem inſtitutam. Doctiſſimi propterea philoſophorum, opinionem hanc turpiſſimam ex animis hominum evellere ſtudentes, libros conſcripſerunt περὶ εὐχῆς ſive προσευχῆς, *de Diis orandis:* quod argumentum perſecutus eſt etiam Plato in altero Alcibiade; ut ſuperius memoravimus. Ex hoc autem Platonis Dialogo ὑπόθεσιν Satyræ ſuæ decimæ ſumſit Juvenalis; quam continuo interpretari incipiemus.

D. JUNII JUVENALIS
POETÆ AQUINATIS
SATYRA X.

Cum Paraphrasi perpetua, & Commentario

JOANNIS ANTONII VULPII.

OMNIBUS *in terris quæ sunt a Gadibus usque*
Auroram & Gangem, pauci dignoscere possunt
Vera bona, atque illis multum diversa, remotâ
Erroris nebulâ. quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?
Evertére domos totas optantibus ipsis
Dii faciles. nocitura togâ, nocitura petuntur
Militiâ. torrens dicendi copia multis,
Et sua mortifera est facundia. viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperãs patrimonia census,

Quan-

Quanto delphinis balæna Britannica major.
Temporibus diris igitur, jussuque Neronis
Longinum, & magnos Senecæ prædivitis hortos
Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes
Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.
Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram:
Cantabit vacuus coram latrone viator.

PARAPHRASIS.

HIs viginti & duobus versibus exordium Satyræ hujus pulcherrimæ atque utilissimæ continetur. Quo exordio poeta noster ea summatim & strictim commemorat quæ postea singillatim atque uberrime tractaturus est. Ait igitur: „ Quamvis totum terrarum orbem peragraveris, „ ab Occidente ultimo progressus ad Orientem extremum usque, perpaucos admodum invenias qui solida & vera bona „ ab inanibus & adumbratis probe discernère atque internoscere possint: remota „ scilicet erroris caligine, qua mentes hominum occupari solent, & a veritate

„ cognoſcenda impediri. Quid enim, quæſo, timemus, quid cupimus certa ratione, ac non potius temere & nullo conſilio? nam quæ timenda non ſunt, quum in claſſe malorum non cenſeantur, ea plerumque terrore nos percellunt: quæ vero a natura boni longe abſunt, eorum deſiderio ſæpe inſanire conſuevimus. Quid tam dextero & proſpero conatu vel auſpicio a quoquam ſuſcipitur, ut paullo poſt eumdem incœpti non pœniteat, votumque ſuum a Diis exauditum fuiſſe non doleat atque indignetur? Dii nimium faciles ad preces hominum excipiendas, eorumque cupiditates explendas, integris domibus & familiis exitio non ſemel fuere, illaſque funditus evertére: ipſis patribus familias non invitis, immo, quod mirere, ultro cupientibus, & detrimento ſuo faventibus. Nam ſive togati vivant homines, urbanis officiis vacantes, ſive ſagum ſumſerint ac militiæ nomen dederint, ſemper a Diis petunt res inutiles, immo noxias & pernicioſas. Pulchrum habetur eloquentiâ excellere in civitate: nihilominus dicendi copia multos perdidit. Fuerunt qui miſerrimo

„ rimo genere mortis interirent, quod vi-
„ res corporis ingentes, ac robur lacerto-
„ rum admirabile a natura accepissent: qui-
„ bus naturæ muneribus nimium confide-
„ bant, & præ aliis insolescebant. Pluri-
„ mis tamen exaggeratæ opes; thesauri con-
„ gesti, res familiaris ampla nocuerunt mi-
„ rum in modum, eosque penitus oppresse-
„ runt: quod cives reliquos patrimonii ma-
„ gnitudine tanto intervallo antecellerent,
„ quanto balænæ maris Britannici, delphi-
„ nas corporis mole antecellunt. Propterea
„ difficillimis ac turbulentis temporibus,
„ quibus Nero Cæsar imperium Romanum
„ vexabat, cohortes integræ militum jussu
„ tyranni ad obsidendas C. Cassii Longini
„ J. C. & Lateranorum, divitum & po-
„ tentium civium, ædes mittebantur; item
„ ad cingendos L. Senecæ, Romanorum o-
„ mnium ea ætate locupletissimi, hortos
„ late patentes, ut domino via nulla effu-
„ gii superesset: contra vero in pauperum
„ cænaculis raro admodum castrense genus
„ hominum apparebat. Et sane pecuniis hoc
„ semper vitium adjunctum est, ut quan-
„ tulæcumque sint, curas & metum creent
„ possidenti. Nam si noctu iter facias, te-

„ cumque portes aliquot vaſcula ex argen-
„ to, non cælato quidem ac ſignis aſpero,
„ ſed puro & nullis emblematis inſertis,
„ quod pretii minoris eſt; gladios, & con-
„ tos, nimirum haſtas longiores, latronum
„ qui viatoribus inſidiantur, formidabis;
„ ut arundinis quoque ad lunæ lumen ven-
„ to agitatæ umbra ipſa tibi terrorem in-
„ cutiat. Viator autem expeditus, auri &
„ argenti onere carens, quamvis latrones
„ occurrant, coram ipſis cantare audebit:
„ quod tranquilli & ſecuri animi certum
„ indicium eſſe ſolet. „ Hæc eſt allatorum Juvenalis verſuum ſententia, quam mea qualicumque Paraphraſi enucleare conatus ſum. Proximum eſt ut ſingula quæ ad doctrinam, hiſtoriam, & eruditionem pertinent, conſideremns.

COMMENTARIUS.

OMNIBUS *in terris quæ ſunt a Gadibus uſque Auroram & Gangem*] Poeta noſter quum Occidentem atque Orientem ſignificare vellet, συνεκδοχὴν adhibuit, nempe tropum illum qui parte aliqua memorata rem totam ſignificat. Gades enim eſt inſu-

insula quædam ultra fretum Herculeum sita; nempe Italice: *fuor dello stretto di Gibilterra:* quod fretum, Gaditanum etiam Latini vocant a nomine hujus insulæ. Herculeum a Græcis dictum fuit, quod in historia fabulosa legeretur, Herculem, longis itineribus confectis, duas columnas ibi excitavisse, quas posteris omnibus transgredi nefas esset; quum existimaret, Oceanum infinitum esse, neque navigari omnino posse. Eam porro insulam hodie vocamus *Cadis*, vel *Cadice:* est autem Hispanorum celebre *ἐμπόριον*. v. 2. AURORAM & *Gangem*] Auroræ nomine Juvenalis terrarum plagam ad Orientem positam intelligit, atque extremam quidem: unde scilicet Sol exoriri videtur nobis. Aurora vero, nempe rubor ille matutinus in cælo, Solem ac diem adesse nuntiat. Iccirco, apud poetas, *Auroræ populi* sunt gentes quæ incolunt τὴν ἀνατολὴν, terras videlicet ad Orientem sitas. Propterea finxerunt, Memnonem Æthiopem, qui bello Trojano, regi Priamo subsidio venerat adversus Græcos, Auroræ filium fuisse. Ganges nobilissimus est fluvius Indorum, qui universam Indiam duas in partes dispescit, alteram quæ cis Gangem

 appel-

appellatur, alteram quæ ultra Gangem. Hoc loco minutum aliquid lectores meos observare velim, quod in Satyræ hujus primo versu statim obvium est, nempe concursum illum duarum similium syllabarum US US. *A Gadibus usque*. Hos concursus adeo non refugerunt veteres poetæ, ut etiam datâ operâ quæsisse videantur. nam certe in eorum versibus frequentissimi sunt. Tibullus Elegia 1. libri 1.

ME ME*a paupertas vitæ traducat inerti*. ME ME. Horatius Epistola ad Pisones v. 22. -- -- *currente rota* CUR UR*ceus exit?* UR UR. Nihil asperius hoc syllabarum concursu. Et tamen Venusinus poeta videtur eum affectavisse, ut rotæ currentis vertiginem ac stridorem exprimeret. Propterea in illo versu R litteram caninam sæpe iteravit. Idem Epodo 2. *Jam jam futu*RUS RUS*ticus*. RUS RUS. Idem Epist. 18. lib. 1. *Ne fluitem dubiæ* SPE PE*ndulus horæ*. PE PE. Ovidius in Epilogo Metamorphoseon: *Quum volet illa dies quæ nil nisi corporis hu*JUS JUS *habet*. JUS JUS. Idem lib. 3. Artis Amat. v. 315. *Res est blanda canor. dis*CANT CANT*are puellæ*. CANT CANT. Neque solum poetis, verum etiam

aliis

aliis auctoribus id familiare est. Cicero libro 1. Officiorum: *Ita tætra quædam, ita obscœna, ut dictu quoque videan*TUR TUR*pia*. TUR TUR. quum posset, *turpia videantur*. Suetonius Nerone cap. 35. FrusTRA STRA*ngulare meditatus*. Justinus lib. 33. cap. 1. *Sed con*SUL SUL*pitius non minus graves quam victo leges dedit*. Dies me deficeret si hanc segetem demetere vellem. Sed ad utiliora transeundum. v. 2. Pauci *dignoscere possunt Vera bona*] D. Augustinus lib. 2. de Libero Arbitrio cap. 9. vere ac pulchre docet, non errare homines appetendo bonum & vitam beatam. Huc enim feruntur duce ipsa natura. Sed quoniam beatitudinis desiderio inflammati, non eas tamen vias perambulant quæ ad ipsam conducunt, sed longe diversas, ideo errant. Nam aliquid sectari quod non eo ducit quo cupimus pervenire, is tandem error est. Nemo est igitur quin bonum appetat, universe spectatum: fallitur autem, quod notionem boni accommodet rei non bonæ, propter inscitiam, falsas opiniones, & caliginem illam quam perturbationes, & corporeæ voluptates, mentis oculis offundere solent. Iccirco ait poeta v. 3. *remotâ Erroris*

roris nebulâ. v. 4. QUID *enim ratione timemus, Aut cupimus?*] Homines quum de timendis, vel petendis judicare debent, rationem in consilium plerumque adhibere negligunt: si adhiberent enim, profecto petenda non fugerent, fugienda non peterent: quod accidit sæpenumero. De timore præsertim animadvertit Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum, omnia mala non timeri: puta ne quis injustus fiat, vel hebeti tardoque ingenio: sed ea tantum quæ vel magnos dolores, vel interitum afferre possunt. Sic, ex disciplina contrariorum, dicendum est, omnia bona non appeti, puta ut quis virtutem adipiscatur, & mente sit recta & defæcata: sed ea tantum quæ ad opes & potentiam amplificandam utilia sint, aut voluptatem paritura videantur. v. 5. QUID *tam dextro pede concipis?*] Dictum ex veterum superstitione, qui mane foras prodituri, diligenter cavebant, ne sinistrum pedem e limine domus primum proferrent: si enim hoc illis imprudentibus accidisset, mali ominis loco habebant. Dextrum igitur pedem primum proferebant, & sic auspicato diurnas actiones aggrediebantur. L. Appulejus in Asino aureo alicubi: *Sinistro pede pro-*

profectum me spes compendii frustrata est. Idem libro 6. ejusdem operis: *Et pessimo pede domum nostram accessit*; puta *sinistro*. Contra Horatius Epist. 2. lib. 2.

I, bone, quo virtus tua te vocat: i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia -- ---

Propertium quoque ad eam consuetudinem respexisse lib. 3. Elegia 1. existimat Joannes Passeratius in Commentario; ubi poeta Umber Callimachum & Philetam, Elegiaci carminis principes apud Græcos, ita alloquitur:

Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.

Itaque *dextro pede aliquid concipere*, fuerit, rem aliquam bonis avibus exordiri, nullo eorum prætermisso quæ ad opem divinam conciliandam pertineant. v. 5. UT *te Conatus non pæniteat, votique peracti?*] De hac hominum levitate, qui facile admodum & cito improbant quæ antea probaverunt, & a Deo petiverunt, copiosius agit Horatius Satyra 1. libri 1. ubi disputat, neminem sua sorte contentum vivere. Verba ipsius afferam.

--- --- --- *Ne te morer, audi*
Quo rem deducam. si quis Deus, En ego, dicat,
Jam

Jam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc, mutatis discedite partibus. eja,
Quid statis? nolint. atqui licet esse beatis.
Quid caussæ est, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?

Pergamus in explicando Juvenale.

v. *6.* VOTIQUE *peracti?*] Votum peractum, est desiderium adimpletum, preces exauditæ: quum scilicet Deus exorari se passus est, idque concessit homini petenti quod ille precando, vovendo, sacrificando sibi dari contenderat. Porro qui votum susciperet, is dicebatur *voto se obligare*. Horatius ad Juliam Barinen Ode 8. lib 2. *At tu simul obligasti Perfidum votis caput, enitescis Pulchrior multo*. Eumdem vocabant *voti reum*, nempe *voti debitorem*. Cloanthus apud Virgilium Æneidos lib. 5. v. 235.

Dî, quibus imperium est pelagi, quorum æquora curro,
Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras voti reus -- --- ----

Damna-

Damnatum vero *voti* appellabant qui postquam petita obtinuisset, promissa solvebat, puta rem sacram faciebat, ædem vel aram Deo alicui excitabat; quod se facturum antea promiserat quum voveret. Virgilius Ecloga 5. *Damnabis tu quoque votis*. Servius Grammaticus ad librum 4. Æneidos v. 699. *Rei voti dicimur donec consequamur beneficium, & donec condemnemur, id est promissum solvamus*. Nam damnare, est damno afficere, idest debito liberare. Ita Livius lib. 10. Historiarum, appellat *Rempublicam voti damnatam*, quæ nempe templum nescio quod ex voto ædificari jusserat. Dicebant etiam *vota solvere*, & *vota reddere*.

v. 7. EVERTE'RE *domos totas optantibus ipsis Dî faciles*] Eodem pacto D. Augustinus dixit alicubi, Deum interdum ea negare propitium quæ concedat iratus. Nonnulla enim a Deo importunis precibus extorta, beneficia videntur, & supplicia sunt. quod processu temporis demum apparet. *Dî faciles*, sunt indulgentes, qui postulata largiuntur, & peccantibus facile ignoscunt.

v. 8. NOCITURA *togâ*, *nocitura petuntur Militia*] Togam opponit militiæ, nempe vitam urbanorum, vitæ hominum in castris degen-

degentium. Toga erat vestimentum quoddam rotundum, proprium Romanorum. Iccirco Virgilius Æneidos 1. v. 282.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Ea demittebatur ad medium usque crus. Qualis autem fuerit, ex nummis & statuis antiquis, & ex Quinctiliano Instit. Orat. lib. 11. cognoscere licet. Milites non toga, sed sago utebantur, quod erat vestis brevior, ne militaria opera & actiones impedirentur. Hinc *saga sumere*, Latinis auctoribus est *armari*: quod fiebat in *tumultu*, nempe quum appropinquare hostes nuntiatum esset. Cicero Philippica 5. *Tumultum censeo decerni, justitium edici, saga sumi dico oportere, delectum haberi sublatis vacationibus in urbe & in Italia, præsertim Gallia tota.* Idem vero Philippica 8. enucleate admodum explicat, quid bellum a tumultu differat.

v. 9. TORRENS *dicendi copia*] Abundans, æstuans, quemadmodum fluvii temporarii, non ex fontibus, at e magnis pluviis coorti, qui brevi arefiunt, & a Latinis *torrentes* vocantur, a Græcis χείμαρῥοι, quod turgeant χείματος, nimirum hieme vel tempestate ingruente. Hoc vocabulum suapte natura adjectivum est; quod colligitur

vel

vel ex illo Virgilii versu Ecloga 9.

Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

usurpatur tamen sæpius loco substantivi κατ' ἔλλειψιν. v. 10. VIRIBUS *ille Confisus periit, admirandisque lacertis*] Scholiastes Vetus Juvenalis tradit, Milonem Crotoniaten hic intelligi, athletam fortissimum, corpore prævalido, & summa articulorum firmitate: qui taurum humeris ferre poterat, quum a puero vitulum ferre assuevisset: unde natum proverbium, *Posse taurum tollere, qui vitulum sustulerit*. cujus proverbii meminit Petronius Arbiter in Satyrico. Huic porro Miloni suum robur exitio fuit; nam, quum experimentum virium facturus, quercum quamdam cuneis fissam, immissis manibus distrahere conaretur, quercus, excussis cuneis, in suam naturam revocata, Milonis manus compressit, eumque detentum feris lacerandum præbuit. Narrant id Plinius Historicus, Valerius Maximus, Aulus Gellius.

v. 12. NIMIA *congesta pecunia curâ*] *Congerere* dicebant sæpius de nummis & divitiis. Tibullus Elegiarum initio: *Divitias alius fulvo sibi congerat auro*. Et Horatius Satyra 1. lib. 1. ad avarum hominem:

con-

congestis undique saccis Indormis inhians. nempe saccis nummorum. v. 13. STRANGULAT] Opprimit, suffocat, vel caussa potius est ut opprimantur & strangulentur: locupletibus enim tyranni, latrones, venefici, hereditatum captatores, delatores, nocturni & diurni fures insidiantur: præterea sollicitudo ipsa divitias augendi & servandi, avarum hominem tabe ac senio conficit. Eodem pacto dixit Juvenalis hac Satyra ipsa: -- -- -- *Mors sola fatetur*,

Quantula sint hominum corpuscula -- --

pro *fateri nos cogit*. v. 13. ET *cuncta exsuperans patrimonia census Quanto delphinis balæna Britannica major*.] Ut puto, imitari voluit Virgilium, qui dixerat de urbe Roma Ecloga 1.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi. At, ne quid dissimulem, hic locus Juvenalis unus ex illis est qui minus mihi probantur: frigidam enim censeo comparationem, ac longe petitam, neque omnino necessariam. Existimo autem, judicio meo subscripturos quicumque teretes aures habent, ac diuturna lectione optimorum auctorum

exer-

exercitatas. v. 14. BALÆNA *Britannica*] In Oceano qui Britanniam, & alias regiones ad Septemtrionem positas alluit, monstra hujusmodi natant, scopulorum & insularum specie. Propterea Ovidius κατ' ἔμφασιν, lib. 2. Metamorphoseon, ut enormem gigantis magnitudinem cogitationi objiciat, describit illum balænarum dorso vehentem, illasque amplexum. -- -- *Balænarumque prementem Ægæona suis immania terga lacertis*.

v. 16. LONGINUM] C. Cassium Longinum jureconsultum, oculis captum, non aliam ob caussam interfici jussit Nero, quam quod ille in vetere gentili stemmate, C. Cassii percussoris Julii Cæsaris, unius e majoribus suis, imagines retinuisset. Ob hoc enim suspicabatur crudelis princeps, illum pristinæ Romanorum libertati studere, ac tyrannidi infensum esse. Id præter alios testatur Suetonius in Vita Neronis cap. 37.

v. 16. MAGNOS *Senecæ prædivitis hortos*] L. Annæus Seneca Neronis magister, ad ingentes opes, & privati hominis modum excedentes, favore principis, & Agrippinæ ejus matris, evectus fuerat. Postea, quod & locupletissimus haberetur, & Stoicam profiteretur philosophiam, alumno suo suspectus

evasit. *Hortorum quoque amœnitate, & villarum magnificentia quasi principem supergrediebatur*, & ideo *studia civium in se vertebat*. Verbis utor Cornelii Taciti Annalium libro 14. Cæde igitur ejus decreta, Nero centurionem cum cohorte ad eum misit, qui mori philosophum juberet, ademta illi etiam testamenti condendi potestate. Solum genus mortis, arbitrio morituri permissum fuit. Quod ubi intellexit Seneca, medico secandas venas præbuit. Deinde quum ægre moreretur, illatus in balneum, aquæ calentis vapore suffocatus interiit.

v. 17. EGREGIAS *Lateranorum obsidet ædes Tota cohors*] Plautium Lateranum, hominem primaria nobilitate, Consulem designatum, invisum sibi, Nero interfici jussit, & adeo quidem propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. manu autem Tutii tribuni trucidatus est. Id narrat Tacitus lib. 15. Annalium. Porro cohors in Romanorum exercitibus erat decima legionis pars. Legio autem ex tribus, vel quatuor, vel sex denique millibus peditum constitit, diversis temporibus. v. 18. RARUS *venit in cœnacula miles*] Pauperes Romæ habitabant in

cæna-

cænaculis, quæ ſuperiorem ædium altiſſimarum partem occupabant, ſub ipſis tegulis. Horatius Epiſtola 1. libri 1. *Quid pauper? viden' ut mutat cœnacula, lectos, Balnea, tonſores?* Juvenalis ipſe Satyra 3. ubi de frequentibus Romæ incendiis:

-- -- Nam ſi gradibus trepidatur ab imis,
Ultimus ardebit quem tegula ſola tuetur
A pluvia, molles ubi reddunt ova columbæ.

Infinita vero civium frequentia, ut ſcribit Vitruvius lib. 2. Architecturæ cap. 8. cauſſa fuit ut ad auxilium altitudinis ædium deveniretur, quum area plana tantam inquilinorum multitudinem recipere non poſſet. Quamobrem *feneſtras* domuum *caligantes* appellavit poeta noſter Satyra 6.

Quum pateant altæ, caliganteſque feneſtræ.

oculis enim deſpicientium tenebræ offundebantur propter nimiam altitudinem. Tibullus Elegia ultima libri 2. ſcribit, Nemeſis amicæ ſuæ ſororculam e feneſtra quadam excelſa in ſubjectam aream, ſeu viam, præcipitem cecidiſſe: ut iccirco probabile ſit, Nemeſin humilis fortunæ mulierem fuiſſe, libertinam fortaſſe, quod & ipſa cum ſorore in cœnaculo habitaret. Verſus Tibulli afferam:

Ne tibi neglecti mittant mala ſomnia manes,
Mæſtaque ſopitæ ſlet ſoror ante torum.
Qualis ab excelſa præceps delapſa feneſtra,
Venit ad infernos ſanguinolenta lacus.

V. 19. ARGENTI *vaſcula puri*] Caſum patrium, ſeu genitivum, pro caſu ablativo hoc loco uſurpavit poeta. Voluit enim ſignificare vaſa argentea, vel de argento, non argenti plena. Purum argentum eſt; nulla egregii artificis cælatura nobilitatum. Hæc autem artificum opera vaſis argenteis inſerta, quæ Romani veteres Græco vocabulo ἐμβλήματα appellabant, plerumque aurea erant: de quibus, præter alios, videndus M. Tullius in ea contra Verrem Oratione in qua de Signis ſeu ſimulacris agitur quæ juſtis dominis erepta Verres e Sicilia exportaverat. Paullus J. C. Lege *Si rem 6.* titulo Digeſtorum *de Rei Vindicatione: Quamvis & in vaſis occurrat difficultas, utrum lancem dumtaxat dici oporteat, an etiam quadrata, vel rotunda, pura, vel cælata ſit.*

V. 20. CONTUMQUE *timebis*] *Contus* hic ſumitur pro haſta prælonga, ſeu fuſte, quo armatus latro viatorem aggrediebatur. Alias remum ſignificat. Virgilius Æneidos lib. 6. de Charonte:

Ipſe

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.

Prima fere vota, & cunctis notissima templis
Divitiæ, crescant ut opes, ut maxima toto
Nostra sit arca foro. sed nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time quum pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.
Jamne igitur laudas quod de sapientibus alter
Ridebat, quoties de limine moverat unum
Protuleratque pedem: flebat contrarius auctor?
Sed facilis cuivis rigidi censura cachinni:
Mirandum est, unde ille oculis suffecerit humor.
Perpetuo risu pulmonem agitare solebat
Democritus, quamquam non essent urbibus illis
Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal.
Quid, si vidisset Prætorem curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, &, sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites,
Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.

Tum quoque materiam riſûs invenit ad omnes
Occurſus hominum ; cujus prudentia monſtrat ,
Summos poſſe viros , & magna exempla daturos ,
Vervecum in patria , craſſoque ſub aere naſci .
Ridebat curas , nec non & gaudia vulgi ,
Interdum & lacrimas : quum Fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum , mediumque oſtenderet unguem .
Ergo ſupervacua hæc , & pernicioſa petuntur ,
Propter quæ fas eſt genua incerare deorum .

PARAPHRASIS.

Poeta noſter , quum ſtultas , inutiles , pernicioſas hominum preces reprehendere inſtituiſſet , primum omnium conatur oſtendere , tota illos errare via qui divitias tamquam ſummum bonorum admirati , a Diis petere non deſinunt ut ſe locupletes facere velint . Democriti autem exemplo potiſſimum , ſapientiſſimi philoſophi , docet , ſollicitudinem augendi ultra modum patrimonii quum ſupervacuam eſſe , tum periculis plenam , & animi tranquillitati contrariam . Hos igitur Juvenalis verſus ita explicamus . „ Votorum „ quæ ab humano genere Deorum majeſtati „ fiunt , nemo negaverit , fere omnium

„ com-

„ commune ac frequentiſſimum id eſſe quo
„ expetuntur divitiæ , ac præſtantia inter
„ cives , divitias comitari ſolita : puta ne
„ quis nobis locupletiorem ſe jactare poſ-
„ ſit , & arca noſtra in foro depoſita ar-
„ gento graviſſima ſit, aliorumque civium
„ arcis longe præferenda. Et nihilominus,
„ pauperes, qui fictilibus poculis ad biben-
„ dum utuntur , aconita, hoc eſt venena
„ non timent: divites autem, quibus inſi-
„ diæ nonnumquam etiam a familiaribus
„ parantur, veneni ſuſpicione non carent,
„ quum ſcyphos elegantiſſimos, gemmis or-
„ natos, ori admovent, & vinum Setinum
„ aureis pateris capacioribus potant; quod
„ propter auri ſplendorem quaſi ardere in
„ poculo videtur. Sed heus tu cui tanto-
„ pere cordi eſt locupletari; eam ergo rem
„ pulcherrimam & ceterarum præſtantiſſi-
„ mam cenſes quam viri ſapientiæ fama
„ clariſſimi contemſerunt & pro nihilo ha-
„ buerunt? Democritus nempe Abderites,
„ quoties pedem domo efferebat, & in pu-
„ blicum prodibat, riſui temperare non pot-
„ erat, conſideranda hominum vecordia,
„ qui ſemper in re augenda & amplifican-
„ da occupati eſſent: Heraclitus vero E-

„ phesius, difficili, ut videtur, & morosa
„ natura, hæc eadem hominum studia la-
„ crimis deplorabat, contrariam Democri-
„ to viam ingressus. Enimvero, humana-
„ rum actionum rigidum se censorem præ-
„ stare iisdem irridendis, facile est, neque
„ ulli magno constare potest: id mihi admi-
„ ratione dignum videtur, unde tanta la-
„ crimarum vis Heraclito suppeditaverit.
„ Latera igitur & pulmonem perpetuo ri-
„ su concutiebat Democritus, tametsi urbes
„ Thraciæ aut Græciæ non haberent ea ho-
„ norum insignia quæ in urbe Roma spe-
„ ctantur; puta prætextam senatoriam,
„ trabeas augurales, fasces consulibus præ-
„ ferri solitos, lecticam qua locupletes ge-
„ stantur, tribunal unde prætor jus dicit,
„ & alii magistratus sententiam pronun-
„ tiant. Quantos igitur cachinnos existi-
„ mas Democritum sublaturum fuisse, si
„ vidisset Prætorem quemdam, curru ex-
„ celso vectum, & iccirco reliquis omni-
„ bus exstantem, sublimem, hoc est super-
„ bum, longe lateque conspiciendum, ferri
„ per Circum pulverulentum, quo loco
„ quadrigarum cursu certatur? veste etiam
„ triumphali amictum, etsi nihil dignum

„ tri-

„ triumpho gesserit: quam vestem promere „ solent e cella Jovis Capitolini. Nonne „ facetum philosopho spectaculum esset, vi„ dere togam pictam acu phrygionis, pur„ pura Sarrana seu Tyria infectam, am„ plitudine tanta, ut aulæum potius & pe„ ripetasma, quam toga dici mereatur, ex „ humeris fatui hominis pendentem? imma„ nem præterea coronam, ac tanto paten„ tem orbe, quanto ferendo nulla cervix „ fuerit satis: ut propterea servus publi„ cus, quamquam torosus, & viribus præ„ validis, eam super caput Prætoris suspen„ sam tenens, ob pondus ejus & magni„ tudinem, totus madeat sudore? Scilicet, „ ne Consul, seu Prætor, nimium sibi „ placeat, instituerunt majores, ut servus „ quoque homo currum triumphalem simul „ cum ipso ascenderet. His ornamentis ab „ indigno usurpatis adde scipionem seu sce„ ptrum ex ebore, cui aquila in vertice „ insculpta est: adde ex una parte cor„ nicines militibus permixtos, ex altera „ clientium & famulorum longissimum or„ dinem, qui officii gratia currum trium„ phantis præcedant, plurimosque cives Ro„ manos in veste candida circum equos:

„ a

„ a quibus patroni coluntur non ob vir-
„ tutem, ſed propter utilitatem, puta ob
„ ſportulam quam ab ipſis accipiunt, avi-
„ deque in loculis defodiunt. Simpliciora
„ igitur erant ætate Democriti hominum
„ ingenia, neque in eas regiones luxus &
„ ſuperbia Romanorum penetraverat: ſed
„ nihilominus philoſophus ille riſûs mate-
„ riam ſatis uberem inveniebat, in quoſ-
„ cumque demum incidiſſet. Qui ſane phi-
„ loſophus ea prudentia præditus fuit, quæ
„ firmiſſimo & manifeſto argumento eſſe
„ poſſit, viros egregios, & virtutum ex-
„ empla clariſſima poſteritati daturos, et-
„ iam in barbarie media, ſub cælo turbi-
„ do & craſſo, puta in Thracia, ubi ho-
„ mines pecudum ſimillimi naſci conſueve-
„ runt, nonnumquam exſiſtere. Ridebat i-
„ gitur Democritus vulgi ſollicitudines, ri-
„ debat inanem lætitiam, interdum etiam
„ fletus inſanos; quum ſcilicet ipſe fortu-
„ næ dominatum deſpicatui duceret, eique
„ minitanti mandaret laqueum ſeu ſuſpen-
„ dium, digitoque medio protento, quem
„ infamem vocant, contumeliam faceret.
„ Auctoritate igitur Democriti, ſummi vi-
„ ri, ſatis oſtenſum eſt, divitias aut ſu-

„ per-

„ pervacuas esse; utpote sine quibus homi-
„ nes beatam vitam ducere possint, aut
„ etiam noxias & perniciosas: quarum ta-
„ men obtinendarum caussa, in statuarum
„ genibus quæ Deos referunt, tabellæ ce-
„ ratæ, more apud Romanos recepto, af-
„ figuntur; vota cupidorum atque avaro-
„ rum continentes. „ Hæc est sententia versuum Juvenalis. Nunc πρὸς φιλολογίαν accedamus.

COMMENTARIUS.

v. 23. PRIMA *fere vota*, *Divitiæ*] Aliorum temporum aliæ fere sunt consuetudines, omni tamen tempore vulgus hominum in divitiis bonum summum & felicitatem posuit. Horatius Epistola I. libri I. v. 53.

O cives, cives, quærenda pecunia primum est;
Virtus post nummos: hæc Janus summus ab imo
Perdocet; hæc recinunt juvenes dictata, senesque.

Idem Satyra 3. libri 2. v. 94.

-- -- -- -- -- -- -- -- *Omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille

Cla-

Clarus erit, fortis, justus. sapiensne? etiam & rex,
Et quicquid volet. -- -- -- -- -- --

v. 23. ET *cunctis notissima templis*] Nihil enim sæpius audiunt Dii quam vota pro divitiis obtinendis: nihil frequentius vident homines templa adeuntes, quam hujusmodi vota in tabellis ceratis descripta, & genibus Deorum affixa. Porro, easdem preces non semel iteratas dicebantur Dii ediscere, ac memoriæ mandare. Tibullus lib. 2. Elegia 2.

Auguror: uxoris fidos optabis amores.
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.

v. 24. CRESCANT *ut opes*] Opum & divitiarum quædam subtilis est differentia, si proprie loqui volumus. Opes enim κρέτος, non vulgares at ingentes divitiæ sunt, & proximus gradus ad auctoritatem & potentiam. Ipse Juppiter in Plauti Comœdiis *opulentus* vocatur, nempe κράτιστος, præpotens, & qui ope sua miseris subvenire amet. v. 24. UT *maxima toto Nostra sit arca foro*] Usque ad tempora Cerealis, Præfecti, Senatores ditissimi arcas habuerunt in foro Trajani, in quibus argentum, aut pecunias deponebant, ubi eæ tutiores essent

quam

quam domi. Locum ipſum *opes* dixerunt. Reipublicæ quoque temporibus, pecuniis abundantes, eas trapezitæ alicui ſeu menſario ſervandas tradebant, vel etiam utendas cum fœnore. v. 25. SED *nulla aconita bibuntur Fictilibus*] Aconitum, herba in venenis numerata, hominum & ferarum peſtis præſentiſſima, ſi folia ejus aut radix comedantur, vel ſuccus bibatur. Duûm vero generum eſt, ut docet Dioſcorides Ὕλης Ἰατρικῆς lib. 4. cap. 77. & 78. v. 26. QUUM *pocula ſumes Gemmata*] Calicibus aureis, quibus bibebant veteres luxu diffluentes, magni pretii gemmas inſerebant. Quamobrem, ſi quis locuples clientes pauperiores aliquando ad cœnam vocaret, illis cuſtodem apponebat, ne forte unguibus gemmam aliquam e poculo abraderent, ac ſuffurarentur. Poeta noſter Satyra 5. v. 27.

-- -- -- -- -- -- -- -- Ipſe capaces
Heliadum cruſtas, & inæquales beryllo
Virro tenet phialas: tibi non committitur aurum.
Vel ſi quando datur; cuſtos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, ungueſque obſervet acutos.
Da veniam: præclara illic laudatur iaſpis.
Nam Virro, ut multi, gemmas ad pocula transfert

A di-

A digitis: quas in vaginæ fronte solebat
Ponere zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ.

Non solum autem gemmatis poculis, verum etiam gemmeis, locupletiores inter cœnandum utebantur. Id testatur Cicero in Oratione de Signis contra C. Verrem: *Erat etiam*, inquit, *vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata, cum manubrio aureo*. Gratius quoque Faliscus, poeta σύγχρονος Ovidio, in Cynegetico, seu Carmine de Venatione, v. 312. ubi luxuriæ damna enumerat:

Hæc illa est Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum servata cavis potant Mareotica gemmis.

De iisdem regibus Lucanus libro 10. Pharsaliæ v. 160. --- --- --- *gemmæque capaces*
Excepere merum --- --- --- --- --- ---
unde colligere possumus, hunc morem excavandi gemmas in pocula ab Ægyptiis regibus accepisse Romanos. Propertius item libro 3. Elegia 3.

Nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit e gemma divite nostra sitis.

Virgilius lib. 2. Georgicon v. 506. *Ut gemma bibat*. Ovidius lib. 8. Metamorphoseon v. 570.

Protinus appositas nudæ vestigia Nymphæ
Instruxere epulis mensas: dapibusque remotis

In

In gemma posuere merum ---- ----

Similia porro legere est apud L. Senecam, & L. Appulejum; quorum loca recitarem, nisi testimoniorum satis esset. v. 27. LATO *Setinum ardebit in auro*] Vinum Setinum; expressum videlicet ex uvis quæ decerpebantur in collibus Setinis, prope Setiam oppidum Campaniæ. Poeta noster Satyra 5. v. 33. ubi convivium locupletis describit:

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit multa veteris fuligine testæ:
Quale coronati Thrasea, Helvidiusque bibebant,
Brutorum, & Cassî natalibus -- --- ---

v. 27. ARDEBIT *in auro*] Nam in aureis calicibus, vel argenteis auro litis, liquor infusus imitatur quodammodo flammam ignis. Et ipsum vini flavum colorem poeta laudare videtur. v. 28. DE *sapientibus alter*] Nimirum Democritus Abderites, qui sapiens appellatus fuit κατ' ἐξοχὴν. Hunc philosophum Abdera, vel Abderæ, oppidum Thraciæ protulit, summo genere, locuplete in familia. Trium fratrum natu minimus fuit. Incidit ejus ortus in Olympiadem octogesimam, quo tempore Anaxagoras

goras annum ætatis agebat quadragesimum. Quum sapientiæ mirum in modum studiosus esset, Geometriæ discendæ caussa in Ægyptum profectus est, deinde in Persidem, & ad Chaldæos. Nec desunt qui eum cum Gymnosophistis in India versatum fuisse scribant, & in Æthiopiam usque penetrasse: harumque omnium gentium doctos viros diligenter quæsivisse, & inventos consuluisse. Quod vero, ut studiis per otium vacaret nulla neque familiaris, neque publicæ rei sollicitudine impeditus, in montibus & speluncis vitam degeret, insanus propterea a civibus suis judicatus est. Quamobrem, ut eum sanitati restituerent, quem scilicet ob eximiam doctrinam permagno æstimabant, litteras ad Hippocratem Coum, medicorum principem, civitatis nomine miserunt, orantes ne ad eos confestim venire gravaretur, periculum scilicet artis suæ in tanto viro facturus. Quum venisset Hippocrates, ac Democritum adivisset, sapientissimi hominis colloquio ita captus est, ut Abderitarum stuporem facile agnosceret, qui philosophiam a dementia distinguere non potuissent. eumque postea in familiarissimis semper habuit. Democritus Eleaticam sectam perfecit, vestigia

ſtigia ſecutus præcedentium, in primis Leucippi. Principia rerum omnium ſtatuebat Atomos, & Inane. v. 29. Ridebat] Divitias præcipue contemnebat Democritus, etſi locupletiſſimo patre utebatur.

v. 29. Quoties *de limine moverat unum Protuleratque pedem*] Exiſtimare quis poſſet, hoc etiam loco Juvenalem reſpexiſſe ad veterum ſuperſtitionem, de qua ſuperius locuti ſumus. Diximus enim, ſolitos fuiſſe antiquos, quum domo exirent mane, primum proferre dextrum pedem, boni ominis cauſſa. Verùm abſurda fuerit hæc interpretatio, quum agatur de philoſopho minime omnium ſuperſtitioſo; qualis fuit Democritus. Nihil aliud igitur ſibi vult poeta niſi, Democritum quum vix uno tantum pede e limine exiviſſet, continuo riſûs materiam paratam inveniſſe. v. 30. Flebat *contrarius auctor*] Heraclitus nempe: quem contrarium Democrito auctorem vocat, propterea quia quum Democritus hominum ſtultitiam rideret, ipſe, contrario affectu permotus, eamdem lacrimis proſequebatur. Fuit igitur hominibus flendi auctor, quemadmodum ridendi Democritus. Sunt qui legant: *Flebat contrarius alter*, nempe alter ſapiens. Hera-

clitus patria Ephesius, Blysonis filius fuit. Floruisse dicitur Olympiade LXIX. Darii Hystaspis temporibus. Xenophanem audivit: verum se nihil magistris debere, omniaque a se ipso didicisse profitebatur. Hunc Aristonymus quidam apud Stobæum Sermone XXI. non inscite ait, adolescentem virorum sapientissimum fuisse; quod videlicet, se nihil scire, ingenue ac pudenter fateretur: quum autem ad virilem ætatem pervenisset, stultissimum; quod jam nihil se ignorare, affirmaret. Ignem omnium rerum principium, seu commune elementum esse, docuit. Hic philosophus datâ operâ, verborum & sententiarum obscuritatem quæsivit: ut propterea σκοτεινὸς, *tenebricosus* nempe, a Græcis vocatus fuerit. Illius etiam scripta eâ ænigmatum caligine obvoluta fuere, ut non solum grammatici, verum & philosophi acutissimi, in eorum explicatione frustra laborarent: quod colligimus e Sexti Empirici libro 1. adversus Mathematicos, & ex Aristotelis Rhetoricorum lib. 3. cap. 5. v. 31. SED *facilis cuivis rigidi censura cachinni*] Facilem appellat risum poeta noster, id est parabilem, parvo constantem; qui de corporis humoribus nihil

hil demat, quemadmodum aſſiduæ lacrimæ.

v. 31. RIGIDI *cenſura cachinni*] Quum tribuiſſet cachinno ſeu effuſo riſui cenſuram (qui enim vitioſos notant & perſtringunt, irridere etiam ſolent) perſtat in translatione, *rigidumque cachinnum* vocat. Hoc enim ἐπίθετον cenſori proprie tribuitur. Ovidius Artis Amatoriæ lib. 2. v. *663*.

Nec quotus annus eat, nec, quo ſit nata, require,
Conſule; quæ rigidus munera cenſor habet.

v. 32. MIRANDUM *eſt, unde ille oculis ſuffecerit humor*] Σκῶμμα hoc eſt in Heraclitum, quaſi ineptum hominem, ac muliebriter flentem. Nam Satyrici poetæ, ut alias monuimus, pungunt interdum etiam illos de quibus obiter mentionem faciunt. Hic tamen quoque poetæ noſtri judicium deſidero, qui quum de opibus parvo æſtimandis concluſionem, Heracliti auctoritate ſtabilire voluiſſet, eamdem auctoritatem paullo poſt jocis elevare non dubitat: quod frigidum & abſurdum mihi videtur. Niſi forte indicavit, riſum Democriti ſibi magis probari, quam fletum Heracliti: cui ſententiæ facile ſubſcripſerim. v. 33. PERPETUO *riſu pulmonem agitare ſolebat Democritus*] Riſus immoderatior pulmonem, pectus, ilia,

feptum tranfverfum concutit, quemadmodum vehemens tuffis; quam Catullus Carm. 44. *quaffare* hominem dixit: *Hic me gravedo frigida, ac frequens tuffis Quaffavit*. Interdum & fpiritum ipfum intercipit. Quamobrem Terentius in Eunucho: *Rifu omnes qui aderant emoriri*. v. 34. QUAMQUAM *non effent urbibus illis Prætexta, & trabeæ*] Hæc enim veftimenta atque infignia, propria erant magiftratuum Romanorum; quæ tamen Tarquinius Prifcus, quintus Romæ rex, ab Hetrufcorum confuetudine acceperat, fi T. Livium audimus libro 1. Hiftor.

v. 35. PRÆTEXTA] Toga prætexta candida erat, limbo purpureo affuto, feu prætexto. Ea utebantur Senatores; pueri quoque ingenui & puellæ. Prætexta, facra veftis habebatur: & qui purpura utebantur, eos venerabiles & fanctos Romani ducebant; ut fi quis contumeliæ vel injuriæ cauffa aliquem purpura infignitum attrectaviffet, is non hominum tantum, fed & deorum jura violaffe intelligeretur, Quinctilianus teftis Declamatione 340. *Ego vobis*, inquit, *allego etiam illud facrum prætextarum, quo facerdotes velantur, quo magiftratus: quo infirmitatem pueritiæ facram facimus ac venerabilem*.

Idem

Idem alibi: *Expugnâsti domum, & virginis prætextam scidisti*. Quoniam ut domus cuique sua sacra est, ac tutissimum perfugium adversus injurias, ita virgini sua prætexta. Hæc erat quæ dicebatur *majestas matronarum*, & *majestas pueritiæ*. Voluerunt enim Romani, sexum illum infirmiorem, ac teneram illam ætatem, quæ alienæ vi obnoxia est, hoc prætextæ subsidio munire atque protegere. Ceterum Propertius Elegia 4. libri 4. vocavit Senatum universum, *prætextum*, sive *prætextatum*.

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.

Eadem loquendi figura qua Horatius Epistola ad Pisones v. 188. *prætextas* appellavit fabulas prætextatas.

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

quarum argumenta gravia erant, & ex historiis Romanorum petita. Personæ scilicet earum fabularum, dignitate præstabant: quibus iccirco prætexta conveniebat.

v. 25. TRABEÆ] Trabea, si Pompejo Festo auscultare velimus, regia vestis fuit, purpurea, vel alba. Et sane Virgilius Æneidos lib. 7. v. 187. de Pico Italiæ rege vetustissimo:

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus equûm domitor -- --- ----

Verum Justus Lipsius ad librum 3. Annalium Cornelii Taciti, ostendit adversus grammaticorum sententiam, trabeam propriam fuisse equitum vestem, non etiam regum, ducum, vel augurum; qua præcipue Romani equites utebantur quum Idibus Julii transveherentur ante censoris tribunal ex Q. Fabii instituto; quod tradit Valerius Maximus lib. 2. Memorabilium cap. 2. Ceterum videtur Virgilius loco allato trabeam Pico tribuisse non ut regi, sed ut equiti, vel equorum & equitandi studioso: ait enim, *Picus equûm domitor*. Probabile enim est, vestem breviorem fuisse, quæ minime impediret equitationem. Octavius Ferrarius Operis de Re Vestiaria parte 1. lib. 2. cap. 5. scribit, trabeam fuisse instar prætextæ, non in ima solum ora, sed undique purpuræ fasciis, virgisque latioribus, tamquam trabibus transversis, distinctam; ex quo trabeæ nomen invenerit. v. 35. FASCES] Consulibus in publicum prodeuntibus duodecim lictores præcedebant cum singulis fascibus virgarum,

garum, e quibus exſtabat ſecuris. Lictores dicti ſunt quaſi *ligatores*. Quum enim ſumma poteſtas reipublicæ a populo Romano Conſulibus mandata eſſet, ad eos pertinebat in facinoroſos animadvertere, illoſque meritis pœnis afficere. Iccirco faſces prælati hanc poteſtatem ſignificabant. Lictor autem juſſu Conſulis virgas expediebat, illiſque damnatos cædebat: qui vero extremum ſupplicium commeruiſſent, eos ſecuri percutiebat, nimirum præciſo capite. Alternis porro menſibus tantum, alter Conſulum ſecurim faſcibus illigatam ſibi præferri jubebat: quo ſignificabant, non regium omnino atque immoderatum Conſulis imperium eſſe, verum certis finibus circumſcriptum.

v. 35. LECTICA] Lecticæ veterum Romanorum aut patentes & detectæ; aut opertæ fuerunt: in quibus reclinati & ſupini, tamquam in lecto aliquo, a ſervis lecticariis proceris & valentibus geſtabantur. Lecticæ, *hexaphori* dicebantur, ſi a ſex famulis portarentur: *octophori*, ſi ab octo. In Epigrammatis Martialis ſæpenumero fit mentio lecticarum. v. 36. QUID, *ſi vidiſſet Prætorem curribus altis Exſtantem?*] Quæ ſequuntur, intelligenda ſunt non de

imperatore triumphante, ſed potius de prætore aliquo locuplete, qui non rebus geſtis, at opulentia & gratia conſecutus fuerit ornamenta triumphalia. Cujus rei argumentum eſt, quod poeta ſcribat, hunc prætorem, fatuum fortaſſe ac ridiculum hominem, per medium Circum in curru ſedentem diſcurriſſe. Nam qui triumphabant, per Sacram Viam, non per Circum, triumphi pompam agebant, rectaque ibant ad templum Jovis Capitolini. Propterea manifeſtum ſatis eſt, Juvenalem triumphos Romanorum, rem ſacram & auguſtam, irridere noluiſſe: at ſolum de homine ignavo, & aurei velleris pecude, ut ita dixerim, ſibi ludos facere inſtituiſſe. Quis autem prætor ille fuerit, ob temporis longinquitatem, ac veterum monumentorum paucitatem, hodie ignoramus. Ceterum Satyrici poetæ neque a prætoribus atque ædilibus, præſertim municipalibus, notandis ac differendis abſtinuerunt. Hi enim, quamquam dignitate modica, magnos plerumque ſibi ſpiritus ſumebant, & ſupercilium tollebant non ſecus ac ſi conſulatum adepti eſſent. Horatius lepide ſuo more Satyra 5. lib. 1.

Fundos Aufidio Luſco prætore, libenter

Lin-

Linquimus, insani ridentes præmia scribæ,
Prætextam, & latum clavũ, prunæque batillum.

Aufidius iste paullo ante Fundis, in municipio suo, scriptum fecerat, hoc est scriba & notarius fuerat: subito autem prætor, seu populi magister, evaserat; ob quem honorem fastu efferebatur. Nam Decuriones & Duumviri id videri volebant in coloniis & municipiis quod Consules & Senatores Romæ; ut recte animadvertit Lævinus Torrentius in Commentario ad Horatium. *Batillum* in his Horatii versibus est ferreum instrumentum quo pruna colligebatur. Nam prætores hoc quoque jure gaudebant, ut prunas e balneis publicis sibi petere possent. Et fortasse bonus hic prætor ignem sibi præferri jubebat, quemadmodum olim reges Persarum. Eodem pacto Persius prope finem Satyræ primæ ædilem quemdam Aretinum irridet, qui se magnifice circumspiciebat, quod in foro rerum venalium, heminas justo minores, pro munere suo, fregisset. Nam ad ædiles pertinebat curare ne quid fraudis a venditoribus committeretur. Versus Persii sunt:

Seque aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Aretî ædilis iniquas.

Are-

Aretium oppidum eſt in Tuſcia. Heminæ autem fuerunt certæ menſuræ liquidorum. Poeta quoque noſter hac eadem Satyra inferius, hoc genus hominum commemorat non ſine irriſu:

Hujus qui trahitur, prætextam ſumere mavis:
An Fidenarum, Gabiorumque eſſe poteſtas;
Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis Ulubris?

Quem locum Juvenalis noſter a Perſio derivavit. Hunc autem de prætore nihili homine, triumphalibus ornamentis inſignito, videtur tractandum ſuſcepiſſe quum verſus Horatii de Aufidio Luſco Fundano in mente haberet. v. 36. QUID *ſi vidiſſet prætorem*] Apud Romanos veteres *prætor* ſignificabat ducem, ſive imperatorem exercitus, qui nimirum ceteris militibus præibat: nam *prætor*, quaſi *præitor*. Græci ϛρατηγὸν appellant, etiam quum Romanum ducem indicare volunt. Inde locus in caſtris ubi imperator commorabatur, *prætorium* dictum: itemque palatium Principis Romani: milites autem quibus Princeps ad ſui corporis cuſtodiam utebatur, *prætoriani* appellati. Proceſſu temporis hoc vocabulum ſignificare cœpit magiſtratum peculiarem urbis Romæ, qui

qui jus dicebat, & judices litigantibus dabat. Initio unus tantum prætor creabatur, postea plures fieri cœperunt: de quibus consulendus præcipue Pomponius J. C. Lege 2. tituli Pandectarum de Origine Juris & omnium magistratuum. v. 36. CURRIBUS *altis Exstantem*] Currum enim ascendebat, ut inter omnes emineret, atque ab omnibus facilius conspiceretur. Numero autem multitudinis dicere maluit *curribus*, quam singulari, *curru*; ut more poetico rem magnificentius exprimeret. v. 37. MEDIO *in pulvere Circi*] Circus, quem locum Græci scriptores vocant ἱππόδρομον; ibi enim bigarum & quadrigarum cursu certabatur; locus erat pulverulentus, quod videlicet ungulæ equorum currentium, & rotæ ipsæ curriculorum ingentem vim pulveris excitabant. De Circo pariter locutum Propertium existimaverim Elegia 2. libri 4. eo versu:

Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.

Quum enim puellæ formosæ ac juvenes amatores in Circo spectarent; hac illac vagabantur qui rosam & alia florum genera venalia proponerent. Nisi forte quis putet, a Propertio tempus æstivum significari, cujus

jus calore tellus arefacta pulverem gignit. Sed prior explicatio vera est.

v. 37. SUBLIMEM] Et celso loco positum, & superbum. Nam interdum *sublimis* notat superbiam & arrogantiam. Horatius in Epistola ad Pisones, de moribus adolescentis:

Sublimis, cupidusque, & amata relinquere
pernix.

Qui collo erecto incedunt, & confidentiam quamdam vultu atque oculis præferunt, ii *sublimes* appellari possunt. Idem significat *supinus* apud Persium Satyra 1. eo versu quem & superius recitavimus:

Seque aliquem credens, Italo quod honore
supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.

ὕπτιον Græci vocant. Ceterum prætor ipse ludis circensibus præerat, & mappâ missâ dabat signum cursuris, nempe aurigis qui equos moderabantur. Quapropter Ovidius lib. 3. Amorum Elegia 2.

Maxima jam vacuo prætor spectacula Circo
Quadrijugos æquo carcere misit equos.

Tubâ etiam per præconem aliquando signum dabatur. Non solum autem aurigarum certamina celebrabantur in Circo: verum etiam

iam alia ſpectacula. Ibidem enim gladiatores, luctatores, beſtiarii ſeu ferarum venatores, δολιχοδρόμοι, ſaltatores, jaculatores, δισκοβόλοι, artium ſuarum ſpecimina edebant. Ibidem belli navalis imagines ludebantur: Græci vocant ναυμαχίας. Ex aquæductibus enim ſubterraneis ingens aquæ copia in aream Circi repente erumpebat, quæ ſuſtinere navigia poſſet. v. 38. In *tunica Jovis*] Triumphalia prætoris ornamenta recenſere incipit Juvenalis. Et primum quidem tunicæ mentionem facit. Tunica erat veſtis interior & brevior, quam viri ſub toga, matronæ ſub ſtola gerebant. Iccirco Propertius de tribus deabus corpora ſua nudantibus, ut judicium Paridis de formæ præſtantia ſubirent, ita canit libro 2.

Cedite jam, divæ quas paſtor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.

Fæx Romuli, ſeu turba forenſis, tunicâ tantummodo, non etiam togâ utebatur. nam toga erat honeſtiorum. *Popellum* propterea Horatius *tunicatum* vocat Epiſt. 7. lib. I.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Subucula tamen veſtis erat omnium intima: puta, ei reſpondebat quam hodie vocamus *cami-*

camicia. Idem Horatius Epiſtola 1. libri 1. ‒ ‒ ‒ ‒ ‒ *ſi forte ſubucula pexæ Trita ſubeſt tunicæ* ‒‒ ‒‒ ‒‒ Lanea tamen fuit, non linea. Porro *Jovis tunicam* dicit Juvenalis, quod imperatores triumphantes, ac prætores etiam qui ludos committebant in Circo, & ideo triumphalia ornamenta ſumebant, tunicam & togam acciperent de templo Jovis Capitolini, qua Juppiter ipſe, nempe ſimulacrum ipſius, induebatur. Erat autem ſplendida & pretioſa maxime. Id teſtantur Julius Capitolinus in Gordiano ſeniore, & Ælius Lampridius in Alexandro Severo.

v. 38. PICTÆ *togæ*] Togam triumphalem *pictam* vocabant, quod acu diſtincta & ornata eſſet; *palmatam* vero, a genere picturæ: intexebantur enim ei veſti palmarum imagines, quæ victoriam ſignificabant. Sabinos etiam reges antiquiſſimos hac toga indui conſueviſſe, videtur indicare Propertius libro 4. Elegia 4. verbis Tarpejæ Veſtalis, Tatium Sabinorum regem perdite amantis:

Te toga picta decet: non quem ſine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.

Niſi potius ita explicemus: Tatio magis, quam Romulo, a lupa nutrito, triumphum con-

convenire. Quamquam id erat αὐτόρινον. Nam triumphalia ornamenta longe post id tempus Tarquinius Priscus invenisse narratur. v. 38. SARRANA *aulæa*] Nimirum purpurea, & quidem laudatissimo Tyriæ purpuræ colore infecta. Sarranum ostrum, Tyrium fuit. Nam Tyrus, Phœniciæ oppidum atque ἐμπόριον celeberrimum, *Sarra* olim dicebatur. Id nomen a *Sar* derivatum est. Ita enim dialecto quadam Hebræorum Tyrum appellabant; unde postea *Tor*, *Tur*, *Tyr* prodiit, sibilo converso in T ex Aramæorum consuetudine; ac tandem Græca declinatione Τύρος. Virgilius libro 2. Georgicon v. 506.

Ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Et Silius Italicus, perpetuus imitator Virgilii, libro 15. Punicorum v. 205. -- -- *Sarrano murice fulgens.* v. 39. Ex *humeris aulæa togæ*] Amplissimam togam & fluentem, quæ ex humeris prætoris pendebat, vocat aulæum, seu περιπέτασμα, quo in domibus virorum principum parietes cubiculorum tegi atque insterni solent. nimirum σκωπτικῶς, atque ut Satyricum decet.

v. 39. MAGNÆQUE *coronæ Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?*] Coronam

nam ex auro Hetruſcam ingenti pondere ac magnitudine ſervus publicus ſupra triumphantis caput manibus ſuſtinebat. Id teſtatur etiam Plinius Hiſtoriæ Naturalis libro 33. cap. 1. v. 41. PUBLICUS] Quorum ſervorum publicorum Juriſconſulti veteres in Pandectis mentionem ſæpe faciunt. *Publicus* autem, non addito *ſervus*, ellipſis eſt elegans, & antiquis uſitata. *Hedomachus Publicus Duumvirûm*, legitur in priſca Inſcriptione apud Camillum Silveſtrium Comitem Rhodiginum, virum apprime doctum, qui Satyras poetæ noſtri luculentis Annotationibus illuſtravit. Eodem pacto receptum eſt in lingua Latina, ut dicatur *ſerpens*, pro ſerpente beſtia; *frigida* & *calida*, pro aqua frigida & calida; *torrens*, pro torrente flumine; *bubula*, *ſuilla*, *ferina*, pro carne bubula, ſuilla, ferina; *recta*, pro cœna recta; *molaris*, pro lapide molari: & ſimilia ſexcenta. v. 41. SIBI *Ne placeat*] Placere ſibi, eſt ſe ſuaque mirari ac magni facere. Horatius Epiſtola 1. libri 2. v. 165.

Et placuit ſibi, natura ſublimis & acer.

v. 41. SIBI *Conſul Ne placeat, curru ſervus portatur eodem*] Sapienter hoc inſtituiſſe videntur veteres illi Quirites, & quod onere

nere coronæ ferendo triumphantem fatigari noluerint, & quod humanæ fragilitatis memorem quodammodo esse jusserint, quum servum in eodem curru stantem aspiceret. Hac ratione scilicet occurrebatur superbiæ, qua ob prosperam fortunam, dignitatem, honores, plausum popularem, hominum animi facillime insolescunt. v. 43. DA *nunc & volucrem*] *Da* pro *adde*. Verbum simplex pro composito: quod solent poetæ. Contra Tibullus libro 1. Elegia 2. usurpavit *adde* pro *da*:

Adde merum, vinoque graves compesce dolores.

v. 43. VOLUCREM, *sceptro quæ surgit eburno*] Aquilam, insigne Romanorum, quæ insculpta erat in summo eburnei sceptri sive scipionis, quem triumphantes manu tenebant. v. 44. CORNICINES] Qui cornua inflabant, seu tubas inflexas, & permixti militibus currum triumphantis præcedebant. v. 44. PRÆCEDENTIA *longi Agminis officia*] Nemo erat amicorum, nemo clientium, quin tam læto & solenni die imperatori triumphum agenti se officiosum præstaret, deductorem videlicet ac pompæ comitem. v. 45. NIVEOS *Quirites*] Cives Romanos in toga candida. v. 46. DE-

FOSSA *in loculis sportula*] *Defodere* atque *Effodere*, opponuntur. *Defodere*, est abdere sub terra, fovea excavata: *Effodere*, est eruere, atque in apricum proferre. Hoc versu Juvenalis, τὸ *defossa*, translate adhibetur: significat enim clientium φιλαργυρίαν, qui nummos loco sportulæ acceptos cupidissime in crumenam recondebant, quasi numquam ex ea depromendos. Dictum facete ac satyrice.

v. 46. SPORTULA] Consueverant Romæ principes viri, clientes quisque suos, qui mane ad se veniebant salutatum, eosque per urbem deducebant, ac domum reducebant, convivio accipere: quod convivium appellabant *cœnam rectam*. Hujusmodi cœnas edicto vetuit Nero. Earum itaque vicem fungi cœperunt sportulæ vario genere ciborum plenæ, quæ clientibus dabantur domum ferendæ. Quum autem id molestum atque operosum videretur, pecuniam singulis deinceps dederunt nomine sportulæ; puta centum quadrantes, sive asses vigintiquinque: nam quadrans erat quarta pars assis. Exiguam hanc pecuniam vocat Martialis Epigr. 7. lib. 3. *Anteambulonis congiarium lassi*. v. 49. SUMMOS *posse viros, & magna exempla daturos*] Sunt exempla

empla virtutum, sunt & vitiorum. Nihilominus Latini scriptores *exempli* voce sæpius utuntur quum egregium aliquod & laudabile significare volunt, quod imitatione dignum sit, atque in suo genere regula quædam & norma ceterorum. Sic apud Ciceronem, & alios optimos auctores legimus, *exemplum innocentiæ*, *sanctitatis*, *severitatis*, *probitatis*, *pudicitiæ*, *veteris imperii*, *vindicandæ religionis*, *continentiæ*, *amoris*, *formæ*; item rerum aliarum optandarum & laudabilium. v. 50. VERVECUM *in patria*, *crassoque sub aere*] Locutio est παροιμιακὴ, seu quæ proverbium sapiat. Thraciam poeta notat, in cujus oppido Abderis natus erat Democritus, tamquam stupidorum & hebetium ingeniorum altricem. Joannes Britannicus Brixianus in Commentario ad Satyras Juvenalis, hoc dictum esse existimat ex Heracliti sententia, qui affirmabat, siccitatem aeris ad prudentiam conferre plurimum. Contra Thebani, pingues atque obtusi audiebant, quod Thebis Bœotiis aer esset præter modum crassus, nimioque humore peccaret. Horatius propterea de homine vecordi Epistola 1. libri 2. v. 244.

Bæotûm in crasso jurares aere natum.

ad quem Horatii locum respexisse videtur Juvenalis quum hæc scriberet. Nonnumquam vero contingit, etiam in barbaris regionibus nasci homines acuto ingenio & solerti: quemadmodum Thracia Democritum, Anacharsin Scythia, Bœotia Pindarum protulit. Rursum, in regionibus aere tenujore gaudentibus fatuos homines ac tardissimo ingenio exsistere, nihil vetat. *Vervecum* igitur *patria*, est locus ubi oriri solent homines pecudum simillimi. *Vervecum* autem dixit, ἐμφατικῶς. nam verveces sunt arietes exsectis testibus, adeoque in belluis maxime stupidi. v. 51. RIDEBAT *Interdum & lacrimas*] Luctum puta immoderatum & muliebrem, in funere carorum: quo in genere præsertim, veteres multum ineptiverunt. Legendus in hanc rem Luciani libellus περὶ πένθους, *de Luctu*, necnon doctorum virorum lucubrationes qui de Græcorum & Romanorum funeribus aliquid scripserunt.

v. 52. QUUM *Fortunæ ipse minaci Mandaret laqueum*] Epicurus quoque, teste L. Seneca in Epistolis, ajebat, *Sapienti raro intervenire Fortunam:* Virtuti enim atque Fortunæ nihil fere commune est. Quamobrem Fortunæ minas magno & invicto animo

con-

contemnebat Democritus; ipsique mandabat laqueum, seu suspendium. *Mandare laqueum alicui*, contumeliæ genus est: quod Itali dicimus, *Vatt' impicca*. v. 53. MEDIUMQUE *ostenderet unguem*] Scilicet, medium digitum aliis longiorem, quem vocabant impudicum, & infamem. Eo enim digito obscœnum in modum protento adversus aliquem, ejus impudicitiam notare ac traducere volebant. Significat poeta, Democritum eam rationem habuisse Fortunæ quæ a viris honestis haberi solet meretricis vilissimæ ac diobolaris: quamquam vulgus existimat, Fortunam, rerum humanarum dominam & arbitram esse. v. 55. GENUA *incerare Deorum*] Veteres Græci & Romani tabellas votivas affigebant cerâ genibus statuarum quæ Deos referrent: vel tabellas ipsas ceratas fuisse, intelligi oportet. Notanda autem Satyrica locutio, *incerare*. Eodem pacto; qui supplicabant Diis vel hominibus, illorum genua tangebant. De quo ritu Plinius Historicus libro 11. cap. 45. hæc tradit: *Hominis genibus quædam & religio inest, observatione gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant: fortasse quia inest iis vitalitas*. Thetis

apud Homerum Iliados 1. pro Achille suo Jovem precata, lævâ manu genu ejus apprehendit, dextrâ vero mentum demulcet. Porro ex hoc more affigendi vota genibus Deorum, proverbium illud Græcum ortum videtur: θεῶν ἐν γούνασι κεῖται· *in Deorum genibus situm est*. quo significabant, rem aliquam optatam, & assiduis votis expetitam, a Deorum arbitrio & voluntate pendere.

Quosdam præcipitat subjecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa atque insignis honorum
Pagina. descendunt statuæ, restemque sequuntur.
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Cædit, & immeritis franguntur crura caballis.
Jam strident ignes, jam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput, & crepat ingens
Sejanus: deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellæ.
Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum,
Cretatumque bovem: Sejanus ducitur unco
Spectandus: gaudent omnes. quæ labra! quis illi
Vultus erat! numquam, si quid mihi credis, amavi
Hunc hominem. sed quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indicibus, quo teste probavit?
Nil horum: verbosa & grandis epistola venit

A Ca-

A Capreis: bene habet; nil plus interrogo. Sed quid
Turba Remi? sequitur fortunam, ut semper, & odit
Damnatos. idem populus, si Nurtia Tusco
Favisset, si oppressa foret secura senectus
Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora
Augustum. jampridem, ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas. nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem, & Circenses ---- ---- ---- ----

PARAPHRASIS.

Ostendit adhuc poeta noster, Democriti
præsertim auctoritate, qui res humanas o-
mnes rideret ac floccifaceret, divitias ple-
rumque nocere illarum possessoribus. Nunc
de potentia idem ostensurus, ita sermonem
exorditur: „ Sunt qui labantur præcipites
„ ob nimiam potentiam ad quam perve-
„ nerunt, rem videlicet magnæ invidiæ
„ obnoxiam, & populis odiosam. Hæc in-
„ vidia contrahitur summis honoribus, ti-
„ tulisque magistratuum, qui in codici-
„ bus, tabulis, fastis, & publicis actis
„ notari & describi solent. Nihil mirum

„ propterea, si statuæ primis in republica
„ viris positæ, mutata nonnumquam for-
„ tuna, funibus e basi ad terram detra-
„ huntur, & per totam urbem cum igno-
„ minia raptantur. Nihil mirum, si trium-
„ phalia signa deturbantur, & rotæ cur-
„ ruum impactâ securi cæduntur & com-
„ minuuntur: imo equi ænei, quamquam
„ insontes, dant pœnas tamen scelerum do-
„ mini sui, cruribus fractis. Jam stridet
„ ignis in succensa fornace: jam in cami-
„ nis ardentibus folles agitantur, ut con-
„ fletur caput illud æneum quod paullo
„ ante a civibus adorabatur, non secus
„ ac Dei alicujus: & statua illa Sejani
„ colossea cum crepitu dissolvitur & lique-
„ scit. Deinde ex facie illa qua toto or-
„ be terrarum, post Tiberii principis fa-
„ ciem, nulla venerabilior fuit, multa
„ fiunt vasa in usus culinarum vilissimos,
„ puta urceoli, pelves, sartagines, patel-
„ læ. Populus autem, qui tamdiu Sejano
„ faverat, ejus ruinæ insultat, hisque vo-
„ cibus Tiberio gratulatur: O Princeps,
„ lauri frondibus Palatii fores exornari ju-
„ be, bovemque candidum atque insigni
„ magnitudine in Capitolium duci, nimi-

„ rum

„ rum Jovi Capitolino immolandum, cui „ te gratias agere oportet, quod te ab „ infidelis miniſtri paratis inſidiis liberaverit, ac præſenti vitæ periculo eripuerit. En Sejani cadaver unco gutturi infixo a carnifice trahitur vel ad ſcalas „ Gemonias, vel in Tiberim fluvium, & „ de ſe gratiſſimum ſpectaculum Romanis „ præbet. Omnes lætitia efferuntur, & alter alteri ſic loquitur: Quibus erat iſte „ labiis! quo vultu! contracto nimirum, „ aſpero, truci, unde ſuperbia & crudelitas emicaret: juro tibi, numquam amavi hunc hominem, tametſi amorem ſimularem, tempori ſerviens. Sed, quæſo, dic mihi, quo crimine accuſatus, „ collectam principis gratiam effudit, atque hunc infelicem exitum ſortitus eſt? „ quis ejus nomen detulit? quos indices „ conjurationis produxit? quæ teſtimonia „ adhibuit, ut fidem faceret de crimine ab „ ipſo admiſſo? Alter vero ita reſpondet: „ Ubi agitur de læſa majeſtate, Principes „ feſtinare ſolent, neque via illa forenſi, „ lenta & prolixa, quæ minorum cauſſarum propria eſt, uti conſueverunt. A „ Capreis, ubi Tiberius hoc tempore com-

„ mora-

„ moratur, venit epiſtola ad ſenatum,
„ ea verborum copia, ut orationi quam
„ epiſtolæ ſimilior videretur. At at: re-
„ ƈte omnia ſe habent: nihil ultra ſcire
„ cupio. Sed quid interea plebs Romana?
„ Morum ſcilicet ſuorum non obliviſcitur:
„ quo fortuna vergit, eo & ipſa inclinat
„ favore ſuo, atque animi propenſione.
„ damnatos averſatur, colit qui damnave-
„ runt. Ex eventibus merita hominum æ-
„ ſtimat populus. Itaque ſi Nurtia, pecu-
„ liaris Volſinienſium Dea, Sejanum Tu-
„ ſcum hominem ad imperium ope ſua pro-
„ vexiſſet, Tiberium autem, ſeneƈtutem in
„ ſeceſſu Caprearum placide & ſecure agen-
„ tem, oppreſſiſſet, idem populus eodem
„ temporis momento Sejanum Imperatorem
„ proclamaret. Jampridem enim, ex quo,
„ deleta reipublicæ libertate, nos Quirites
„ ad comitia non venimus, neque ſuffra-
„ giis noſtris magiſtratus creamus, paƈti
„ certam pecuniæ ſummam a petentibus;
„ quod olim fiebat; populus omnem de im-
„ perio ac gubernatione ſollicitudinem ab-
„ jecit: neque ſua intereſſe exiſtimat, quis
„ potiſſimum imperet. Qui enim reipubli-
„ cæ liberæ temporibus honores largiebatur:

„ qui

„ qui mandabat imperia, legiones, fasces „ consulares: qui summam rerum omnium „ atque infinitam potestatem habebat: nunc „ sub Cæsaribus otio fruitur, & se conti- „ net. Duo tantum sunt quorum vehementissimo desiderio flagrat, satis beatus quum „ ea obtinuerit; nimirum vilis annona fru- „ menti, & ludi Circenses. „ Nunc ad initium horum versuum redeamus.

COMMENTARIUS.

v. 56. QUOSDAM *præcipitat subjecta potentia magnæ Invidiæ*] Optime ageretur cum aulicis hominibus apud reges gratia florentibus, nisi invidiam acrem adversariam & pertinacem nacti essent, cum qua semper pugnantes, haud raro superantur & gradu dejiciuntur. Hanc pestem pulchre describit Dantes Aligherius, poeta summus, Inferni Cantu XIII. ubi Petrum de Vineis, hominem Friderico II. Imperatori olim carissimum, deinde calumnia invidorum oppressum, ita loquentem inducit:

I' son colui che tenni ambo le chiavi
Del cuor di Federigo, e che le volsi,
Serrando e disserrando, sì soavi,

Che

Che dal segreto suo quasi ogni uom tolsi:
Fede portai al glorioso ufizio;
Tanto, ch' i' ne perde' le vene e' polsi.
La meretrice che mai dall' ospizio
Di Cesare non torse gli occhi putti,
Morte comune, e delle corti vizio,
Infiammò contra me gli animi tutti,
E gl' infiammati infiammar sì Augusto,
Che i lieti onor tornaro in tristi lutti.

Meretricem Dantes appellat Invidiam, ipsique tribuit oculos emissitios, cujusmodi solent esse harum muliercularum vilissimarum, quibus ea curiose inspiciat fortunas aliorum, & vias omnes investiget illos affligendi, spoliandi, perdendi. Et docte quidem hoc finxit egregius poeta: nam & Latini nomen Invidiæ fecerunt ab invidendo: *invidere* autem dictum est quasi *intro* vel *intus videre*, *acute* nimirum *ac diligentissime videre*; quod solent qui malevolo sunt animo, & ad nocendum parato. Idem scriptor paullo post, verbis ejusdem Petri de Vineis:

E se di voi alcun nel mondo riede,
Conforti la memoria mia, che giace
Ancor del colpo che 'nvidia le diede.

Vere igitur Propertius lib. 2. Elegia 19. Edit. Scal.

Invi-

Invidiam quod habet, non ſolet eſſe diu.
Eſſe, nempe durare, permanere.
v. 57. MERGIT *honorum Pagina*] Honores comparat Juvenalis magno alicui ponderi, quod hominem lapſum in flumen aut mare, opprimat atque ſubmergat. Quemadmodum vero qui priſtina felicitate ſpoliantur, translato loquendi genere, *mergi* dicuntur; ita qui ex inopibus & abjectis divites & illuſtres fiunt, *emergere* perhibentur. Juvenalis noſter Satyra 3. v. 164.

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi --- --- --- ---

v. 57. LONGA *atque inſignis honorum Pagina*] Scholiaſtes vetus hujus poetæ ſcribit, ante imagines virorum nobilitate ac rebus geſtis inſignium poſitam fuiſſe paginam æneam, quæ titulos & nomina honorum omnium quibus illi functi erant, vel fungebantur, contineret. Hæc autem pagina, Scholiaſtæ ipſius temporibus vocabatur *tabula patronatus*. v. 58. DESCENDUNT *ſtatuæ*] More poetarum, tribuit ſtatuis ipſis animam & motum; dicit enim, *deſcendunt*, pro *detrahuntur* : & eſt quædam irridendi ratio. v. 59. ROTAS *bigarum*] *Bigæ* proprie ſunt equi duo currui juncti eadem

linea

linea transversa: sicuti *quadrigæ*, quaterni. Verum κατὰ μετωνυμίαν hæc vocabula curribus etiam tribui cœperunt qui a duobus; vel quatuor equis traherentur.

v. 60. FRANGUNTUR *crura caballis*] Caballus proprie vocatur equus minus generosus, aut vitio aliquo insignis: Italice *rozza*, *rozzone*. Est autem hoc loco μείωσις σατυρική. v. 62. CREPAT *ingens Sejanus*] Aut quod procero esset corpore Sejanus ipse; quemadmodum Persius dixerat Satyra 1.

Ingentes trepidare Titos, —— —— ——

aut quod statua ejus modum communem statuarum excederet, puta colossea esset: quod verius existimo. v. 64. URCEOLI] Urceus est vas quo aqua in urnam funditur, aut in labrum æneum.

ibid. PELVES] Pelvis est vasis genus ad pedes lavandos, vel etiam manus. Id *pollubrum* quoque appellaverunt. ibid. SARTAGO] Græce τήγανον: genus culinariæ supellectilis, ad frigendos pisces vel carnes comparatum. ibid. PATELLÆ] Patella dicitur quasi parva patina: est enim vocabulum diminutivum. Ita vocabant vas quoddam coquendis & condiendis cibis, antequam lancibus impositi mensæ demum inferren-

ferrentur. λοπάδα Græci appellant. Fuerunt etiam patellæ sacrorum, quibus Diis libabant veteres. *Capidas* quoque, *capedines*, *&* *capedunculas* dixerunt. v. 65. PONE *domi lauros*] In omni publica & privata lætitia Romani domorum januas lauro & lucernis ornabant. Poeta noster Satyra 12. v. 89.

Hic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Tura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.
Cuncta nitent: longos erexit janua ramos,
Et matutinis operitur festa lucernis.

v. 65. DUC *in Capitolia magnum Cretatumque bovem*] *Cretatum*, hoc est album, candentem. Diis enim superis candidas victimas, inferis nigras immolabant. Translatio ducta est a vestibus, quæ addito quodam cretæ genere fiebant candidiores. Quod vero magistratum petentes, in veste candida circumirent; unde candidati; Persius propterea Satyra 5. dixit *Cretata ambitio*. Ceterum, hostiæ floribus etiam coronabantur, earumque cornua auro liniebantur. Valerius Flaccus libro 1. Argonauticon v. 89. --- --- *Dabit auratis & cornibus igni Colla pater* --- --- v. 66. SEJANUS *ducitur unco*] Cornelius Tacitus libro 4. Annalium pluribus verbis commemorat,

morat, quis fuerit L. Ælius Sejanus, quo genere ortus, quibus artibus & adminiculis eo pervenerit ut præfectus prætorio crearetur, ac simul Tiberii Cæsaris amicitiam intimamque familiaritatem nancisceretur, summumque apud principem auctoritatis & gratiæ locum obtineret. unde postea homini cupiditas injecta est occupandi Romani imperii. Quomodo autem a potentiæ fastigio dejectus fuerit, ac de medio sublatus, idem scriptor narraverat libro 5. sed narratio illa, temporum injuria, una cum libri ejusdem maxima parte, jampridem intercepta est. Hunc Sejani casum parce admodum attigit Suetonius Tranquillus in Tiberio: copiose autem & accurate descripsit Dio Cassius lib. 57. & 58. Historiarum suarum.

v. *66.* DUCITUR *unco*] Cadavera damnatorum, eorum præsertim qui aut in rempublicam, aut in principem conjuraverant, carnifex unco impacto, e carcere in forum trahebat, deinde per urbem raptata in profluentem mittebat. Seneca nihilominus libro de Tranquillitate Animi, contumelias Romanæ plebis adversus cadaver Sejani mirum in modum amplificat, & καθ' ὑπερβολήν. Ait enim, Sejanum, ea felicitate

mor-

mortalem, in quem Dii hominesque certatim contulissent quæcumque conferri poterant, a populo in frusta divisum ipso die quo illum senatus frequens deduxerat: iccirco ex ejus cadavere nihil superfuisse quod carnifex traheret. v. 67. QUIS *illi Vultus erat!*] Notat poeta superbiam Sejani, qui fronte caperata, & supercilio adducto, salutantes & quoscumque obvios exciperet. *Vultus* enim Latinis proprie significat faciem contractam, & a naturali statu dimotam; indicem propterea perturbationis alicujus vel appetitûs. Faciem deponere non possumus: vultum & sumere & ponere possumus. Origo etiam vocabuli, significationem ejus indicat satis. Derivatur enim, ut ego pridem animadverti, a *Volo*, *vis*, *volui*, *volitum*. Hoc supinum, littera una per syncopen detracta, facit *voltum*; quod recentiores mutaverunt in *vultum*. Plura enim quæ antiquissimi efferebant per *o* angustum, qui secuti deinde sunt, efferre cœperunt per *u*; ea maxime in quibus præcedit aliud *u*. Id autem ex Plautinis Comœdiis facile cognosci potest. *Vultus* plerumque masculini generis est: invenitur tamen apud Lucretium lib. 4. v. 1206. neu-

tro genere usurpatum: *miscentes volta parentum*. loquitur ibi Lucretius de liberis qui parentis utriusque similitudinem facie referunt. *Voltum* igitur dixerunt quasi *volitum*, quod ab hominis arbitrio & voluntate pendeat, & voluntatem ipsam intus latentem aperiat & producat. Ovidius itaque Amorum lib. 1. Eleg. 11.

E tacito vultu scire futura licet.

Cicero autem pro Sexto Roscio Amerino proverbii mentionem facit quo dicebant, *vultu sæpe lædi pietatem:* si quis enim patrem suum torvis oculis, & contumaciam quamdam præferentibus aspexisset, læsæ pietatis quæ genitoribus debetur, reus agebatur. Apud Tibullum Elegia 8. libri 1. eo versu:

Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus, Osiri,

Achilles Statius Lusitanus, & Janus Broukhusius Batavus, viri probè docti, ex vetustis codicibus legunt:

Non tibi sunt tristes curæ, nec vultus, Osiri.

Lectio sane elegans, & Tibullo digna. Poeta significat, Bacchum sive Osirim, Deum esse hilarem, fronte minime adducta, & ab omni severitate alienum. Horatius Sat. 6. lib. 1. v. 122.

Surgendum est mane, obeundus Marsya, qui se

Vul-

Vultum posse negat Noviorum ferre minoris.
Hinc *vultum ducere*, vel *trahere*. Martialis libro 1. Epigr. 41.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter,
Omnibus invideas, livide; nemo tibi.

Ovidius lib. 4. Ponticorum Epist. 1. v. 105.

Sive trahis vultus; equidem peccasse fatebor.

Et *vultuosi* appellantur qui sunt ore tristi, tetrico, severo. Cicero in Oratore cap. 18. *Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam adfert tum dignitatem, tum venustatem! in quo quum effeceris ne quid ineptum aut vultuosum sit, tum oculorum est quædam magna moderatio.* Non negaverim tamen, *vultum* sæpe accipi a Latinis auctoribus pro *facie* simpliciter; ut etiam in allato Ciceronis loco; verum minus proprie. Variam faciei affectionem Etrusci appellant *piglio*. v. 69. SED *quo cecidit sub crimine?*] Cujus nimirum accusatione oppressus est? Nam *crimen* interdum est accusatio. Cicero Philippica 2. *Hereditatem mihi negasti obvenisse. utinam hoc tuum crimen verum esset.* Ita *criminari* est accusare, calumniari, deferre: *criminator*, accusator, calumniator, delator. v. 71. VERBOSA *& grandis epistola venit A Capreis*] Juve-

nalis hoc loco genus epiſtolarum Tiberii, meo quidem judicio, latenter perſtringit, tamquam ſuperfluens ac prolixum. Sane Tiberius ante principatum diu Rhodi commoratus fuerat, & ſtudiis quum philoſophiæ, tum eloquentiæ operam dederat. Non longe ab ea inſula florebant Aſiatici oratores, qui amplo & nimis copioſo delectabantur genere dicendi. Cicero nihilominus in libro de Claris Orator. cap. 91. Molonis, rhetoris præſtantiſſimi, Rhodiam diſciplinam laudat. *Rhodum*, inquit, *veni, meque ad eumdem, quem Romæ audiveram, Molonem applicavi, quum actorem in veris cauſſis, ſcriptoremque præſtantem, tum in notandis animadvertendiſque vitiis, & inſtituendo docendoque prudentiſſimum. Is dedit operam (ſi modo id conſequi potuit) ut nimis redundantes nos, & ſuperfluentes juvenili quadam dicendi impunitate & licentia, reprimeret, & quaſi extra ripas diffluentes, coerceret*. Idem in Oratore ad Brutum cap. 8. *Itaque Caria, & Phrygia, & Myſia, quod minime politæ, minimeque elegantes ſunt, adſciverunt aptum ſuis auribus opimum quoddam, & tamquam adipatæ dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato interjecto*

mari)

mari, Rhodii numquam probaverunt, Græci multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt. v. 72. A *Capreis*] Tiberius Imperator, quum sentiret, odiosum se esse patribus & populo Romano, præterea impuris & immoderatis libidinibus flagraret, secessit Capreas, parvam insulam maris Tyrrheni, XXIV. millibus passuum a continenti Campaniæ disjunctam; ubi diu, procul ab interpellatoribus, otio vacavit, stuprisque se omnibus ac flagitiis contaminavit. v. 72. BENE *habet*] Græci dicunt, καλῶς ἔχει. Hac locutione utebantur veteres quum volebant ἀφημεῖν, scilicet laudare aliquid, vel saltem reprehensioni parcere. Propertius lib. 4. Elegia ultima, verbis Corneliæ matronæ, vita functæ:

Et bene habet: numquam mater lugubria sumsi.

v. 72. SED *quid Turba Remi?*] Plebem Romanam significat. Nam sicuti nobiles & patricii Romulum nobilitatis suæ ac dignitatis auctorem agnoscebant; ita plebs ad Remum fratrem Romuli, ab ipso auguriis victum in urbe condenda, tandemque interfectum, quodammodo pertinere credebatur. Propterea Catullus Carm. 58. dixit εἰρωνικῶς:

Glubit magnanimos Remi nepotes.
de Lesbia videlicet, quæ meretricium quæstum occeperat, corpusque plebi Romanæ vulgaverat. v. 74. SI *Nurtia Tusco Favisset*] Nurtia erat peculiaris Dea Vulsiniensium in Hetruria: quæ gens consueverat clavos indices numeri annorum in templo ejus Deæ fixos habere. Samuel Bochartus, vir πολυμαθέστατος, Geographiæ Sacræ Parte 2. Libro 1. cap. 33. eam Fortunam fuisse scribit, ac Nyrtiam appellat. Sunt etiam qui Nursciam vocent, Nurciam, Nursiam, Nortiam. v. 74. TUSCO] L. Ælius Sejanus ortus erat Vulsiniis oppido Hetruriæ, quod hodie *Bolsena*.

v. 75. SENECTUS *Principis*] Pro *senex princeps*. Ita βίη Ἀλκινόοιο apud Homerum, *robur Alcinoi*, pro *Alcinoo robusto*: & *sententia dia Catonis* apud Horatium Sat. 2. libri 1. pro Catone ipso eximiam sententiam proferente. Idem Ode 21. libri 3. *Narratur & prisci Catonis Sæpe mero caluisse virtus*. v. 76. HAC *ipsa Sejanum diceret hora Augustum*] Romanum Imperatorem salutaret. Primus Octavianus Cæsar hoc nomine appellatus fuit, ob magnitudinem rerum gestarum. deinceps & reliqui principes.

pes. Hoc vocabulum ab *auguriis* derivatum videtur. Ennius certe dixerat in Annalibus:

Augusto augurio postquam incluta condita Roma est.

Sunt qui ab *augendo* dictum velint : unde *augurium* ipsum derivat Ovidius in Fastis. v. 77. Ex *quo*] Subaudi *tempore*. ἔλλειψις est optimis poetis usitata. Sic etiam *ex illo* dicebant. Virgilius lib. 2. Æneidos : *Ex illo fluere, & retro sublapsa referri Omnia*. Propertius libro 2. Elegiarum: *Ex illo felix nox mihi nulla fuit*. v. 77. SUFFRAGIA *nulli Vendimus*] Hoc etiam dictum σατυρικῶς: quum enim poeta vices Romanæ reipublicæ significare vellet, ac temporum inclinationem, qua factum fuerat ut suprema potestas a populo Romano in principem omnino transferretur; notat obiter veterem illum populum tamquam venalem, & candidatorum qui honores peterent, ambitioni faventem. Sinebat enim, se muneribus & largitionibus corrumpi, & magistratus pecuniosis, non fortibus ac strenuis mandabat. Hinc Leges multæ de Ambitu variis temporibus promulgatæ, quas diligenter commemorat Carolus Sigonius libro 2. de Judiciis cap. 13. Ceterum, Tiberio demum

imperante, si Tacitum audimus libro Annalium primo, *Comitia primum e campo ad patres translata sunt; nam ad eam diem etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. Ad patres*, nimirum ad Senatum: sed in Senatu Principes Romani omnia poterant: nemo enim erat ex ordine senatorio quin adularetur Principi, & ex ejus voluntate sententiam diceret.

v. 78. EFFUDIT *curas*] Translatum ab eo qui aquam collectam effundat, vel effluere sinat. v. 80. DUAS *tantum res anxius optat, Panem & Circenses*] Temporibus Augustorum plebs Romana nihil aliud cogitabat quam ut haberet unde viveret, ac præterea voluptatem e spectaculis publicis, maxime vero ex ludis Circensibus, quorum desiderio propemodum insaniebat. Favebant enim factionibus aurigarum, quæ a prasino, Veneto, russo, & aliis pannorum coloribus nomina sumebant, atque inter se distinguebantur. Equorum etiam studio flagrabat, si qui reliquis velociores essent, ac plures palmas retulissent. Porro victûs curam præcipuam Romanis fuisse, ac pæne unicam, sub Cæsaribus, testatur etiam Claudianus, poeta suo seculo major,

libro

libro de Bello Gildonico, v. 49. Romam ipsam loquentem inducens:

Postquam jura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, & lapsi mores, desuetaque priscis
Artibus in gremium pacis servile recessi,
Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,
Ut dominam plebem, bellatoremque senatum
Classibus æstivis alerent, geminoque vicissim
Litore diversi complerent horrea venti.
Stabat certa salus: Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.

Ex Africa enim & Ægypto ingens frumenti vis quotannis Romam classe comportabatur: quas propterea provincias, ut etiam Siciliam & Sardiniam, vocabant horrea Romanorum.

- - - - - - *Perituros audio multos.*
Nil dubium: magna est fornacula: pallidulus mî
Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.
Quam timeo, victus ne pœnas exigat Ajax,
Ut male defensus! curramus præcipites, &,
Dum jacet in ripa, calcemus Cæsaris hostem.
Sed videant servi, ne quis neget, & pavidum in jus
Cervice obstricta dominum trahat. hi sermones
Tunc de Sejano, secreta hæc murmura vulgi.

Visne

Viſne ſalutari ſicut Sejanus? habere
Tantumdem? atque illi ſummas donare curules,
Illum exercitibus præponere? tutor haberi
Principis auguſta Caprearum in rupe ſedentis
Cum grege Chaldæo? vis certe pila, cohortes,
Egregios equites, & caſtra domeſtica? quid ni
Hæc cupias? & qui nolunt occidere quemquam,
Poſſe volunt. Sed quæ præclara & proſpera tanti,
Ut rebus lætis par ſit menſura malorum?
Hujus qui trahitur prætextam ſumere mavis:
An Fidenarum, Gabiorumve eſſe poteſtas?
Et de menſura jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis Ulubris?
Ergo quid optandum foret, ignoraſſe fateris
Sejanum. nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.
Quid Craſſos, quid Pompejos evertit? & illum
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.
Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt reges, & ſicca morte tyranni.

PA-

PARAPHRASIS.

Pergit poeta in describendis quæ mortem Sejani consecuta sunt; præsertim colloquiis popularibus, quum repentinus eventus hominum animos perculisset. Inducitur porro μιμητικῶς, ὁ τυχὼν, nimirum quidam e populo, cum altero verba commutans. „ Ut „ accepi, *inquit*, non in unius Sejani cæde „ ira Principis conquietura est. Multi qui „ cum Sejano adversus Tiberii salutem con„ juraverant, de medio tollentur. Al„ ter ita respondet: Id certissimum est. „ Fornax ad conflandam Sejani statuam „ succensa, non ita angusta est, ut multis „ noxiis urendis par esse non possit. Sane „ Brutidius, quo familiarissime utor, oc„ currit mihi nuper ad aram Martis pal„ lorem inusitatum facie præferens, ut qui „ Tiberio suspectus, & ipse sibi conscius „ esse videatur. Etiam atque etiam timeo, „ ne quum accusatus fuerit a delatore, & „ caussâ ciderit propter imbecillitatem pa„ troni a quo male defensus fuit, tristem „ Ajacis Telamonii exitum vitæ imitetur, „ qui ab Ulixe, in judicio de armis Achil-

„ lis,

„ lis, eloquentia ſuperatus, præ doloris „ magnitudine inſanivit, ac demum ſibi „ violentas manus intulit. Ne igitur & in „ nos aliqua ſuſpicio conjurationis cadere „ poſſit, citiſſimo & præcipiti curſu feſtine- „ mus, & donec Sejani cadaver porrectum „ eſt in ripa Tiberis, palam id pede pre- „ mamus, nullis contumeliis parcentes ad- „ verſus inimicum Tiberii Cæſaris. Verum „ demus operam ut ſervi noſtri videant nos „ calcantes & vexantes cadaver, ne quis „ illorum negare poſſit vel nos feciſſe, vel „ ſe vidiſſe; & poſtea dominum, mortis „ metu conſternatum, obtorto collo in ju- „ dicium rapiat: quod interdum ſolent ſer- „ vi nequam & proditores. Hæc erant col- „ loquia vulgarium hominum eo tempore „ de Sejano: hæc in aurem alter ad alte- „ rum ſuſurrabat. Quiſquis igitur caſum „ tanti viri audiviſti, cupiſne, turbam ſa- „ lutatorum domum tuam advenire, ſicuti „ olim Sejani ædes frequentabat? pecunias „ ejus poſſidere? ad pares honores evehi? „ ad ſummum auctoritatis, gratiæ, poten- „ tiæ faſtigium pervenire? ut pro tuo ar- „ bitratu ſupremos & curules magiſtratus „ aliis donare poſſis, alios exercituum im-

„ pe-

„ peratores creare: denique vicarius, ac
„ tamquam tutor Principis audire? dum i-
„ pſe Capreis otioſus deſidet cum grege A-
„ ſtrologorum, quibus maximopere addictus
„ eſt, Romanique imperii majeſtatem ab
„ urbe Roma in deſertum ſcopulum & ſqual-
„ lentem tranſtuliſſe videtur. Certe, ſi be-
„ ne te novi, cupis præeſſe cohortibus præ-
„ torianis, quæ manibus pila gerunt, ſicut
„ ille præerat: vis equitum florem circa
„ te habere, & domi tuæ ſpeciem quam-
„ dam caſtrorum. Et cur non horum deſi-
„ derio tenearis? Hominum ingenium ſic
„ eſt: Etiam qui mitem animum habent,
„ & a cædibus abhorrent, nihilominus non
„ recuſent nanciſci poteſtatem occidendi,
„ quandocumque ipſis libuerit. Sed quæ,
„ rogo te, fortunæ proſperitas, quæ rerum
„ geſtarum gloria, qui honorum ſplendor
„ tanti æſtimari debet, ut parati ſint ho-
„ mines hæc omnia paciſci & mercari pre-
„ tio ingentium calamitatum, quæ nimium
„ ſecundos eventus conſequi ſolent, ut eos
„ non ſolum adæquent, verum etiam lon-
„ giſſimo intervallo nonnumquam antece-
„ dant? Dic mihi amabo, utrum præoptes:
„ hujúſne, cujus cadaver unco raptatur,

„ ni-

„ nimirum Sejani, prætextam induere, an „ potius Fidenis, aut Gabiis, contemnendis oppidulis, municipalem præturam gerere, vel ædilis esse Ulubris, loco Volscorum prope deserto, ibique de mensuris liquidorum & solidorum edicta proponere, ac vasa præscripto ac definito modo minora, pro imperio frangere: neque Tyria purpura tegi, sed crassioribus ac detritis vestibus operiri? Hoc alterum certe mavis, quod Sejani magistratibus concedit quidem, sed periculo tamen caret. Quod quum eligis, contra Sejanum sententiam pronuntias, & fateris aperte, ignoravisse illum omnino quid vere bonum & optandum esset. Nam qui immoderatos honores cupiebat, qui opibus infinitis inhiabat, turrim quodammodo excelsam ædificabat, pluribus tabulatis superstructis, unde lapsus esset profundior, & ex qua repentino impulsu ruente ipse in abruptum barathrum præceps ferretur. Enimvero quid Crassos perdidit, quid Pompejos? illum præterea qui Dictator perpetuus factus, populum Romanum libertate spoliavit, & quemcumque voluisset Quiritium flagellis & fustibus cædi ju-

„ be-

„ bebat? Quid aliud, nisi princeps locus „ in civitate, quem ut obtinerent, nullum „ non lapidem moverant, omnia facere, „ omnia perpeti parati fuerant? Quid aliud, „ nisi desideria & vota ipsorum immode„ sta, & nullis finibus circumscripta, qui„ bus Dii, non liberales aut propitii, sed i„ rati & maligni, facile aurem præbuerant? „ Profecto, pauci reges, pauci rerum poten„ tes, qui tyrannidem in urbibus exercent, „ placidum vitæ finem sortiuntur, & ad Or„ cum, generum Cereris, qui scilicet Pro„ serpinam Cereris filiam matrimonio sibi „ junxit, descendunt cruore suo non inqui„ nati: nempe non occisi a strenuis liber„ tatis vindicibus, & multis vulneribus „ non confossi. „ Jam ad initium propositorum versuum redeamus, obscura quæque ac difficilia explicaturi.

COMMENTARIUS.

v. 82. MAGNA *est fornacula*] Hæc verba varie admodum a variis interpretibus explicantur. Sunt qui fornacem intelligant in qua Sejani statua conflata est: ubi & alia simulacra liquefieri possunt, vel etiam plu-

plures conjurationis participes ustulari. Placet nonnullis, *fornaculam* pro ira Principis æstuante a poeta usurpatam fuisse. Alii denique dicunt, de fornace loqui Juvenalem quam Cæsar construi jusserit ad noxios cremandos & absumendos. Ego vero quibus accedam nescio: locus est obscurus, & parum venustus. Animadvertendum porro *ἐπίθετον magna* additum diminutivo *fornacula*. Quod imitari nolim: videtur enim reprehendisse Quinctilianus libro 1. Instit. Orator. cap. 5. *Nam vitium*, ait, *quod sit per quantitatem*, *ut* magnum peculiolum, *erunt qui solœcismum putent; quia pro nomine integro positum sit diminutum*. Joannes Boccatius ab hoc vitio, seu potius loquendi figura, non abstinuit, qui Narratione 6. Diei decimæ dixit: *due grandissimi piattelli*. Verum apud Etruscos *piattello* idem fere est ac *piatto*, tametsi habeat formam diminutivi: sicuti apud poetas Latinos *ocellus* idem est atque *oculus*; quo ὑποκοριστικῷ, vocabulo nempe blanditiarum, Elegiæ præsertim amatoriæ scriptores, frequentissime utuntur.

v. 83. BRUTIDIUS *meus*] Hic rhetor quidam fuit, summus Tiberii adulator, qui Principis gratiam sibi conciliaverat accusando

do L. Syllano Asiæ proconsule, quod is Augusti nomen violavisset, Tiberii majestatem sprevisset; si credimus Cornelio Tacito libro 3. Annalium. Postea vero cum ceteris Sejani familiaribus, ejus quoque nomen delatum fuit. Caussam ipsemet suam peroravit: a delatore autem judicio victus, antequam supplicio afficeretur, sibi violentas intulit manus. v. 83. AD *Martis aram*] Quo fortasse Brutidius confugerat, ut se tueretur loci religione. Ara Martis Ultoris Romæ celeberrima fuit.

v. 84. QUAM *timeo, victus ne pœnas exigat Ajax!*] Brutidium comparat Ajaci Telamonio, qui quum ab Ulixe superatus fuisset in judicio Græcorum de armis Achillis, præ dolore factus insanus, caprum, quem Agamemnonem esse putabat, cecîdit flagellis, ac jugulavit, & gregem omnem persecutus est: quum autem resipuisset, ac fœdum facinus agnovisset quod per insaniam perpetraverat, ejus rei cogitationem ferre non potuit, ac gladio sibi pectus transfixit. Sophocles videndus ἐν Αἴαντι μαστιγοφόρῳ, & Ovidius initio libri 13. Metamorphoseon.

v. 87. SED *videant servi*] In delictis læsæ majestatis etiam servi ad accusandos he-

ros admittebantur; quod conſtat vel ex Lege *Famoſi*, titulo Pandectarum *ad Legem Juliam Majeſtatis*, & ex Lege 6. & 7. Codicis Juſtinianei titulo eodem. v. 87. ET *pavidum in jus Cervice obſtricta dominum trahat*] Carolus Sigonius libro 1. de Judiciis Romanorum cap. 18. multis veterum ſcriptorum teſtimoniis docet, conſueviſſe Quirites quem accuſarent, autra quo aliquid peterent, ſi recuſaret, per vim atque obtorto collo ad tribunal trahere: quod tamen haud licebat quum de matronis ageretur. Ita enim Valerius Maximus libro 2. Memorabilium cap. 1. *Quo matronale decus verecundiæ munimento tutius eſſet, in jus vocanti matronam corpus ejus attingere non permiſerunt, ut inviolata manûs alienæ tactu ſtola relinqueretur*. Stola, ut obiter moneam, veſtis erat ad talos uſque demiſſa, matronarum propria. v. 91. SUMMAS *donare curules*] Majores magiſtratus, nempe Conſul, Prætor, Cenſor, Ædilis, utebantur ſella curuli; quæ ſic dicta fuit, quod in curru poneretur; vel a Curibus oppido Sabinorum, unde Romam uſus ejus translatus fuerit. v. 92. TUTOR *haberi Principis*] Vicarius eſſe Imperatoris, ejus munera obire,

ire, ipsum tueri & custodire ab hostium vi, & civium insidiis, non minus quam Romanum imperium; dum Princeps otio indulget, vanisque Astrologorum studiis dat operam in secessu Caprearum. v. 93. AUGUSTA *Caprearum in rupe*] Vocat parvam illam insulam, & rupem aut scopulum potius quam insulam, *augustam;* quod videlicet ibi commoraretur Tiberius Imperator Augustus, & sedem ac majestatem imperii ab urbe Roma eo quodammodo transtulisse videretur. Sunt qui legendum existiment, *angusta*. v. 94. CUM *grege Chaldæo*] Hoc est cum Astrologorum caterva, quos iis temporibus Mathematicos appellabant, & interdum Chaldæos. Sciendum est, Babyloniam Asiæ regionem late patentem, circa magnam urbem Babylonem, Arabiæ desertæ finitimam, Chaldæam quoque appellatam fuisse, præcipue in sacris litteris. *Chaldæi* porro gentis & sectæ nomen fuit. Nam Babylonii, quum ingentem planitiem incolerent, ortus, occasus, varios positus ac trajectiones astrorum facile observare potuerunt. Nihil mirum igitur, eos Astronomiæ studia & Physicæ cælestis coluisse potissimum: quibus tamen studiis ad ineptias &

ſuperſtitionem abutebantur: nam ex obſervatione ſiderum promittebant, ſe dicturos, quæ cuique homini eventura eſſent in vita. Cicero id teſtatur diſerte initio libri 1. de Divinatione. *Chaldæi, non ex artis, inquit, ſed ex gentis vocabulo nominati, diuturna obſervatione ſiderum ſcientiam putantur effeciſſe, ut prædici poſſet, quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet.* Propterea qui divinationem, & alias artes Babyloniorum profiterentur, Chaldæi & ipſi vocari cœperunt, ab inſtituto nimirum & diſciplina. Horatius libro 1. Carminum Ode 20. Babylonios numeros commemorat: *Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi Finem Dii dederint, Leuconoë, nec Babylonios Tentaris numeros.* Tiberius vero Cæſar Thraſyllum quemdam Chaldæum apud ſe habebat, eum de vita ſua conſulebat, ejuſque monitis diligenter obtemperabat, teſte Suetonio Tranquillo. *Gregem* dixerunt veteres turbam ſeu catervam hominum eidem arti vacantium, qui ducem quemdam ſeu magiſtrum ſibi præfeciſſent, cui auſcultarent, & a quo regerentur. Ita *Grex comicorum* apud Plautum: quem hodie dicimus, *Compagnia di commedianti.* v. 94. VIS *certe*

pila

pila] Tela, sive hastæ quibus pedites armabantur in exercitu Romano, *pila* proprio nomine appellata fuerunt. Iccirco Lucanus initio Pharsaliæ suæ bellum civile significare volens, dixit: *pares aquilas, & pila minantia pilis*. Inde *primipilus* vocabatur centurio ille qui inter centuriones majore dignitate erat, primamque centuriam ducebat. A *pilo* videtur derivatum cognomen C. Pontii præsidis Romani, seu procuratoris Tiberii Cæsaris, in Syria Palæstina, qui CHRISTUM servatorem nostrum cruci addixit: *Pilatus* enim vocatus fuit.

v. *96*. ET *qui nolunt occidere quemquam, Posse volunt*] Velle occidere, crudelitatem arguit, & vitio vertitur: posse occidere, indicat potestatem, & honori ducitur. Eodem pacto laudabile est notitiam scelerum & flagitiorum habere: quamquam ea suscipere & committere, odiosum ac turpe merito habetur. Sic tametsi in formosos multæ cadant suspiciones, multa urbana dicta jactentur, forma nihilominus laudatur, & in optabilibus numeratur. Itaque Ovidius libro 1. Artis Amat. v. *623*.

Delectant etiam castas præconia formæ;
Virginibus curæ grataque forma sua est.

Si quis autem propositam habens ac facilem peccandi materiam, nihilominus a peccando abstineat, summus profecto & admirabilis vir est: puta si potentiam cum innocentia, sagacitatem cum animi candore, formam atque ætatis florem cum pudicitia conjungat. Hujusmodi hominem divinæ litteræ *beatum* vocant: *Beatus vir qui potuit facere mala, & non fecit, transgredi, & non est transgressus. Quis est hic? & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita sua.*

v. 100. FIDENARUM] Fidenæ parvum oppidum Latii fuerunt. v. 100. GABIORUMQUE] Gabii, aliud Latinum oppidulum XII. passuum millibus distans ab urbe Roma. v. 100. ESSE *potestas*] *Potestatem* pro Prætore usurpavit; quod scilicet in illis oppidis, decernendi, & in sceleстos animadvertendi summa potestas apud prætorem esset. Hodie prætorem vocamus *podestà*. v. 101. DE *mensura jus dicere*] Proprie ac docte loquitur poeta noster: nam jurisdictio ad prætores pertinebat. Illi nempe initio magistratûs sui edictum proponebant quibus de rebus cognituri essent, ac judices daturi. Eorum enim cura & munus fuit judices litigantibus dare. Verum hæc

jure-

jureconſultis relinquamus. v. 101. VASA *minora Frangere*] Hoc irridet etiam Perſius Sat. 1. in quodam, cui magnificum valde atque inſigne videbatur, id ſe facere potuiſſe. Perſii verba ſunt:

Seque aliquem credens, Italo quod honore ſupinus
Fregerit heminas Aretî ædilis iniquas.

Italo honore, inquit, non *Romano*. Italus honor nimirum erat minor ille magiſtratus quem extra urbem Romam in aliis Italiæ oppidis gerebant. v. 102. PANNOSUS] Pannis obſitus, trita veſte indutus. Notat ſordes ac paupertatem hominis, a ſquallore veſtis. *Pannos* interdum Latini vocant quos vernaculo ſermone nos appellamus *cenci*, *ſtracci*. v. 102. VACUIS *ædilis Ulubris*] Ulubræ caſtellum fuit Latii veteris, infrèquens omnino, ac prope deſertum; fortaſſe ob aeris vitium. Ædiles dicti ſunt a curandis ædibus ſacris, aliiſque baſilicis, publiciſque ædificiis. Ea enim ſarta tecta præſtare debebant. Ad illos quoque pertinuit cura viarum oppidi, munditiæ publicæ, rerum venalium, ludorum & ſpectaculorum: Romæ fuerunt ædiles curules, inter præcipuos magiſtratus. Hi ædilitium edictum proponebant, quemadmodum prætor præ-

torium. Fuerunt & ædiles plebeji.

v. 106. EXCELSÆ *turris tabulata*] Contignationes videlicet, quas Itali vocamus *palchi*, *solaj*. v. 106. UNDE *altior esset Casus*, *& impulsæ præceps immane ruinæ*] Ad hunc fortasse locum poetæ Aquinatis respexit Claudianus quum celeberrimum illud pronuntiavit de impiorum atque injustorum prosperitate, libro 1. in Rufinum v. 20. --- --- --- *Jam non ad culmina rerum*

Injustos crevisse querar: tolluntur in altum

Ut lapsu graviore ruant ---- ----- ----

v. 108. QUID *Crassos*, *quid Pompejos evertit?*] M. Licinius Crassus, locupletissimus ille Romanorum, qui cum Pompejo Magno, & Julio Cæsare Triumvir fuit, in Parthos expeditione suscepta, quum male pugnavisset, ac locorum ignarus esset, a Surena eorum duce insidiis circumventus, proditus, ac trucidatus est. Filius quoque ejus, fortissimus adolescens, in prœlio cecidit. Pompeji Magni vices notissimæ sunt omnibus qui Romanam historiam vel primoribus labiis deguftaverunt. Hic vir eximius, quum partes reipublicæ tueretur, in campis Pharsalicis a Cæsare victus, confugit ad Ptolemæum Ægypti regem, de quo

fue-

fuerat optime meritus : verum ab ingrato rege, qui nondum puerilem ætatem excesserat, occidi jussus est in navicula, priusquam pedem in litore poneret: ejusque caput ad Cæsarem delatum. Cn. etiam & Sex. Pompeji, ipsius liberi, malum vitæ exitum sortiti sunt. v. 108. ET *illum Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites*] Plerique hoc accipiunt de C. Julio Cæsare, Dictatore perpetuo, qui quum rerum potiretur, & Romanam libertatem sustulisset, a M. & D. Brutis, C. Cassio, & aliis conjuratis, in curia viginti tribus vulneribus confossus interiit. Nec desunt qui Syllam, aut Cinnam, vel Augustum denique significari putent. Marcus enim Cicero somnium vidit, in quo Juppiter Octaviano adolescenti flagellum tradebat, signum videlicet summæ in republica potestatis, qua ipsi liceret quicquid libuisset. Ceterum apud Romanos lex Porcia, & aliæ leges nonnullæ vetabant ne magistratus civem ullum Romanum flagris aut virgis cæderent : quod supplicium ignominiosum fuit. Propterea, sive Julium Cæsarem, sive Octavianum Augustum, sive Syllam, seu Cinnam intelligere malis, res eodem recidit.

Nam

Nam *deducere Quirites domitos ad ſua flagra*, nihil aliud erit quam tergo civium Romanorum abuti pro arbitrio, eos nimirum flagris percutiendo, contemtis legibus quæ ipſorum dignitati conſulebant. Verum hæc poetæ noſtri verba Auguſto minus conveniunt; qui, ſi calamitates ipſius domeſticas exceperis, & Varianam cladem, proſpera fortuna uſus eſt, ac tandem in ſenectute mortuus, poſtquam reipublicæ ſex & quinquaginta annos præfuiſſet. v. 110. SUMMUS *nempe locus nulla non arte petitus*] Hi omnes quos commemorat Juvenalis, immoderatam rerum omnium licentiam, & principatum in ſua civitate concupiverunt: quæ res illis peſtem ac perniciem creavit. De ambitione Cæſaris & Pompeji, teſtem inſignem præter ceteros habemus Lucanum libro 1. Pharſaliæ v. 120. cujus afferam verba:

— — — — — Stimulos dedit æmula virtus.
Tu nova ne veteres obſcurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times: te jam ſeries, uſuſque laborum
Erigit, impatienſque loci fortuna ſecundi.
Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorẽ,
Pompejuſve parem — — —

V. III.

v. 111. MAGNAQUE *numinibus vota exaudita malignis*] Nam potentibus hisce viris Dii nocuerunt, non eorum quidem preces repellendo, ac desideriis obsistendo, sed potius tribuendis & largiendis quæ illi stulte postulaverant. v. 112. AD *generum Cereris sine cæde & vulnere pauci Descendunt reges*] Gener Cereris Pluto; qui Proserpinam Cereris filiam, sicut est in fabulis, apud Ennam locum Siciliæ amœnissimum rapuit, ac sibi matrimonio junxit, & reginam inferorum fecit. Mortuos autem omnes in ditione Plutonis esse credebant, quem etiam Ditem patrem, atque Orcum appellaverunt. v. 113. SICCA *morte*] *Sicca mors* est quæ sine sanguine contingit. Eodem pacto, *siccis oculis* dixit Horatius Carminum libro 1. Ode 3. pro lacrimarum expertibus. Ita sobrios homines, qui mero abstinebant, *siccos* vocare consueverant: contra, ebrios appellabant *uvidos*. Idem Horatius Carminum libro 4. Ode 5.

— — — Dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi
Quum Sol Oceano subest.

Elo-

Eloquium, ac famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis Quinquatribus optat
Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.
Eloquio ſed uterque perît orator: utrumque
Largus & exundans leto dedit ingenii fons.
Ingenio manus eſt, & cervix cæſa: nec umquam
Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam natam me Conſule Romam!
Antonî gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet. ridenda poemata malo,
Quam te, conſpicuæ divina Philippica famæ,
Volveris a prima quæ proxima. Sævus & illum
Exitus eripuit quem mirabantur Athenæ
Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.
Diis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro,
Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano ad rhetora miſit.

PARAPHRASIS.

Quum poeta noſter adhuc oſtenderit, divitias & honores, quæ tantopere ab hominibus

nibus expetantur, multis exitio fuisse; nunc eo transit ut ostendat, eloquentiam ipsam, facultatem in rebuspublicis permagno æstimari solitam, sæpius obesse quam prodesse viris eloquentibus: idque Demosthenis & Ciceronis exemplis, præclarissimorum scilicet Oratorum, confirmat: qui ambo non aliam ob caussam perierunt quam ob dicendi copiam & excellentiam. Hoc igitur paullo ante descriptis versibus sibi vult Juvenalis.
„ Pueri fere omnes qui heri aut nudiustertius occœperunt ire in ludum litterarium,
„ & apud magistellum quempiam, rhetorem puta vel grammaticum ignobiliorem,
„ cui assem unum, tenuem videlicet mercedulam quot mensibus persolvunt, in
„ primis rhetoricæ vel grammaticæ rudimentis exercentur, ea ratione Minervam
„ colentes, Deam ingeniorum & litterarum præsidem: pueri, inquam, quos ad
„ præceptorem euntes comitatur servulus
„ verna, nimirum domi ex ancilla natus,
„ cum aliquot libellorum capsula, quæ ipsi
„ portanda & custodienda committitur: hujusmodi pueri, spes hominum verius quam
„ homines, eo votorum suorum audaciam
„ propellunt, ut Demosthenis vel Cicero-

„ nis eloquentiam, & partam eloquentiæ „ gloriam ac famam, ſibi optare incipiant, „ proque illa obtinenda Minervæ ſupplicent „ ac vota faciant, præcipue quum ejus dies „ feſti advenerunt, quos a numero & a- „ triis Romani appellant Quinquatrus. Ve- „ rum Demoſthenes & Cicero, quorum præ- „ ſtantiam conſequendam ſibi proponunt „ pueri noſtri, uterque facundiam ſuam pe- „ reundi cauſſam habuit: utrumque miſe- „ rabili mortis genere ſuſtulit fons ille u- „ berrimus ingenii, qui nullis prope fini- „ bus contineri & coerceri poſſe videbatur. „ Nam, ut de Cicerone primum dicam: „ ob eloquium tantummodo & ingenium, „ ejus caput & manus, juſſu M. Antonii „ Triumviri, adverſus quem ſummus Ora- „ tor quatuordecim Philippicas recitaverat, „ a Popilio Lænate abſciſſa eſt, & affixa „ pro roſtris: quæ roſtra numquam cruen- „ tata fuerunt ſanguine cauſſidici mediocris, „ cujus nulla pæne ratio haberetur. Et Ci- „ cero quidem haud contentus gloria quam „ ex dicendi arte, cauſſiſque orandis colle- „ gerat, verſus nonnumquam factitabat. „ Quum vero de Conſulatu ſuo libros car- „ mine ſcripſiſſet, facinus egregium ſuum

„ lau-

„ laudare volens, nempe conjurationem Ca-
„ tilinæ a se Consule detectam atque op-
„ pressam, hunc inter ceteros versum ef-
„ fudit,

O fortunatam natam me Consule Romam!

„ ob quem versum male sonantem, &, ut
„ quibusdam videbatur, absurdum, ab ad-
„ versariis & obtrectatoribus irrisus fuit.
„ Erat enim Cicero, si verum fateri vo-
„ lumus, Orator quidem vehemens, & co-
„ piosus: poeta vero excellens non item.
„ Nihilominus extra periculum fuisset M.
„ Tullius, potuissetque satellites & sicarios
„ Antonii non timere, si scripta ipsius o-
„ mnia mediocritatem, vel infantiam etiam
„ prætulissent, qualem versus ille præfert.
„ Ego vero, ut capiti meo bene consulam,
„ optaverim potius malorum & ridendorum
„ poematum auctor esse, quam divinæ il-
„ lius Philippicæ quæ statim post primam
„ legentibus occurrit, nimirum secundæ:
„ tametsi ea per ora hominum volitet, fa-
„ mamque ingentem ubique locorum, pro-
„ pter vim dicendi admirabilem, consecu-
„ ta sit. Atque hunc vivendi exitum ha-
„ buit Cicero, tantus Orator. Quid De-
„ mosthenes? Hic etiam, non vir eloquens,

„ at

„ at eloquentia ipsa: quem verborum flu-
„ mine exundantem, atque in theatris, fo-
„ ris, basilicis, aliisque publicis locis, fre-
„ quentissimo conventu, civium animos eo
„ pacto regentem quo magistri solent feros
„ equos frenare, populus Atheniensis admi-
„ rabatur; hic quoque, inquam, crudelem
„ vitæ finem sortitus est. Omnino igitur
„ dicere oportet, Demosthenem Diis iratis
„ in lucem editum, atque magna fatorum
„ acerbitate; quem pater ejus, cultellorum
„ faber, cui lippiebant oculi fumo & fu-
„ ligine massæ ferreæ positæ in camino ar-
„ denti; ab instrumento fabrili, nimirum
„ a carbone, forcipibus, incude, super
„ quam fabri ferrarii gladios malleo du-
„ cunt, misit ad rhetoricæ magistrum; ne
„ amplius egregiæ indolis puer sordidis at-
„ que abjectis Vulcani sacris, at Minervæ
„ nitidis & illustribus operaretur. „ Sen-
tentiam horum versuum exposuimus: nunc
verba, locutiones, eruditionem persequamur.

COMMENTARIUS.

v. 115. TOTIS *Quinquatribus optat*] Quin-
to die ab Idibus Martii, Romæ festa Mi-
nervæ

nervæ celebrari incipiebant, quæ totos quinque dies perdurabant. Unde appellata videntur Quinquatrus. De his diebus festis, ritibusque ac cæremoniis quæ in iisdem servari solerent, ita Ovidius lib. 3. Fast. v. 809.

Una dies media est; & fiunt sacra Minervæ:
Nominaque a junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat: nec fas concurrere ferro.
Caussa, quod est illâ nata Minerva die.
Altera, tresque super stratâ celebrantur arenâ.
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.

Non solum autem Quinquatrus dicebantur hæc festa, verum etiam Quinquatres, & Quinquatria. Hos dies præcipua quadam religione colebant ludimagistri, & pueri studiosi litterarum: scholas itaque occludebant, & Minervæ studiorum præsidi supplicabant, ut sibi propitia esset, atque acumen ingenii largiretur. Sicuti autem quintum diem post Idus Martias Quinquatrus vocaverunt Romani, & ab eo quatuor etiam sequentes; ita Tusculani tertium diem post Idus appellabant Triatrus, sextum Sextatrus: eodem pacto Falisci, decimum Decimatrus. quod testatur Pompejus Festus de Verborum significatione. v. 116. QUISQUIS *adhuc uno partam colit asse Minervam*] Ange-

lus Politianus, vir doctissimus, qui suo tempore in litteris regnabat, Miscellaneorum cap. 21. reprehendit Domitium Calderinum, quod is in Commentario ad Satyras Juvenalis hunc versum perperam explicaverit: sed neque ipse perspexisse mihi videtur quid sibi voluerit poeta noster. Verum est quidem, stipem seu mercedem quam grammaticis & rhetoribus pueri persolvebant, *minerval* fuisse dictam: sed id explicandum erat, nisi fallor, quid sit *colere uno asse Minervam partam*. Ego quoque symbolam meam in medium afferre non verebor. Discipuli juniores, qui nuper curriculum studiorum ingressi fuerant, mercedem exiguam præceptori solvere consueverant, puta unum assem. Colebant igitur Minervam, hoc est sacris ejus operabantur, quam minimo pretio. quid enim vilius uno asse singulis mensibus persoluto? Quare autem *partam Minervam* poeta dicit? quoniam scilicet primo Quinquatruum die puerperium Jovis celebrabant, qui Minervam e capite suo peperisset, ut perhibent fabulæ. Repetamus versus Ovidii paullo ante memoratos:

Una dies media est; & fiunt sacra Minervæ:
Nominaque a junctis quinque diebus habent.

San-

Sanguine prima vacat; nec fas concurrere ferro.
Caussa, quod est illâ nata Minerva die.
Hoc est igitur *parta Minerva*. Quod neque Politianus est assecutus. v. 117. QUEM *sequitur custos angustæ vernula capsæ*] *Vernula* ὑποκοσμικῶς est puer verna: scilicet non pretio paratus, quemadmodum servi reliqui, at ex ancilla muliere natus domi. Capsâ vero angustâ quam post herilem filium, ad ludum litterarium euntem, portabat & custodiebat hic vernula, pauci libelli continebantur, quibus in schola utendum erat. Codices hodie sacculis inclusos gestare mos est; quos olim capsis circumferebant. Hos famulos pedissequos, a capsulis ferendis & servandis *capsarios* dicebant. Quo pertinet insignis locus D. Augustini Enarratione in Psalmum 40. num. 14. *Major*, inquit, *serviet minori*, *modo impletum est: modo*, *fratres*, *nobis serviunt Judæi*, *tamquam capsarii nostri sunt*, *studentibus nobis codices portant*. Harum capsarum & capsularum, in quibus libri condebantur, meminerunt Horatius & Catullus. Ille Satyra 10. libri 1. v. 61.

------ ----- ---- --- *Etrusci*
Quale fuit Casſî rapido ferventius amni
Ingenium; capsis quem fama est esse librisque

Ambustum propriis ---- ---- --- --

& sub calcem Epistolæ 1. libri 2.

Cum scriptore meo capsa porrectus aperta
Deferar in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Hic vero Elegia illa pulcherrima ad Manlium v. 33.

Nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.

v. 120. INGENIO *manus est, & cervix cæsa*] Hujus rei, præter ceteros, T. Livius testis est libro Histor. ab U. C. CXX. ex quo libro cum plurimis aliis egregii operis injuria temporum deperdito, fragmentum quoddam servavit nobis M. Seneca Suasoria 6. Narrat igitur auctor celeberrimus, Ciceroni relato jam in proscriptos, & fugam capessenti, quum promineret ex lectica, & immotam cervicem præberet, a satellitibus Antonii caput fuisse præcisum. Quod stolidæ crudelitati militum satis non fuit: manus etiam quoque præciderunt, exprobrantes ipsis aliquid scripsisse in Antonium. Qui caput præclari viri ad se perlatum,

latum, inter duas manus in roſtris poni juſſit. Homines vero prætereuntes, lacrimas cohibere non poterant, neque trucidata ejus membra intueri, quem toties ex eo ipſo loco verba facientem, cum admiratione eloquentiæ audiverant. v. 120. NEC *umquam Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli*] *Roſtra* dicebatur locus quidam in foro, non procul a comitio. Eum locum ita dixerunt, quod L. Furio Camillo, C. Menio Coſſ. naves Antiatium, qui adverſus Romanos male pugnaverant, partim incenſæ fuerint, partim in navalia Romæ ſubductæ: roſtriſque earum, ſuggeſtum in foro exſtructum adornari placuerit: ut refert Livius lib. 8. In Roſtris ferebantur leges, agebantur cauſſæ, habebantur conciones. Fuerunt & nova Roſtra ad Palatii radices. Roſtra vero navium, a quibus nomen ejus loci ductum eſt, fuerunt pars navis in prora primore, magis exporrecta, & acuta in modum cunei. A roſtris avium, vel aprorum, quorum valde ſimilis fieri ſolebat, eam appellaverunt. Inde naves roſtratæ, & coronæ roſtratæ, quibus donabantur imperatores qui navali prœlio viciſſent. Porro quum ſecundo vento & remorum im-

pulsu naves citissime agerentur, magno impetu rostra illarum in hostium naves impingebant, adeo ut iis hærerent, easque disjicerent. Quamobrem Tibullus libro 2.

Præda vago jussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.

v. 124. RIDENDA *poemata malo*] Opinio increbuit, Ciceronem fuisse malum poetam: quod tamen haud omnino verum est. Illius enim versus adhuc leguntur non inelegantes, ad Ennii lucernam elucubrati. Nam tempore Ciceronis nullum Ennio præstantiorem poetam habebant quem imitarentur. Sed quoniam oratoria facultate reliquos omnes Cicero prætergressus fuit, hac de caussa, poetæ personam minus feliciter sustinuisse videtur. Narrat Plutarchus in Vita Ciceronis, eum a puero poesin amare & colere cœpisse. Quum vero adolevisset, non solum Oratorem excellentem, sed etiam omnium Romanorum optimum Poetam fuisse visum. Iis tamen quæ postea consecuta sunt temporibus quum plures omnino ad condendum carmen idonei exstitissent, Ciceroniana poesis paullatim refrixit, atque in pretio esse desiit. Ceterum Tullius, C. Julio Cæsare principatum obtinente,

tinente, jam sexaginta natus annos, facultate poetica ludens utebatur: dicitur enim proposito argumento, versus una nocte fudisse quingentos; ut appareat, ipsum ceteris palmam in eo genere præripere potuisse, si se totum ad Musas conferre voluisset. v. 125. DIVINA *Philippica*] Ob alteram præcipue Philippicam M. Antonius Triumvir Ciceronem odio acerbissimo & internecino prosequi cœpit: nam Oratione illa M. Tullius Antonio plagas insanabiles, & sempiternam ignominiam inflixit. *Antonianæ* debuerunt inscribi Orationes illæ Ciceronis, quod in Antonium compositæ fuerint: sed auctor maluit eas *Philippicas* nominare, quod iis conscribendis exemplum Demosthenis sibi proposuerit, cujus exstant Orationes *Philippicæ* præclarissimæ adversus Philippum Macedoniæ regem, qui florente Demosthene, libertati Græciæ struebat insidias. v. 126. SÆVUS *& illum Exitus eripuit quem mirabantur Athenæ*] Demosthenes venenum ebibit, quod in cavo anulo secum gerebat, ut refert Eratosthenes apud Plinium libro 30. Nat. Hist. cap. 1. ne in Antipatri potestatem veniret, qui ad eum perducendum miserat quemdam Archiam

cum satellitibus. Decessit autem annos natus LX. v. 127. QUEM *mirabantur Athenæ Torrentem*] Nimirum vehementi & concitato utentem genere dicendi, quod simile esset hiberno flumini seu torrenti. Eloquentia sæpenumero flumini comparatur. Propterea Cicero dixit alicubi: *Flumen orationis aureum fundens Aristoteles*.

v. 128. PLENI *moderantem frena theatri*] Veteres Oratores multum poterant apud populum, eumque facillime impellebant quo voluissent, & impulsum revocabant, non secus ac equi freno circumflectuntur.

v. 130. ARDENTIS *massæ fuligine lippus*] Cui sæpius lacrimantur oculi, nullam ob caussam fletûs, a Latinis *lippus* vocatur. Fabris porro ferrariis hoc incommodum fere accidit, ortum scilicet ex ignis violentia, & fumi acrimonia. v. 132. LUTEO *Vulcano*] Ignis color, flavus & croceus est; quem colorem veteres luteum etiam dixerunt.

Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis
Lorica, & fracta de casside buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis

Aplu-

Apluſtre ; & ſummo triſtis captivus in arcu ,
Humanis majora bonis creduntur : ad hoc ſe
Romanus , Grajuſque , ac Barbarus induperator
Erexit : cauſſas diſcriminis , atque laboris
Inde habuit. Tanto major famæ ſitis eſt, quam
Virtutis . Quis enim virtutem ampleƈtitur ipſam ,
Præmia ſi tollas ? Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum , & laudis titulique cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus : ad quæ
Diſcutienda valent ſterilis mala robora ficûs :
Quandoquidē data ſunt ipſis quoque fata ſepulcris .
Expende Hannibalem : quot libras in duce ſummo
Invenies ? hic eſt quem non capit Africa Mauro
Percuſſa Oceano , Niloque admota tepenti .
Rurſus ad Æthiopum populos , aliosque elephantos
Additur imperiis Hiſpania : Pyrenæum
Tranſilit . oppoſuit natura alpemque , nivemque :
Diducit ſcopulos , & montem rumpit aceto .
Jam tenet Italiam : tamen ultra pergere tendit .
Aƈtum , inquit , nihil eſt , niſi Poeno milite portas
Frangimus, & media vexillum pono Suburra .
O qualis facies , & quali digna tabella ,
Quum Gætula ducem portaret bellua luſcum !
Exitus ergo quis eſt ? ô gloria ! vincitur idem
Nēpe, & in exſiliū præceps fugit, atque ibi magnus
Miranduſque cliens ſedet ad prætoria Regis ,
Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.

Fi-

Finem animæ quæ res humanas miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabunt, nec tela, ſed ille
Cannarum vindex, & tanti ſanguinis ultor
Anulus. I, demens, & ſævas curre per Alpes,
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

PARAPHRASIS.

Hactenus poeta noſter locutus eſt de gloria quam homines dicendo, & cauſſis orandis conſequuntur: ea vero quam ſit inanis, & haud raro pernicioſa, exemplis illuſtribus Ciceronis ac Demoſthenis, excellentium Oratorum, planum fecit. Nunc tranſit ad gloriam bellicam, ut ejus quoque inanitatem, & damna quæ ex ipſa oriri ſolent, exemplis Hannibalis, Alexandri Magni, ſummorum ducum, & aliorum etiam oſtendat. Eſt autem allatorum verſuum ſententia fere hujuſmodi: „ Spolia bellica ex „ hoſtium corporibus detracta; lorica in- „ ſerta & accommodata paxillis & ramis „ detruncatis, quos tropæa vocamus; buc- „ cula, nempe buccæ ſeu malæ tegumen- „ tum, adhærens caſſidi ſeu galeæ fractæ; „ jugum currûs minutum, videlicet ſine

„ temo-

„ temone ; navis hoſtilis claſſico bello de-
„ victæ ornamentum , quod vocant aplu-
„ ſtre ; denique ſimulacrum captivi homi-
„ nis , mærore confecti , in arcûs trium-
„ phalis faſtigio collocatum ; hæc omnia
„ exiſtimari ſolent divina potius bona quam
„ humana. Quicumque enim apud Roma-
„ nos , Græcos , & Barbaros exercitibus
„ præfuerunt , quum hæc laborum & pe-
„ riculorum præmia ſpectarent , animos e-
„ rexerunt , duraque omnia & aſpera li-
„ bentiſſime perpeſſi ſunt. tanto majore ce-
„ lebritatis & famæ deſiderio , quam virtu-
„ tis ipſius homines flagrare videas. Quo-
„ tus enim quiſque nudam virtutem am-
„ plectitur , nullo propoſito præmio? Nihi-
„ lominus paucorum civium gloria tanto
„ conatu expetita , & ſtudium vehemens
„ laudis popularis , ac titulorum qui in-
„ ſcribuntur marmoreis monumentis , ubi
„ ſervantur cineres virorum illuſtrium ;
„ cauſſa fuit cur patria ipſorum a culmine
„ felicitatis deturbata , rueret in præceps
„ ac deleretur. quæ tamen ſepulcra & mo-
„ numenta , temporis proceſſu rumpuntur ,
„ ea ſcindente & comminuente caprifico ,
„ nempe ſilveſtri ficu in iis enata. Quan-
„ do-

„ doquidem non ſolum homines mori con-
„ tingit, ſed etiam ſepulcra ipſa morti ob-
„ noxia ſunt. Expende quod ſupereſt ex
„ Hannibalis combuſto cadavere: quot li-
„ brarum cenſes futuras tanti imperatoris
„ reliquias? Hic ſcilicet fuit adeo magno
„ animo & immoderato, quem Africa ſua
„ capere non poſſet, quamvis ea tam late
„ pateat, ut ad Occidentem alluatur &
„ feriatur ab Oceano Mauritano; ad Orien-
„ tem vero Ægyptum attingat, calidam
„ regionem, quam Nilus mediam diſpeſcit.
„ Quum igitur contentus non eſſet impe-
„ rio Æthiopum Libycorum, apud quos
„ elephanti naſcuntur, quemadmodum apud
„ Indos; ei a ſenatu populoque Carthagi-
„ nienſi decreta eſt Hiſpania cum exerci-
„ tu invadenda. Qua perdomita, & Py-
„ renæo jugo ſuperato, in Galliam tranſi-
„ vit. deinceps Italiam ſpectare cœpit.
„ Huic Hannibalis conſilio Alpium juga
„ præcelſa, & perpetuis nivibus obſeſſa,
„ natura oppoſuerat. Ipſe tamen itineris
„ difficultate ab incœpto non deterritus,
„ rationem invenit qua rupes diſjicerentur,
„ & montem ignis vi atque aceto adhibi-
„ to perrupit. Jam Italia potitus eſt: nec

„ ta-

„ tamen animus inquies consistere adhuc „ potest. Nihil, ait, ad hanc diem egisse „ mihi videor, nisi milites nostri Cartha- „ ginienses in portas ipsas urbis Romæ im- „ petum faciunt, easque frangunt: & nisi „ vexillum Punicum statuo tandem ac de- „ figo media Suburra, frequentissima Ro- „ mæ regione. Mirum est quomodo tam „ ingens animus lateret in corpore tam de- „ formi. Ridiculum sane spectaculum, & „ dignum quod a pictore aliquo, ludibrii „ caussa, in tabella exprimeretur; dux „ nempe altero captus oculo insidens ele- „ phanto belluæ Gætulæ. Verum, quis tan- „ dem exitus Hannibali fuit? O inanem „ gloriam! Idem videlicet ab Scipione A- „ fricano superatur; & a civibus suis, quod „ rem male gesserit, in exsilium præceps „ actus, ad Antiochum regem Syriæ con- „ fugit, deinde ad Prusiam Bithyniæ re- „ gem, atque ibi cum ceteris aulicis ad re- „ giæ domus fores consistit, cliens profecto „ insignis, & omnibus admirabilis, horam- „ que exspectat qua maximo commodo suo „ tyrannus ille expergiscatur, & ipsum tan- „ dem admitti jubeat. Postremo, vitæ „ Hannibalis, quæ tamdiu res humanas mi-

„ scuit

„ scuit ab imo fundo, non hostiles gladii, „ non saxa, non alia tela finem attulerunt; „ sed anulus ille fatalis ex quo venenum „ depromsit imperator præstantissimus: quem „ anulum jure vocare possis ultorem Can- „ nensis calamitatis, qua Romani ab Han- „ nibale afflicti sunt, & vindicem tanti „ sanguinis ab iisdem Romanis secundo bel- „ lo Punico effusi. O demens Hannibal, i „ nunc, & duras Alpes atque horribiles „ percurre, ut uberrimæ mercedis loco, „ pueris in ludo litterario apud rhetorem „ se exercentibus placere possis, & Suaso- „ riæ seu Declamationis alicujus argumen- „ tum fias. „ Nunc singula quæ his versibus continentur, percenseamus, & difficilia quæque expediamus.

COMMENTARIUS.

V. 133. TRUNCIS *affixa tropæis Lorica*] Tropæa erant signa quædam & monumenta, quæ victis aut fugatis hostibus, in loco ubi prospere pugnatum fuerat, a ducibus victoribus excitabantur. Dicta vero sunt ἀπὸ τῆς τροπῆς, nimirum a conversione & fuga. Quomodo tropæum statueretur, quum ex aliis

liis pluribus, tum ex Virgilio cognoscere licet, qui sub initium libri undecimi Æneidos id luculente ita describit:

Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti ducis exuvias; tibi, magne, tropæum,
Bellipotens: aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis: clipeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Nunc intelligimus, aut ego fallor, quamobrem poeta noster dixerit *truncis tropæis*; nam ad hæc signa victoriæ statuenda truncas arbores, quercus præcipue, supervacuis ramis amputatis, adhibebant, easque in tumulis, & aliis excelsis locis pangebant, ut longe conspici possent. Hi porro trunci arborum simulacrum armati hominis quodammodo referebant: audis enim, a Virgilio in hac descriptione mentionem fieri sinistræ, & colli. Lorica etiam ipsa, tamquam pectori & dorso militis; querno stipiti aptabatur. De tropæis varia quædam & lectu jucunda profert Alexander ab Alexandro Genialium Dierum libro I. cap. 22. V. 134. FRACTA *de casside buccula pendens*] Buccæ proprie sunt malæ, tumentes præsertim atque infla-

inflatæ: unde originem duxit vocabulum Italicum *bocca*. Horatius Satyra 1. lib. 1. v. 20.

Quid caussæ est, merito quin illis Juppiter ambas
Iratus buccas inflet? --- --- --- ---

Hinc locutio illa παροιμιακὴ, *effutire quicquid in buccam:* id est loqui temere, ac sine ulla meditatione, ut solent vulgares homines, & mulierculæ. Translata postea est hæc λέξις ad significandas partes duas galeæ seu cassidis, quæ militis malas tegunt. *Buccula* igitur *c* duplici, apud Juvenalem hoc loco, est parva bucca. nam *bucula* unicâ *c*, vitula est, seu vacca junior, quam δάμαλιν Græci appellant. v. 135. CURTUM *temone jugum*] Scilicet jugum currûs, cui temo detractus vel abscissus fuerit. Nam *curtum*, est deminutum, & quod integritatem suam amiserit. v. 135. VICTÆQUE *triremis Aplustre*] Si Pompejum Festum audimus, *Aplustria* sunt *navium ornamenta*, *quæ quia erant amplius quam essent necessaria usu, etiam amplustria dicebantur*. Legitur quoque *aplustrum*. Cicero in Arateis:

Navibus absumtis fluitantia quærere aplustra.

Ex quo Ciceronis versu cognoscimus, primam syllabam hujus vocis ancipitem esse. v. 136. SUMMO *tristis captivus in arcu*] Ni-

Nimirum triumphali: quos arcus in honorem imperatorum ſtruxerunt primum ex parietibus lateritiis, deinde ex quadrato lapide, poſtremo ex marmore. Supra coronidem horum arcuum ponebant tropæorum imagines lapideas, vel marmoreas, item ſimulacra captivorum facie dejectâ, & mærorem præferente. v. 137. HUMANIS *majora bonis creduntur*] Simillimum eſt illud Horatii Epiſtolà 17. libri 1.

Res gerere, & captos oſtendere civibus hoſtes
Attingit ſolium Jovis, & cæleſtia tentat.

v. 138. INDUPERATOR] Pro *imperator*. Eſt autem ἐπένθεσις ἀρχαϊκή. Hac voce Lucretium bis uſum invenio: primum lib. 4. v. 964.

Induperatores pugnare, ac prœlia obire.

tum libro 5. v. 1225.

--- --- --- *Vis violenti per mare venti*
Induperatorem claſſis ſuper æquora verrit.

Noſter uſurpavit etiam Satyra 4. v. 29.

Quales tunc epulas ipſum glutiſſe putemus
Induperatorem? --- --- --- ---

Juvenalis a Lucretio, Lucretius ab Ennio fortaſſe ſumſit. Ennianum ſiquidem loquendi genus apud poetas illorum temporum in pretio erat. v. 142. PATRIAM *tamen*

obruit olim Gloria paucorum] Nam viri magnanimi, qui fublimia folum animo concipiunt, rempublicam mifcere ac perturbare folent. Profecto Pompejus & Cæfar hanc magnitudinem animi a natura fortiti fuerant, ut mediocris fortunæ finibus contineri non poffent: & nihilominus rei Romanæ, in qua princeps uterque effe poftulabat, bellis civilibus excitandis, exitio fuerunt. v. 144. AD *quæ Difcutienda valent fterilis mala robora ficûs*] Ficum filveftrem, feu caprificum intelligit, quæ in ipfis marmoribus radices agere amat, eaque perrumpit. Martialis libro 10. Epigr. 2.

Marmora Meffalæ findit caprificus -- --

v. 147. EXPENDE *Hannibalem*] Nimirum, quod fupereft ex cadavere Hannibalis combufto, & in urna condito.

v. 147. QUOT *libras in duce fummo Invenies?*] Quafi diceret, Vix unus aut alter cinerum pugillus reliquus eft e corpore tanti ducis. Eodem prope pacto Cornelia matrona apud Propertium Elegia ultima libri 4. vitâ fcilicet functa:

En fum quod digitis quinque levâtur onus.

v. 148. AFRICA *Mauro Percuffa Oceano*] Fines Africæ poeta defignat, qui funt ad

Occi-

Occidentem & Orientem. Ultima enim Africæ regio ad Solis occasum Mauritania olim dicebatur, quam Oceanus alluebat, ab ea Maurus appellatus. v. 149. NILOQUE *admota tepenti*] Ad Solis ortum Cyrenaica, regio Africæ, Ægyptum attingebat; quam Nilus maximus fluvius mediam percurrit. Ægyptum porro, sunt qui Asiæ, sunt etiam qui Africæ partem faciant. Nilum Propertius quoque libro 2. Elegiar. *tepentem* vocavit, quod per calidam valde regionem fluat.

Atque utinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.

v. 150. AD *Æthiopum populos*] Æthiopes vocantur incolæ Æthiopiæ, quæ ultra Ægyptum & Libyam ad meridiem sita est. Ad eos usque protendebatur Carthaginiensium imperium. v. 150. ALIOSQUE *elephantos*] India & Africa elephantos generant; sed India majores, Africa minores. Elephantorum Indicorum, præter alios auctores, mentionem facit Terentius Eunuchi Actu 3. Sc. 1. *Unus..... elephantis quem Indicis præfecerat.* v. 151. ADDITUR *imperiis Hispania*] Hamilcar & Hasdrubal, duces Carthaginienses, primi armis infestis

aggressi sunt Hispaniam: postremo Hannibal ejus regionis potitus est. v. 151. PYRENÆUM *Transilit*] Saltus Pyrenæus, seu Pyrenæi, sunt juga montium excelsa, quæ Gallias ab Hispania dirimunt. v. 152. OPPOSUIT *natura Alpemque, nivemque*] Nimirum Alpes nivosas, seu nive oppletas. ἓν διὰ δυοῖν. Virgilius eodem pacto libro 2. Georg. v. 192. *Pateris libamus, & auro*. hoc est, *pateris aureis*. Porro ad hunc locum Juvenalis, fortasse respexit Franciscus Petrarcha, quum ita cecinit Ode 29.

Ben provvide Natura al nostro stato
Quando dell' Alpi schermo
Pose fra noi, e la Tedesca rabbia.

v. 153. DIDUCIT *scopulos*] *Diducere*, proprie est in diversa ducere, aliud ab alio vi adhibita separare. *Diducere in contrarias partes*, legitur apud Ciceronem lib. 2. de Inventione. v. 153. MONTEM *rumpit aceto*] Polybius, Græcus historicus gravissimus & diligentissimus, quum secundum bellum Punicum Romanorum describeret, hoc Hannibalis facinus silentio prætermisit; credo, quod fabulosum existimaret. Livius noster libro 21. ita narravit: *Quum cædendum esset saxum, arboribus circa immanibus*

de-

dejectis detruncatisque, struem ingentem lignorum faciunt, eamque, quum & vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt, ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, molliuntque amfractibus modicis clivos, ut non jumenta solum, sed elephanti etiam duci possent. Ignotus erat videlicet Hannibalis temporibus pulvis ille terribilis quem hodie *pyrium* vocamus, ex nitro, sulphure, carbone confectus, qui e tubo æneo vel ferreo ignis impetu emissus, mœnia & propugnacula oppidorum, solidas rupes durissimasque, & quæcumque obvia ingenti cum clade citissime perrumpit. v. 155. POENO *milite*] Carthaginiensi. Incolæ Carthaginis appellati sunt Pœni a Phœnicibus Asiæ populis, unde originem duxerant.

v. 156. MEDIA *vexillum pono Suburra*] Suburra vicus fuit, seu regio potius frequentissima urbis Romæ. Nonnulli sic vocatam censent, quod esset sub antiqua urbe.

v. 158. QUUM *Gætula ducem portaret bellua luscum*] Gætulia Africæ provincia, Syrtibus proxima: ejus incolæ Gætuli. Elephantos gignit, teste Plinio Historiæ Naturalis lib. 5. cap. 2. v. 158. DUCEM

luscum] Alterum oculum Hannibal amiserat dum Apenninum transiret: vel, ut alii tradunt, ob continentes vigilias, & palustre cælum, dum in Etruriam descenderet. *Luscus* est quem Græci dicunt μονόφθαλμον, aliqui Latinorum, voce hybrida, *monoculum*. v. 158. GÆTULA *bellua*] Ingentia & monstrosa animalia *belluæ* plerumque dicuntur. Hinc *belluosum*, Oceanum Britannicum vocat Horatius Ode 14. lib. 4. quod balænis, ceterisque monstris marinis ubique scateat. Sed elephanti præcipue vocantur hoc nomine. Terentius Eunucho Ac. 3. Sc. 1. *Unus ...... elephantis quem Indicis præfecerat. Is ubi molestus magis est, quæso, inquam, Strato, Eóne es ferox, quia habes imperium in belluas?* Cicero Epist. 1. lib. 7. *Extremus elephantorum dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla exstitit. quin etiam misericordia quædam consecuta est atque opinio ejusmodi, esse quamdam illi belluæ cum genere humano societatem*. Ovidius lib. 4. Tristium Elegia 6.

Quæque sui monitis obtemperat Inda magistri
Bellua, servitium tempore victa subit.

v. 160. IBI *magnus Mirandusque cliens sedet ad prætoria Regis*] Hannibal revoca-

tus

tus ab Italia in Africam, quam P. Scipio Africanus cum exercitu invaserat, & ab eo victus, ad Antiochum regem Syriæ confugit, eumque hostem Romanis fecit. Quo demum ab iisdem superato, ad Prusiam Bithyniæ regem concessit: unde Romam *legatione per T. Flaminium repetitus, ne Romanis traderetur, hausto quod sub anuli gemma habebat veneno, absumtus est*. Ita fere Sex. Aurelius Victor de Viris Illustribus.

v. 161. SEDET *ad prætoria Regis*] Prætorium appellabant regiam domum, vel imperatoriam, vel consularem. Nam, ut superius diximus, antiquissimis temporibus dux quilibet prætor dicebatur, quasi *præitor*, quod ceteris in exercitu præiret. Ejus etiam tentorium in castris, & locus tentorio proximus, prætorium vocatum fuit.

v. 162. BITHYNO *tyranno*] Bithynia fuit Asiæ regio celeberrima in ora Pontica.

v. 165. CANNARUM *vindex Anulus*] Dictum ἐμφατικῶς ϗ παθητικῶς. Nam venenum, quod Hannibal sub anuli gemma servabat, & postremo hausit, ne in potestatem hostium veniret, ultum quodammodo est ingentem cladem Romanorum, quam ii, contra Hannibalem pugnantes, & ab eo su-

ſuperati, acceperunt ad Cannas vicum Apuliæ. v. 166. I, DEMENS] Poeta inſultat Hannibalis temeritati, qui tantis laboribus, periculis, itineribus, victoriis inanem gloriam tantummodo ſit conſecutus, & nomen celebre apud pueros in ſcholis; qui ſcilicet Juvenalis ætate, Declamationum, ſive Suaſoriarum, quibus ingenium ſub rhetore exercebant, argumenta ex Hannibalis hiſtoria petere ſoliti erant. v. 166. I, DEMENS, *& ſævas curre per Alpes*] Propertius pariter lib. 2.

I nunc, & noctes diſce manere domi.

Illud quoque Virgilii non diſſimile Ecloga 1.

Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

v. 167. ET *declamatio fias*] Ita, fabulam, & hiſtoriam fieri. Perſius Satyra 5.

-- -- -- *cinis, & manes, & fabula fies.*

Propertius Elegia 15. libri 1.

Quarum nulla tuos potuit convertere mores,
Tu quoque uti fieres nobilis hiſtoria.

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis:
Æſtuat infelix, anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho:
Quum tamen a figulis munitam intraverit urbem,

Sar-

Sarcophago contentus erit. Mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula. Creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in hiſtoria: conſtratum claſſibus iiſdem,
Suppoſitumque rotis ſolidum mare: credimus, altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atque Eurum ſolitus ſævire flagellis
Barbarus, Æolio numquam hoc in carcere paſſos,
Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum?
Mitius id ſane, quod non & ſtigmate dignum
Credidit. huic quiſquam vellet ſervire deorum?
Sed qualis rediit? nempe una nave cruentis
Fluctibus, ac tardâ per denſa cadavera prorâ.
Has toties optata exegit gloria pœnas.

PARAPHRASIS.

Poſtquam poeta noſter Hannibalem Carthaginienſem propoſuit exemplum imperatoris adverſa fortuna uſi, atque a gloriæ culmine deturbati; Alexandrum Philippi Macedonis filium, a rerum geſtarum amplitudine Magnum appellatum, Xerxem item regem Perſarum potentiſſimum, eorumque mi-

miſerrimas vices conſiderare aggreditur; ut magis ac magis planum faciat, militarem gloriam egregiis ducibus ſæpius exitio eſſe. Hoc autem pacto verſus modo allati explicari poſſunt: „ Magnanimo adoleſcenti A-
„ lexandro, quem genuit Philippus rex
„ Macedonum Pellæ, in urbe videlicet prin-
„ cipe, unus orbis terrarum haud ſatis eſt:
„ tanta dominandi cupiditate incenſus ra-
„ pitur. Hæc rerum univerſitas miſero an-
„ guſta videtur, & modicis nimium finibus
„ circumſcripta; ut, icciirco, in ea con-
„ cluſus ſpiritum vix ducere poſſit, non ſe-
„ cus ac ſi Gyaram vel Seriphum, parvas
„ & aſperas inſulas, quo nocentes relega-
„ ri ſolent, exſul incoleret. Verum ſtatim
„ ac Babylonem ingreſſus fuerit, quam ur-
„ bem Semiramis coctili muro, figulorum
„ ope munivit; heros iſte magnanimus,
„ cui paullo ante mundus parvus fuerat,
„ urna ſepulcrali contentus erit; morietur
„ enim epoto veneno, in ætatis flore. Sa-
„ ne præter mortem, nihil aliud ita ma-
„ nifeſte declarat parvitatem, brevemque
„ menſuram corpuſculorum humanorum.
„ Fama percrebuit, Athonem Macedoniæ
„ montem a Perſarum exercitu, Xerxis du-

„ ctu & auspiciis, ita olim perfossum, ut „ navigiis pervius fieret: alia item por- „ tenta celebrantur, quotquot audacissimi & „ mendaces Græcorum historici commenti „ sunt, ac litteris tradiderunt. Easdem „ Persarum classes aggeribus congestis Hel- „ lespontum stravisse perhibent, rotasque „ curruum in ea continenti decurrisse quæ „ subitò ex mari facta fuerat. Credimus „ præterea, tam immenso exercitu Medo- „ rum cibum sumente, profundorum & „ uberrimorum fluminum aquas defecisse, „ haustas videlicet a sitienti multitudine; „ & reliquas illas nænias quas in poe- „ mate ampullarum pleno recitat Sostra- „ tus, ea corporis animique contentione, „ ut sudore totus madeat, præsertim cir- „ cum axillas. Sed quæso dic mihi; bar- „ barus ille rex, quo apparatu, quibus co- „ mitibus rediit in regnum suum, relicta „ Salamine Atheniensium insula, ad quam „ cladem accepit, atque a Themistocle su- „ peratus est? barbarus, inquam, ille rex, „ qui ventos ipsos, puta Corum & Eu- „ rum, quod pontem ab eo constructum „ dejecissent, cædi flagellis jusserat, id sup- „ plicium antea numquam expertos, neque

„ in

„ in carcere ventorum ſub Æolo rege : „ qui Neptuno ipſi terram tridente concu- „ tienti compedes injecerat: (clementer ſa- „ ne, atque ut manſuetum regem decebat: „ poterat enim cum illo ſævius agere, ei- „ demque fœda ſtigmata inurere, ſi in a- „ nimum induxiſſet. Huic porro tam ſtul- „ to regi aliquis deorum ſervitutem ſervi- „ re vellet ?) Sed rurſus abs te peto; „ qualis tandem in regnum rediit? Nimi- „ rum una piſcatoria ſcapha, per mare, „ ſuorum ſanguine decoloratum; cujus na- „ viculæ prora denſis cadaveribus impedie- „ batur, quominus feſtinare, & ulterius „ progredi poſſet. Vide quas pœnas a ty- „ rannis exegerit gloria illa quam toties „ cupidiſſime appetunt homines. „ Nunc ſingula per otium perpendamus.

COMMENTARIUS.

v. 168. UNUS *Pellæo juveni non ſufficit orbis*] Alexander Magnus, Philippi Macedoniæ regis filius, dominandi cupiditate inflammatus, quum audiviſſet Anaxarchum philoſophum diſputantem de infinitate naturæ, ac multitudine mundorum, lacrimatus

eſt,

est, si Plutarcho fidem habemus id narranti, & Valerio Maximo lib. 8. Memorabilium cap. 14. Quum vero amici fletûs caussam sciscitarentur, ita respondit: Nonne hoc miserabile ac fletu dignum est, si quum infiniti mundi sint, nos ne unius quidem tot laboribus, ærumnis, periculis imperium adepti sumus? adeo ex immoderata ambitione homines insaniunt. Porro inter fragmenta Petronii legitur versus huic Juvenalis versui quam simillimus:

Magnus in exemplo est, cui non suffecerat orbis.

v. 168. PELLÆO *juveni*] *Pellæum tyrannum* appellat Martialis lib. 9. Epigr. 44. Pella, maxima & illustris urbs Macedoniæ, munitissimo loco posita, cingebatur paludibus, quas efficiebant restagnantes lacus, Livio teste lib. 44. Historiarum. Propterea Macedonum reges imperii sedem eam sibi delegerunt. v. 169. ÆSTUAT *infelix*] Dictum εἰρωνικῶς. Miseria enim Alexandri voluntaria erat, & ultro suscepta. Eodem pacto poeta noster Satyra 7. ubi queritur de avaritia locupletum erga bonarum litterarum cultores:

Non habet infelix Numitor quod donet amico:
Quartillæ quod donet habet. nec defuit illi

Unde

Unde emeret multa pascendum carne leonem
Jam domitum: constat leviori bellua sumtu
Nimirum, & capiunt plus intestina poetæ.

v. 170. UT *Gyaræ clausus scopulis*] Gyara, sive Gyaros, quam aliqui etiam plurali numero efferunt, insula est exigua maris Ægæi ex altero Deli latere, immitis & aspera (ut scribit Cornelius Tacitus libro Annalium tertio) & sine cultu hominum. Quam ob solitudinem atque asperitatem, sontes a Romanis in eam relegabantur. Noster Satyra 1. v. 73.

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignũ,
Si vis esse aliquis. Probitas laudatur, & alget.

v. 170. PARVAQUE *Seripho*] In hanc quoque insulam, e Cycladibus unam, exsules mittebantur. Hanc Tacitus Annalium libro 4. *saxum Seriphium* appellat, in quo Cassius Severus, homo flagitiis & facinoribus coopertus, quum ei aqua & igni interdictum esset, misere consenuit.

v. 171. QUUM *tamen a figulis munitam intraverit urbem*] Semiramis Assyriorum regina, plusquam virilis animi femina, rebusque maximis gestis clarissima, Babylonem condidit, eique murum circumdedit e coctis lateribus: ad coquendos autem la-

teres

teres utimur opera figulorum. Videndi Herodotus, Diodorus Siculus, Justinus, Vitruvius, Q. Curtius. Poetæ quoque non semel meminerunt. Ovidius libro 4. Metamorph.

Pyramus & Thisbe, juvenũ pulcherrimus alter,
Altera quas Oriens habuit prælata puellis,
Contiguas habuere domos, ubi dicitur altam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.

Propertius libro Elegiarum 3.

Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
Ut solidum cocto tolleret aggere opus.

Martialis lib. 9. Epigr. 76.

Non silice duro, structilive cæmento,
Nec latere cocto, quo Semiramis longam
Babylona cinxit ---- ---- --- --

Lucanus autem lib. 6. v. 49. Pharsaliæ, materiam horum murorum *testam* vocat:

---- ---- ---- --- *fragili circumdata testâ*
Mœnia mirentur refugi Babylonia Parthi.

argilla siquidem igne cocta durescit in testam. Vasa quoque fictilia testæ dicuntur.

v. 172. SARCOPHAGO *contentus erit*] Alexander enim Babylone veneno sublatus est, quod ipsi Cassander potui obtulerat. Est autem σαρκοφάγος Græca vox, quæ urnam & capulum significat. Originem ducit

a σάρξ

a σὰρξ *caro*, & φάγομαι *comedo*, quoniam φάγεται τὴν σάρκα, *carnem comedit*, seu *vorat*; nempe cadaver hominis quod in urnam seu sepulcrum infertur.

v. 172. MORS *sola fatetur*, *Quantula sint hominum corpuscula*] *Fatetur*, pro *fateri cogit*. Mortuis nimirum hominibus breve sepulcrum satis est, quibus nonnumquam dum viverent, amplissimæ domus, urbes, provinciæ, regna, imperia, denique orbis ipse terrarum angustus videbatur. Eodem loquendi modo scripsit Virgilius lib. 7. Æneidos v. 280.

Absenti Æneæ currum, geminosque jugalis
Semine ab ætherio, spirantes naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos dædala Circe
Supposita de matre nothos furata creavit.

nempe caussa fuit ut crearentur, seu progignerentur: quod olim animadvertit Macrobius lib. 6. Saturn. cap. 6. v. 173. CREDITUR *olim Velificatus Athos*] Athos Macedoniæ mons, hodie *Monte Santo*; sublimis adeo, ut altior æstimetur ea regione aeris unde imbres cadunt, & in Myrrhinam usque oppidum insulæ Lesbi, sex & octoginta millibus passuum ab ora Macedoniæ distantis, umbram jaciat; si Solinum audimus

mus Polyhiſtoris cap. 17. Hunc montem Xerxes rex Perſarum, in Græciam expeditione ſuſcepta, qua continenti adhæret perfodit, tranſnavigavit, & freto navigabili pervium fecit, teſte Pomponio Mela lib. 2. de Situ Orbis cap. 2. Fabulam cenſet poeta noſter, quam cuderint Græci ſcriptores.

v. 174. ET *quicquid Græcia mendax Audet in hiſtoria*] Nemo vel mediocriter doctus ignorat, Cteſiam, Herodotum, Theopompum, Hecatæum, Dionyſium Mileſium, Hellanicum Mitylenæum, alios etiam Græcorum hiſtoricos, dubiæ plerumque fidei fuiſſe, rebuſque admirabilibus, & veritate alienis libros ſuos pluribus in locis referſiſſe. Videndus hac de re, præter ceteros, Jacobus Mazzonius, *della Difeſa di Dante* lib. 1. cap. 9. v. 175. CONSTRATUM *claſſibus iiſdem*, *Suppoſitumque rotis ſolidum mare*] Addunt iidem hiſtorici, fabuloſe ut putat Juvenalis, eumdem Xerxem quædam maria ſtraviſſe pontibus, & Abydum Aſiæ caſtellum cum Seſto Europæ oppidulo conjunxiſſe. Rotæ igitur curruum intelligendæ ſunt quæ per pontem tranſibant. *Mare*, *ſolidum* appellat, quod non ratibus amplius, at ſolido ponte ſuperſtructo trajiceretur.

v. 177. EPOTAQUE *flumina Medo Prandente*] Ingens ὑπερβολή, tantam fuiſſe militum Xerxis multitudinem, ut iis cibum ſumentibus & aquam bibentibus, flumina integra defecerint. *Medum* autem dixit, quod copiæ Xerxis conſtarent ex Medis & Perſis. v. 178. ET *madidis cantat quæ Soſtratus alis*] Nonnulli ſic explicant: Et alia quæ poeta Soſtratus, bene potus, & furore poetico incitatus, canere ſolet. *Madidus* videlicet ebrium aliquando ſignificat: *madere* autem, ebrietate correptum eſſe. Tibullus Eleg. 1. lib. 2.

Vina diem celebrent: non feſta luce madere
Eſt rubor, errantes & male ferre pedes.

Alæ porro fuerit ſpiritus poeticus, qui poetam agit, attollit, & vulgo hominum eximit. Vel cycnos reſpicit Juvenalis, quibus poetæ comparantur, immo in quos mutari dicuntur. Videnda Horatii Ode poſtrema libri ſecundi. Idem Ode 2. lib. 4. de Pindaro.

Multa Dircæum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus --- --- --- ---

Alii tamen interpretes, quorum ſententiæ ſubſcribo, *madidas alas* accipiunt pro axillis recitatorum ſudantibus. Nam *axillæ* dictæ

ſunt

sunt etiam *alæ;* quemadmodum efferebant *vexillum* & *velum*, *paxillus* & *palus*. Poetæ qui Romæ carmina sua in auditoriis recitabant, ob nimiam contentionem, & interdum etiam timorem, verecundiam, laudis cupiditatem, ceterosque affectus vehementes, sudare consueverant. Sudor autem, sub axillis, nimirum in angulo qui est inter latus & brachium, præcipue colligitur. Persius porro Satyra 3. v. 44. sudorem tribuit parentibus puerorum recitantium, quibus nimia lætitia eum exprimebat:

Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.

Ad hanc vero explicationem confirmandam pertinet locus Arriani libro 1. de Expeditione Alexandri. Ἐν τούτῳ, inquit, ἀγγέλλεται τὸ Ὀρφέως τοῦ Οἰάγρου τοῦ Θρᾳκὸς ἄγαλμα, τὸ ἐν Πιερίδι, ἱδρῶσαι ξυνεχῶς. καὶ ἄλλοι ἄλλα ἐπεθείαζον τῶν μαντέων· Ἀρίστανδρος δὲ, ἀνὴρ Τελμισσεὺς μάντις, θαῤῥεῖν ἐκέλευσεν Ἀλέξανδρον, δηλοῦσθαι γὰρ ὅτι ποιηταῖς ἐπῶν τε καὶ μελῶν, καὶ ὅσοι ἀμφὶ ᾠδὴν ἔχουσι, πολὺς πόνος ἔσαι ποιεῖν τε καὶ ᾄδειν Ἀλέξανδρον, καὶ τὰ Ἀλεξάνδρου ἔργα. *Per id tempus nuntiatum est, Orphei Oeagri*

filii statuam in Pieria continue sudasse. Varia fuit vatum de hoc prodigio sententia: Aristander vero Telmisseus, vates eximius, Alexandrum bono animo esse jubet. significari enim, cujusvis generis poetas magnopere laboraturos in Alexandro ejusque rebus gestis describendis atque decantandis. Hunc Sostratum, quem hoc loco Juvenalis commemorat, crediderim fuisse unum ex Græculis illis qui Hadriani temporibus Romam occupabant: ut & Codrum, cujus prolixam Theseidem suggillat poeta noster Satyra 1.

Vexatus toties rauci Theseide Codri.

nisi fortasse legendum sit *Cordi*, ut legit Scholiastes vetus: quod est cognomen hominis Romani. Fuit enim & Cremutius Cordus, historicus insigni libertate in scribendo; de quo Tacitus in Annalibus.

v. 179. ILLE *tamen, qualis rediit Salamine relicta*] Xerxes a Themistocle, fortissimo Atheniensium imperatore, navali prœlio victus ad angustias freti Salaminii, classe spoliatus, & immenso exercitu ab hostibus cæso, in patriam rediit cum ingenti dedecore. *Salamis* insula est e regione terræ Atticæ, de qua sæpe Athenienses pugnaverunt. Audiamus versus egregios Francisci

Pe-

Petrarchæ Odæ 5. ad hanc turpem Xerxis fugam pertinentes:

Pon mente al temerario ardir di Serse,
Che fece, per calcare i nostri liti,
Di nuovi ponti oltraggio alla marina:
E vedrai nella morte de' mariti
Tutte vestite a brun le donne Perse,
E tinto in rosso il mar di Salamina.

v. 180. IN *Corum atque Eurum solitus sævire flagellis Barbarus*] Obiter superbiam Xerxis irridet, stultam profecto, & regi barbaro convenientem. Qui scilicet hominum obsequio non contentus, imperium & potestatem in ventos, mare, flumina, Deos ipsos illis præsidentes, postremo universam rerum naturam, sibi sumebat. Herodotus lib. 7. Historiæ suæ narrat, ventos a Xerxe plagis inflictis vapulare jussos, quod pontem ab ipso constructum disjecissent. Similem insaniam insanivit Cyrus, magnus ille rex Persarum, qui quum gentibus pluribus perdomitis, Assyrios & Babyloniam peteret, ab impetu Gindis fluvii, secundæ post Euphratem magnitudinis, retardatus est. Unus etiam regiorum equorum, forma & candore præcellens, in ejus fluminis trajectu abreptus in præceps, & submersus, eo do-

lore animum regis affecit, ut is decerneret ulcisci amnem; contestatus, eum brevi tempore ita minutum iri, ut vel mulieribus vix genua tingentibus permeabilis relinqueretur. Porro quod minatus fuerat, perficere etiam voluit Cyrus; totoque anno, militum omnium operâ quos in exercitu habebat, fluvium illum per ingentes fossas concîdit deduxitque, atque in trecentos sexaginta alveos comminuit. Hoc insani regis facinus describunt luculente Seneca lib. 3. de Ira cap. 21. & Paullus Orosius, Christianus historicus, lib. 2. cap. 6. Quamobrem Tibullus in Panegyrico ad Messalam v. 141.

— — — — *rapidus Cyri dementia Gindes*.

Porro Corus, sive Caurus, ventus est inter Favonium & Septemtrionem, qui ab occasu æstivo & solstitiali spirat. Ἀργέστην Græci vocant, nos Itali *Ponente Maestro*. Eurus est ventus qui flat ab ortu verno, sive æquinoctiali. Eumdem Subsolanum etiam & ἀφηλιώτην vocant. v. 181. ÆOLIO *numquam hoc in carcere passos*] Hoc etiam false dictum & γελοίως. Notus est poetarum studiosis carcer Æolius, quo fingunt rabiem ventorum & violentiam coerceri, sub Æolo rege. Ait igitur poeta, ventos num-

numquam ab Æolo cædi flagellis juſſos : quod tamen a Xerxe pati coacti fuerunt.

v. 182. IPSUM *compedibus qui vinxerat Ennoſigæum*] Ab Homero, & reliquis Græcis poetis Neptunus maris Deus, ἐννοσίγαιος appellari ſolet, quod terram tridente concutiat. Origo vocis ἐνόω, *concutio*, unde ἔνοσις, *motio*, *concuſſio*, *terræmotus*: & γαῖα, *terra*. Quum igitur tempeſtates pontem ingentem quem ſuper Helleſpontum Xerxes conſtrui juſſerat, diſrupiſſent ac diſjeciſſent, rex iratus juſſit trecenta Helleſponto verbera infligi, & in ejus pelagus par compedum demitti. v. 183. MITIUS *id ſane, quod non & ſtigmate dignum Credidit*] Acerbus poetæ jocus in Xerxem; quaſi diceret: Levi admodum ſupplicio Neptunus, ſive Helleſpontus, luit peccatum quo regem barbarum offenderat. Præclare actum eſt cum illo, quod non & ſtigma inuſtum eſt fronti ejus. hoc enim fieri conſueverat ſervis nequam & fugitivis, quum in manum dominorum recidiſſent: unde ſtigmatiæ appellabantur. Herodotus nihilominus tradit, ſe audiviſſe, miſſos a rege qui ſtigmata Helleſponto inurerent: certe mandaviſſe Xerxem ut colaphos eidem incuterent, barbara

verba pronuntiantes: *O aqua amara, dominus hanc tibi irrogat pœnam, quod eum læſeris, qui de te nihil male meritus eſt.*

v. 184. HUIC *quiſquam vellet ſervire Deorum?*] Noluiſſent ſcilicet Dii, etiam e plebe, *minuti*, quod ait Plautus, & *patellarii*, tam ſuperbo domino, qualis erat Xerxes, ſervitutem ſervire, ne ob minima delicta graves pœnas dare cogerentur, puta flagellis corrigi, & compedibus vinciri, tamquam ultimæ ſortis mancipia. Hic tamen locus mihi videtur ſubobſcurus, & nullius venuſtatis; cujuſmodi occurrunt paſſim apud Juvenalem. v. 186. TARDA *per denſa cadavera prorâ*] Corpora enim Perſarum occiſorum, quibus mare oppletum erat, impediebant curſum ſcaphæ piſcatoriæ, qua Xerxes fugiens vehebatur, ne ulterius ea progredi poſſet.

Da ſpatium vitæ, multos da, Juppiter, annos:
Hoc recto vultu ſolum hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis, & quantis longa ſenectus
Plena malis! deformem, & tætrũ ante omnia vultũ,
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendenteſque genas, & tales aſpice rugas,

Qua-

Quales, umbriferos ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Plurima sunt juvenum discrimina: pulchrior ille
Hoc, atque ille alio: multum hic robustior illo:
Una senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam læve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi.
Usque adeo gravis uxori, gnatisque, sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.
Non eadem vini, atque cibi torpente palato
Gaudia: nam coitûs jam longa oblivio: vel si
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus,
Et, quamvis tota palpetur nocte, jacebit.
Anne aliquid sperare potest hæc inguinis ægri
Canities? quid, quod merito suspecta libido est.
Quæ Venerem affectat sine viribus? aspice partis
Nunc damnũ alterius. nam quæ cantante voluptas,
Sit licet eximius, citharœdo, sive Seleuco,
Et quibus aurata mos est fulgere lacerna?
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.

Hacte-

PARAPHRASIS.

Hactenus varia hominum vota satyrice perstrinxit Juvenalis, & quam stulta ac perniciosa sint, exemplis & argumentis ostendere conatus est. Nunc desiderium illorum reprehendendum suscipit qui longam vitam ad ultimam usque senectutem a Jove & Diis ceteris cupidissime sibi precarentur. Describit autem accurate senum incommoda & calamitates, ut id quoque votum stultitia laborare, homines intelligant. Versuum modo allatorum interpretationem afferamus. „ Quum Jovem adis, *inquit poe-* „ *ta*, hoc vel in primis facie ad cælum „ erecta, & pallore perfusa votum facere „ soles: Bone Juppiter, da mihi amplum „ vitæ spatium: concede mihi multos an- „ nos. Verum o quantis, & quam conti- „ nuis malis urgetur senectus ista prolixa „ quam petis! Ante omnia velim conside- „ res vultum illum tristem & severum „ quem senes præferunt, deformem omni- „ no, & a pristina facie immutatum; la- „ xam, duram, & scabram pellem pro cu- „ te illa delicata & levi quæ propria ju-

„ ve-

„ venum eſt: malas præterea labentes, & „ hujuſmodi rugas in corpore, quales in „ umbroſis & late patentibus Tabracæ, Li„ bycæ regionis, ſaltibus contrahit ſimia „ quæ jam catulos peperit, ut eæ ru„ gæ in malis adultam ætatem præferen„ tibus, quaſi cælo artificis inciſæ & ſcal„ ptæ videantur. Enimvero juvenes, for„ ma, lineamentis, robore, inter ſe non „ parum differunt. Ex his enim alius pul„ chritudine excellit: alius corporis viri„ bus. Senem vero a ſene vix interno„ ſcas: adeo ſunt omnes ſimili facie, & „ pæne una. Cogita, quæſo, tremulam vo„ cem, membrorum vigorem imminutum „ ac depravatum, caput depile, & calvi„ tio ipſo politum; nares mucco madentes, „ ut ſenex repueraſcere videatur; gingivas „ exarmatas, nempe dentibus carentes: qui„ bus gingivis tamen miſer panem frange„ re & mandere cogitur. Quæ turpia in„ commoda & fœda, illum cariſſimæ uxo„ ri, liberis ſuis, & ſibi ipſi moleſtum ef„ ficiunt; adeo ut neque Coſſus captator, „ qui ſpe hereditatis aut legati ſenem o„ mnibus officiis colit, eum ſatis ferre poſ„ ſit: ſed jam faſtidio & nauſea vincatur.

„ Gu-

„ Guſtatus ipſe corruptus eſt, palato hebe„ ſcente: neque cibi potuſque eadem volu„ ptas percipitur quæ olim percipiebatur: „ res enim Veneris miſſas facio, quas jam„ diu ſenex dedidicit, ac longa deſuetudine „ oblitus eſt. Vix in ſenili corpore, viri „ veſtigia invenias: quicquid eſt, beta eſt, „ adjecto ramice, nimirum hernia, mor„ bo illi ætati familiari. Fruſtra etiam fo„ menta & irritamenta adhibeas, quibus „ excitetur virile robur. Nulla jam ſu„ pereſt ſpes liberorum, neque adeo ma„ ritalis muneris obeundi: marcent enim „ ea membra quibus marito eſt opus: ne „ dicam, turpioris cujuſdam libidinis ſu„ ſpicionem in ſenem cadere, ſi quando, „ viribus defectus, juvenili tamen cupidi„ tate ſe abripi ſinat. Nunc ſenſûs alte„ rius detrimentum conſideremus, auditûs „ videlicet. Quænam delectatio mulcere „ ſenem poteſt, fidibus canente vel exi„ mio citharœdo, ſeu tibiam inflante Seleu„ co, optimo & quantivis pretii tibici„ ne, ſive aliis hujuſmodi artificibus, qui „ frequenti theatro prodire in publicum ſo„ lent inaurata lacerna induti, ſpecimen „ artis ſuæ edituri? Nihil intereſt ſane,

„ utrum

„ utrum in orcheſtra ſedeat, loco ſcenæ „ proximo, an vero in cuneo aliquo re„ motiore: adeo enim ejus aures obſurdue„ runt, ut vix cornicines ac tubicines, qui „ cornibus ac tubis concentum efficiunt, „ exaudire poſſit. Immo vocem tollere ne„ ceſſe eſt, ut intelligat, puero nuntiante, „ quis amicus aut cliens advenerit ad eum „ ſalutandum, vel quota hora ſit. „ Atque hoc ſibi volunt verſus modo allati. Nunc ſingula conſideremus.

COMMENTARIUS.

v. 188. DA *ſpatium vitæ*] Spatium proprie διάστημα eſt, intervallum, curriculum, locus ubi curſu certatur. Inſigne Ciceronis dictum eſt in libello de Senectute: *Nec vero velim quaſi decurſo ſpatio ad carceres a calce revocari*. Quæ autem proprie pertinent ad viam & curſum, nemo ignorat, translate dici de vita atque ætate. Sic Ovidius *tempus* appellavit *ſpatioſum*.

v. 188. MULTOS *da*, *Juppiter*, *annos*] Hoc tamen votum longe tolerabilius quam illud libertini hominis neſcio cujus, apud Horatium, Sermonum lib. 2. Sat. 3. v. 281.

Li.

Libertinus erat, qui circum compita ſiccus
Lautis mane ſenex manibus currebat, &, Unum
(Quid? tam magnum? addens) unum me
ſurpite morti,
Dîs etenim facile eſt, orabat; ſanus utriſque
Auribus atque oculis. mentem, niſi litigioſus,
Exciperet dominus, quum venderet --- -- --

Hic ſcilicet nimio vitæ amore inſanus effectus, Deos orabat, non ut eorum ope ad ſeram ſenectutem pervenire poſſet; quod multi precari ſolebant; ſed ut ſe unum communi omnium mortalitati eximerent. Diis enim hoc fore facillimum dicebat, modo voluiſſent. v. 189. HOC *recto vultu. . . . . optas*] Qui precabantur, faciem ad cælum tollebant, tamquam Deorum ſedem. Illud Ovidii celeberrimum eſt ex libro 1. Metamorph.

Pronaque quum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

v. 189. PALLIDUS *optas*] Pallore ſcilicet contracto vel ob vehementiam affectionis, vel ob jejunium, quo ſe macerabant ſuperſtitioſi, ut Deorum gratiam ſibi conciliarent. v. 190. LONGA *ſenectus*] Ætates reliquæ certis finibus continentur: ſola ſene-

senectus præscripto modo & mensura caret. Potest enim homo diutissime senex esse, Hujusmodi τυμβογέροντας Tibullus Elegia 8. lib. 1. *veteres* vocavit:

In veteres esto dura, puella, senes.

v. 191. DEFORMEM, *& tætrum ante omnia vultum, Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem*] In hac repetitione vocis *deformem* elegans est ἀναφορά. v. 192. PRO *cute pellem*] Cutem junioribus tribuere videtur poeta noster; senibus pellem, quasi rem duriorem & ficciorem, immo ferarum corio simillimam. v. 194. UMBRIFEROS *ubi pandit Tabraca saltus*] Numidiæ fuit regio veteris Africæ. In hujus ora maritima prope Tuscam fluvium Tabraca sita erat, oppidum civium Romanorum, teste Plinio H. N. lib. 5. cap. 3. Θάβρακα dicitur Ptolemæo in Geographia, litterâ nimirum adspiratâ. Circum hanc urbem, si poetam nostrum audimus, saltus erant arboribus densi, sive nemora simiarum plena.

v. 195. IN *vetula scalpit jam mater simia bucca*] Quod ætatis est ac naturæ, satyrice Juvenalis accommodat simiæ ipsi: tamquam ipsa rugas aniles in facie scalperet, quas ob longam ætatem contrahebat.

v. 198.

v. 198. UNA *senum facies. cum voce trementia membra*, &c.] Senectutis incommoda describere incipit poeta: quod quidem ita graphice atque accurate præstat, ut ex hac descriptione novum argumentum sumi posse censeam, Juvenalem nostrum temporibus demum Hadriani Cæsaris, non antea, Satyris conscribendis, maxime postremis, operam dedisse, quum grandis admodum natu esset: quod in libro de Satyra & Satyricis poetis satis ostendimus. Apparet enim, valde iratum senectuti fuisse, cujus miserias in se ipse experiebatur quum hæc litteris mandaret. Hoc autem, quod sciam, priorum Interpretum animadvertit nemo.

v. 199. MADIDIQUE *infantia nasi*] Corpora senum excrementis abundant, quemadmodum & puerorum infantium.

v. 200. FRANGENDUS *misero gingiva panis inermi*] Lucretii versus memorabilis est in hanc rem lib. 5. de R. N. v. 1282.

Arma antiqua, manus, ungues, dentesque fuerunt.

Gingivæ sunt dentium thecæ, sicuti vagina gladii. Quum igitur dentes ex iis excussi fuerint, vel sua sponte ceciderint, quod senibus contingit, exarmatæ sivæ inermes di-

ci

ci possunt . v. 202. UT *captatori moveat fastidia Cosso*] Avarum quemdam hominem obiter perstringit poeta , qui seni locupleti , quamquam liberos habenti , omnia præstabat officia , ut secundus heres ab eo scriberetur , vel saltem pingue aliquod legatum ejus testamento caperet . Hi homines a scriptoribus antiquis urbane vultures appellantur . L. Seneca Epistola 95. *Amico ægro aliquis assidet : probamus . at hoc si hereditatis caussa facit , vultur est , cadaver exspectat* . Martialis quoque lib. 6. Epigr. 62.

Amisit pater unicum Silanus :
Cessas mittere munera , Oppiane ?
Heu crudele nefas , malæque Parcæ !
Cujus vulturis hoc erit cadaver ?

Orbos enim senes , nimirum qui filios numquam sustulissent , vel susceptos amisissent , præcipue colebant . Videndus etiam Catullus in pulcherrima illa , & vere aurea ad Manlium Elegia . De artibus heredipetarum plura leguntur apud Horatium Sermonum lib. 2. Satyra 5. ubi Tiresias vates Ulixem docet , quomodo ingentes divitias parare facile possit . v. 205. JACET *exiguus cum ramice nervus*] Ramex , alio nomine hernia , tumor est scroti , ob lapsum

inteſtinorum: quo morbo plurimi ſenum laborare ſolent; in iis enim tunicæ laxantur, & nullo negotio diſrumpuntur. De ramicis curatione legendus Cornelius Celſus Medicinæ lib. 7. cap. 22. Ramices plurali numero dicebantur pulmones; quod Plauti & M. Varronis teſtimonio ſatis conſtat.

v. 208. Quid, *quod merito ſuſpecta libido eſt Quæ Venerem affectat ſine viribus?*] Effœtum ſenem atque invalidum, qui tamen urticas libidinis adhuc ſentiret, atque inter mulieres libenter verſaretur, irrumatorem eſſe antiqui ſuſpicabantur. Quod peſſimum & nefandum libidinis genus vires corporis non adeo requirit. Hujuſmodi ſenibus res Veneris fruſtra tentantibus, & medio in opere deficientibus illud Virgilii accommodari poteſt e libro 3. Georgicon v. 97. de equo propter nimiam ætatem ignavo:

Frigidus in Venerem ſenior, fruſtraque laborem
Ingratum trahit; &, ſi quando ad prælia ventum eſt,
Ut quondam in ſtipulis magnus ſine viribus ignis,
Incaſſum furit — — — — —

v. 110. Nam *quæ cantante voluptas, Sit*

licet

licet eximius, citharœdo?] Enimvero ſurdi ſenes nullam voluptatem percipere poſſunt ex arte citharœdorum, quantumvis excellentium. Antiquis temporibus citharœdi, ſeu fidicines, cantabant ſimul, & citharam digitis vel plectro pulſabant. qua de re memini me copioſius dicere his annis proxime elapſis, quum Ariſtotelis de Re Poetica librum e ſuperiore loco, in Gymnaſio Patavino interpretarer. Tibullus Elegia 4. lib. 3. de Apolline citharœdo:

Sed poſtquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc dulci triſtia verba modo.

v. 211. SIVE *Seleuco*] Hunc, tibicinem optimum fuiſſe ferunt, ætate Juvenalis.

v. 212. ET *quibus aurata mos eſt fulgere lacerna*] Scenici artifices, in quibus citharœdi præcipui erant, id curabant diligenter, ut non auribus tantummodo populi, verum etiam oculis ſe probarent. iccirco prodibant in conſpectum civium pexi, culti, & egregie veſtiti. Scriptor Rhetoricorum ad Herennium lib. 4. tribuit citharœdo pallam inauratam, chlamydem purpuream coloribus variis intextam, coronam auream, magnis fulgentibus gemmis illuminatam. Ovidius lib. 2. Faſtorum v. 103.

ita describit Arionem citharœdum præstantissimum:

Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumtâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram. capit ille coronam;
Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.

Idem poeta lib. 11. Metamorph. hunc ornatum tribuit Apollini citharam pulsanti:

Ille, caput flavum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturatâ murice pallâ:
Instructamque fidem gemmis & dentibus Indis
Sustinet a læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit. tum stamina docto
Pollice sollicitat --- ---- ----- ------

Videndus est L. Appulejus lib. 1 Floridorum, ubi statuam Bathylli describit. Citharœdorum cultum imitabantur etiam tibicines; nam ad illorum exemplum syrma sumebant. Horatius in Epistola ad Pisones v. 214.

Sic priscæ motumque & luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem,

Ceterum lacerna fuit genus vestis, quod veteres reliquis vestibus superinduebant: mi-

lites

lites præſertim ac viatores. v. 213. QUID *refert, magni ſedeat qua parte theatri?*] Senatores, atque alii viri principes, in theatro ex orcheſtra ſpectabant, quæ locus erat ſcenæ proximus: ubi ſaltabatur. Nomen ipſum loci ductum eſt ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως, *a ſaltatione*. Porro Equites Romani ſpectabant in quatuordecim gradibus, quos ipſis lex Roſcia tribuerat. Plebs in cuneis ſuperioribus, & a ſcena remotioribus. Mulieres denique in cavea ſuprema. Imperator cum liberis, & virginibus Veſtalibus podium occupabat; qui locus erat in orcheſtra media. verum in amphitheatro potius quam in theatro, niſi fallor. v. 214. QUI *vix cornicines exaudiet, atque tubarum Concentus!*] *Concentum*, qui nihil aliud eſt quam plurium cantus eodem tempore, uſurpat Juvenalis pro tubarum clangore. Ita ſuperius cantum, tibiæ tribuerat: *Nam quæ cantante voluptas, Sit licet eximius, citharœdo, ſive Seleuco?* Porro Seleucus, ut dicebamus, fuit eximius tibicen: ſiquidem citharœdi proprie cantabant: tibicines non item. qui ſi cantare dicantur, de ſonitu cantus accipiendus eſt. Etiam Horatius parem κατάχρησιν adhibuit in Epiſtola ad Piſones v. 414.

- - - - - - Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.

Nec non Propertius lib. 4. Elegia postrema:

Sic mœstæ cecinere tubæ, dum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

Et quoddam Cæsaris Augusti Epigramma ita concluditur: *Signa canant.* v. 216. QUEM *dicat venisse puer, quot nuntiet boras.*] *Horæ* apud veteres *nuntiari* & *denuntiari* dicebantur. Tibullus Elegia 5. lib. 3.

At mihi Persephone nigram denuntiat horam.

Pueri autem, seu famuli, hoc munere fungi solebant. Præter Juvenalem; Plinii senioris, Martialis, & aliorum testimonia de hujusmodi consuetudine afferri possunt. Plinius lib. 7. Nat. Hist. cap. 53. *Cn. Bæbius Tamphilus, prætura & ipse functus, obiit quum a puero quæsisset horas.* Martialis lib. 8. Epigr. 67. *Horas quinque puer nondum tibi nuntiat.* Quibus addendus D. Augustinus lib. 2. de Ordine cap. 6. *Puer de domo, cui dederamus id negotii, cucurrit ad nos, & horam prandii esse nuntiavit.* Inspiciebant vero servi solarium, ut scirent quota hora esset. *Solarium* appellabant id quod hodie vocamus *horologium solare*. Id in pariete delineatur, indicatque horas ministerio

rio

rio stili & umbræ. Stilus iste Græca lingua dicitur γνώμων: unde γνωμονικὴ, ars parandi solaria. His autem solis veteres utebantur: nondum scilicet excogitata fuerant alia horologia, quæ ex rotis dentatis & modiolis construuntur, horasque denuntiant indice scripto, & sonitu æris campani.

Præterea minimus gelido jam in corpore sanguis
Febre calet sola: circumsilit agmine facto
Morborum omne genus: quorum si nomina quæras,
Promtius expediam, quot amaverit Hippia mœchos,
Quot Themison ægros autumno occiderit uno,
Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus
Pupillos. Quot longa viros exsorbeat uno
Maura die, quot discipulos inclinet Hamillus,
Percurram citius, quot villas possideat nunc
Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat.
Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis, ambos
Perdidit ille oculos, & luscis invidet. hujus
Pallida labra cibum accipiunt digitis alienis.
Ipse ad conspectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia: quæ nec

Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici,
Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos
Quos genuit, quos eduxit. nam codice ſævo
Heredes vetat eſſe ſuos. bona tota feruntur
Ad Phialen: tantum artificis valet halitus oris,
Quod ſteterat multis in carcere fornicis annis.
Ut vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis, & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut, renovata
Semper clade domus, multis in luctibus, inque
Perpetuo mærore, & nigra veſte ſeneſcant.

PARAPHRASIS.

Pergit poeta noſter in deſcribendis incommodis quæ ultimam ſenectutem comitari ſolent; ut magis magiſque oſtendat, ſtulte facere qui eam eximii beneficii loco a Diis immortalibus ſibi precentur. Hæc autem eſt ſententia verſuum antecedentium: „ Neque „ prætermittendum eſt, in corpore ſenili, „ ab igne vitali propemodum deſtituto, exi„ guum ſanguinem ſupereſſe, qui ſolo ca„ lore febrili incaleſcit. Convolat undique „ in ſenem genus omne morborum, tam-

„ quam

„ quam exercitu coacto: quorum si nomi-
„ na scifcitari a me volueris, malus no-
„ menclator tibi videbor. Citius enim re-
„ censere possim, quot adulteros Hippia
„ suis illecebris detinuerit; quot ægrotos
„ Themison, indoctus ille medicus, uno
„ tantum autumno interfecerit; quot pro-
„ vinciales, socios populi Romani, Basilus
„ fortunis everterit; quot pupillos fidei suæ
„ commendatos, Hirrus, infidelis tutor,
„ fraude circumvenerit. Citius enumeran-
„ do percurram, quot viris Maura illa
„ procera meretrix, die uno potestatem sui
„ corporis faciat; quot adolescentulos in lu-
„ dum ejus litterarium venientes Hamillus
„ corrumpat; quot villas & prædia hoc
„ tempore possideat Crispinus, locuples li-
„ bertus; cujus operâ me uti solitum me-
„ mini dum juvenis essem. forficibus enim
„ cum sonitu mihi barbam tondebat. Ci-
„ tius, inquam, hæc omnia recensuerim,
„ quam morbos innumerabiles quibuscum se-
„ nes conflictantur. Huic enim humeri do-
„ lent, huic lumbi: hic femore invalidus
„ est: hic ambobus oculis captus, ut jam
„ invideat luscis, qui saltem unum reliquum
„ habent. Ecce tibi alius, quem chiragra

„ pro-

„ prohibet ne manibus uti possit: & iccir„ co alieno ministerio indiget, ut labris „ pallentibus cibum admoveat. Ipse, quum „ cœnæ tempus advenit, mensâ positâ, ni„ hil aliud facere potest, quam os aperire, „ & sic hiare, quemadmodum pullus hi„ rundinis, ad quem pleno rostro mater „ volat, ut eum pascat; ipsa, ob filii ca„ ritatem, cibo se abstinens. Verum hæc „ de quibus adhuc diximus, leviora sane „ sunt ac tolerabilia: pertinent enim ad „ corpus, partem hominis ignobiliorem. „ Dementia, maximum malorum profecto „ est, quæ in ipsam mentis arcem invadit. „ Ob hanc scilicet fit, ut misero seni me„ moria excidant nomina servorum; ut a„ micum quem proxima nocte convivam „ adhibuit, luce clara de facie noscere non „ possit: neque interdum liberos, quos ge„ nuit, quos educavit. Nam, crudeli sane „ exemplo, testamento exheredes jubet es„ se: eorumque loco meretricem Phialen „ inducit, ipsique bona sua omnia relin„ quit. tantam vim habet turpe ac nefan„ dum obsequium a muliere præstitum im„ puro seni ac libidinoso; a muliere, in„ quam, vilissima, quæ olim sub obscuro

„ for-

„ fornice, & carceri quam simillimo, cuilibet se venalem præbuerat. Sed velim
„ tibi concedere, senem aliquem esse posse
„ qui ad ultimum vitæ diem prudentiam
„ & intelligentiam retineat. Quid? num
„ propterea felicem dicemus? Est aliud malorum genus, cui sit obnoxius. Cogetur
„ nimirum carissimis liberis funus facere,
„ rogum uxoris aspicere, quam ille plus oculis suis amabat, vel dilecti fratris: vel
„ sororum ad unam omnium cadavera cremari videbit, ac cineres reliquos in urnam condi. Hanc scilicet pœnam, &
„ quasi mulctam, Dii longævis indixerunt,
„ ut domum idemtidem funestam mortibus
„ suorum videre debeant, atque ita nullum
„ plorandi & dolendi finem faciant, & lugubria semel sumta numquam deponant. „
Jam singula relegamus.

COMMENTARIUS.

v. 217. MINIMUS *gelido jam in corpore sanguis*] Corpora senum sicca sunt & exsucca, copiâ sanguinis atque utilium humorum in dies decrescente. Propterea senex tardus est, piger, &, quod ait Horatius in Epistola ad Pisones v. 171.

-- -- res

---- res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, pavidusque futuri.
Ovidius porro lib. 13. Metamorph: v. 409.
Exiguumque senis Priami Jovis ara cruorem
Combiberat - - - - -

Idem poeta lib. 7. ejus operis v. 315. etiam vetulo arieti, a Medea jugulato minimum sanguinem tribuit: *Exiguo maculavit sanguine ferrum.* v. 218. CIRCUMSILIT *agmine facto Morborum omne genus*] Catullus de passere Lesbiæ: *Sed circumsiliens modo huc modo illuc, Ad solam dominam usque pipilabat.* v. 218. AGMINE *facto*] Virgilius lib. 1. Æneidos v. 82. -- --- *Venti, velut agmine facto, Qua data porta, ruunt.*

v. 220. PROMTIUS *expediam*] Expedire, interdum est absolvere, atque ad finem perducere quod susceperis & proposueris. Ita *brevi expedire*, dixit M. Tullius in libello de Senectute, pro *paucis eloqui.* v. 220. HIPPIA] Hæc, matrona fuit, meretrici tamen similior, uxor cujusdam senatoris; quæ, marito posthabito, cum Sergio gladiatore in Ægyptum profugit. De hac Satyricus noster Satyra 6. Animadvertenda hic est παρέκβασις poetæ, qui aliud agens, de via paullisper discedit, ut plures nequam homines ac mulieres

per-

perstringat. ἔμβλημα σατυρικὸν, haud inscite quis vocaverit. Nimis tamen aperte id facit, & longe minus venuste quam Horatius, cui hoc in genere præcipue, nemo par dici potest. v. 221. QUOT *Themison ægros autumno occiderit uno*] Hunc Themisonem, archiatrum celebrem, seu medicum principem, fuisse ferunt Juvenalis temporibus; qui tamen fama sua fretus, utrum ægri curæ ipsius commissi convalescerent, an morerentur, nihil pensi habebat. Medico enim soli hominem impune occidere licet. Vel est nomen fictum a poeta pro quolibet medico. Nam Themison in primis medicinæ auctoribus numeratur. L. Seneca Epistola 95. *Itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis*. Meminerunt etiam Cornelius Celsus lib. 4. cap. 15. Plinius Hist. Nat. lib. 28. cap. 1. Cœlius Aurelianus Tardarum Passionum lib. 4. cap. 6. Galenus denique Methodi medendi lib. 12. cap. 1. v. 222. QUOT *circumscripserit Hirrus Pupillos*] Deceperit, ac fraudaverit, improbus tutor. *Circumscribere*, hoc loco, est dolo malo atque insidiis circumvenire; sicuti feræ indagine, laqueis, ac retibus clauduntur, ne qua supersit ad effu-

effugiendum via. Hinc nomen verbale *circumscriptor*, quo usus est noster Satyra 15. v. 135. in re plane simili:

— — — — Pupillum ad jura vocantem
Circumscriptorem, cujus manantia fletu
Ora puellares faciunt incerta capilli.

v. 223. QUOT *longa viros exsorbeat uno Maura die*] Eumdem loquendi modum adhibuit Juvenalis Satyra 6. v. 129. quum flagitia Messalinæ, uxoris Claudii Cæsaris, describeret: sed paullo aliter idem expressit Horatius lib. 2. Sermonum Sat. 7. v. 49.

v. 224. QUOT *discipulos inclinet Hamillus*] Notat ludimagistrum aliquem pullipremonem, qui discipulorum ætatis flore abuteretur. v. 226. QUO *tondente gravis juveni mihi barba sonabat*] Crispinus enim, quem perstringit, quum primum ex Ægypto Romam commigrasset, tonstrinam in urbe exercebat: postea locuples factus, vile ministerium abjecit. Hic versus porro nostri poetæ παρῳδία est illius Virgiliani ex Ecloga 1.

Candidior postquam tondenti barba cadebat.
Ait vero *tondente*, non *radente*, propterea quod juniores ad certam usque ætatem radi non solebant: verum iis barbula illa tenerior,

rior, primum succrescens, forficibus attondebatur. quam *gravem* appellat poeta, molestam scilicet, præsertim comtulo adolescenti & delicato. *Sonabat*, inquit, quia forfices, dum inter tondendum clauduntur, sonitum edere solent. v. 227. *Hic coxa debilis*] Ischiacum, vel ischiadicum intellige, cui caput ossis femoris luxatum est. C. Mæcenas in quibusdam versiculis, a L. Seneca, si bene memini, recitatis:

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa;
Vita dum superest, bene est.

Debilem, proprie vocant Latini qui membro aliquo uti non potest, ob infirmitatem. Hunc nostrates appellant *storpio*. *Debilitare* porro est quod iidem dicunt *storpiare*.

v. 230. DIDUCERE *rictum*] Os adaperire, labium superius & dentes ab inferiori dimovere ac sejungere. Ceterum, *rictus* proprie dicitur de feris; quem Anacreon Ode. 2. in leonibus vocavit χάσμ' ὀδόντων, *hiatum dentium*. v. 236. NAM *codice sævo Heredes vetat esse suos*] Codici, sive tabulis testamenti, liberos a paterna hereditate per summam injuriam excludentibus, sævitiam seu crudelitatem tribuit; quæ ipsi testa-

testatori tribuenda est. Eodem fere pacto Propertius Elegia 22. lib. 3.

Me miserum! his aliquis rationem scribit avari,
Et ponit duras inter ephemeridas.

v. 238. TANTUM *artificis valet halitus oris*] Fellatricem, hanc Phialen fuisse significat, quæ turpissimo illo genere obsequii senem perditum ac flagitiosum adeo sibi conciliaverit, ut ab eo tandem scripta sit heres omnium bonorum, testamento.

v. 239. QUOD *steterat multis in carcere fornicis annis*] Verbum simplex pro composito. *steterat* αὐτὶ τῷ *prostiterat*. Meretrices dictæ sunt *prostibula*, & *prostare*; quod ante fornicem, stabulum, seu lupanar, starent, libidini advenientium expositæ.

v. 240. DUCENDA *tamen sunt Funera gnatorum*] Proprie dicebant *funus ducere*. Erat enim quædam funeris pompa, quæ a mortui domo usque ad urbis portas lente, & cum dignitate incedebat: extra quas cadavera rogo imponebantur comburenda, & combusta sepeliebantur. Ait igitur poeta, senes illos paucissimos quibus in senectute ultima sapere contigit, hoc supplicio mulctari loco dementiæ, ut mortes carissimorum lugeant: nam si desiperent, hujusmodi cala-

lami-

lamitatibus non admodum commoverentur.

v. 245. ET *nigra veſte ſeneſcant*] Veſtes haſce nigras *lugubria* vocabant: ſubaudi *veſtimenta*. Propertius lib. 4. Elegia poſtrema:

Et bene habet: numquam mater lugubria ſumſi:

Ovidius lib. 11. Metamorph. v. *669*. in fabula Ceycis mariti Halcyones:

Surge, age: da lacrimas; lugubriaque indue: nec me
Indeploratum ſub inania Tartara mitte.

Rex Pylius, magno ſi quidquam credis Homero,
Exemplum vitæ fuit a cornice ſecundæ.
Felix nimirum, qui tot per ſecula mortem
Diſtulit, atque ſuos jam dextrâ computat annos,
Quique novum toties muſtum bibit. oro, parumper
Attendas, quantum de legibus ipſe queratur
Fatorum, & nimio de ſtamine, quum videt acris
Antilochi barbam ardentem: quum quærit ab omni,
Quiſquis adeſt ſocius, cur hæc in tempora duret,
Quod facinus dignũ tam longo admiſerit ævo.
Hæc eadem Peleus, raptum quum luget Achillem,
Atque alius, cui fas Ithacum lugere natantem.
Incolumi Troja Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci, magnis ſolennibus, Hectore funus

Portante, ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrimas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſâque Polyxena pallâ:
Si foret exſtinctus diverſo tempore, quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam, ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus poſitâ tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram ſummi Jovis, ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue, & miſerabile collum
Præbet, ab ingrato jam faſtiditus aratro.
Exitus ille utcumque hominis: ſed torva canino
Latravit rictu, quæ poſt hunc vixerat, uxor.
Feſtino ad noſtros, & regem tranſeo Ponti,
Et Crœſum, quem vox juſti facunda Solonis
Reſpicere ad longæ juſſit ſpatia ultima vitæ.
Exſilium, & carcer, Minturnarumque paludes,
Et mendicatus victa Carthagine panis,
Hinc cauſſas habuere. quid illo cive tuliſſet
Natura in terris, quid Roma beatius umquam,
Si circumducto captivorum agmine, & omni
Bellorum pompa, animam exhalaſſet opimam,
Quum de Teutonico vellet deſcendere curru?
Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: ſed multæ urbes, & publica vota
Vicerunt. igitur fortuna ipſius, & urbis
Servatum victo caput abſtulit. hoc cruciatu

Len-

Lentulus, hac pœna caruit; ceciditque Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.

PARAPHRASIS.

Exemplis Græcorum, Barbarorum, & Romanorum, a consuetudine sua non discedens, poeta noster id quod proposuerat confirmare conatur, longam videlicet senectutem hominibus quum incommoda plurima, tum atroces calamitates plerumque afferre. Sic vero inductionem orditur. „ Nestor, qui Pyli regnavit; si Homero poetarum præstantissimo ulla in re fidem habemus; exemplum fuit vitæ longissimæ secundum ætatem cornicum. Ob id, felicem eum dixeris, quod mortem per plura secula differre potuerit, & annos suos non jam læva manu, sed dextra computare, tot autumnis recurrentibus, & novum mustum potui offerentibus. Verum, o quisquis Nestorem felicem judicas, animadverte quæso, & considera paullum, quantopere is conqueratur de legibus fatorum, & de Parcis nimio stamine vitam ipsius producentibus, quum

„ videt Antilochi filii cariſſimi, ſtrenui a-
„ doleſcentis, & jam plenam pubertatem
„ adepti, rogo impoſitum cadaver combu-
„ ri: quum, inquam, voce miſerabili ſci-
„ ſcitatur a ſingulis commilitonibus, quo
„ numine lævo in hæc tempora ſit dila-
„ tus; quod crimen admiſerit, cui tam
„ prolixe vivendi pœna deberetur. Simil-
„ limæ ſunt Pelei querelæ, Achillem fi-
„ lium, ſibi ereptum in ævi flore, lugen-
„ tis. Eædem fere Laërtis, ad eum vitæ
„ finem provecti, ut deplorare poſſit Uli-
„ xem Ithacenſem, quem genuit, abſentem
„ a patria & conſpectu cariſſimorum, æru-
„ mnis & periculis terra marique jactatum.
„ Finge tibi, Priamum Trojæ regem non
„ adeo conſenuiſſe, verum vita functum
„ fuiſſe ætate adhuc florente, quo tempore
„ nondum Paris claſſem conſtruxerat auda-
„ ciæ ſuæ miniſtram, qua ſcilicet Spartam
„ profectus eſt ad Helenam conjugi Mene-
„ lao ſurripiendam. Nonne Priamus ad
„ umbram Aſſaraci progenitoris ſui viſum
„ deſcendiſſet, Troja ſtante atque incolumi,
„ exſequiis ampliſſimis ac tanto rege dignis
„ honeſtatus, Hectore, & reliquis Hecto-
„ ris fratribus lecto funereo cervicem ſup-

„ po-

„ ponentibus, inter lacrimas mulierum Tro-
„ janarum, quibus, præficæ in morem,
„ planctu præcineret Cassandra filia, pari-
„ terque Polyxena scisso peplo, ut fieri a-
„ mat in luctu? Infelix vidit regnum to-
„ tum suum, & patriam funditus eversa:
„ vidit Asiam, quanta est, incendio & ar-
„ mis Græcorum dirutam & excisam. Tunc
„ ætate illa qua homines militiæ inepti e-
„ vadunt, loricam tamen trementibus mem-
„ bris induere, atque ensem stringere coa-
„ ctus fuit: tiaram vero, capitis ornamen-
„ tum, quo Phrygum reges utebantur, cum
„ galea commutare. Denique in terram
„ procidit ante aram supremi Jovis, occi-
„ sus a Pyrrho Neoptolemo, non secus ac
„ bos reiculus & senio confectus, qui,
„ propterea quod ab ingrato aratore conte-
„ mnitur jam & fastiditur, macram cervi-
„ cem & miserabilem herili cultro ferien-
„ dam præbet. Sed Priamus atrocem qui-
„ dem vitæ finem sortitus est, humanum
„ tamen: quid Hecuba ejus uxor? Nempe
„ quod superstes marito fuerit, eumque a-
„ nus nimium vivax ætate superaverit, in
„ canem conversa est, & more canum la-
„ tratum edidit. Propero ad exempla Ro-

 „ mano-

„ manorum : & icciro indictum prætereo „ Mithridatem, regem illum Ponti celeber- „ rimum ; indictum Crœsum, quem, ob „ potentiam, divitias, & eventuum pro- „ speritatem, sibi placentem, Solon Athe- „ niensis, vir eloquentia & justitia præ- „ stans, dicto memorabili castigavit: jussit „ enim respicere vitæ quantumvis prolixæ „ diem extremam : quum interdum, quæ „ consequuntur in vita, antecedentibus non „ respondeant. Ut igitur a Romana histo- „ ria petamus exempla: Marius ille Arpi- „ nas, ex milite gregario, propter virtu- „ tem, exercitûs imperator, & septies con- „ sul ; quam rem aliam, præter longam „ senectutem, caussam potiorem habuit „ commutatæ fortunæ ? Hinc factum est, „ ut exsularet, ut in carcerem truderetur, „ e paludibus & arundineto Minturnen- „ sium, in quibus delituerat, a Syllanis ex- „ tractus : postremo, ut in Africam dela- „ tus, quam provinciam pacaverat, stipem „ ac victum quotidianum in ruderibus Car- „ thaginis mendicaret. Quem, rogo, bea- „ tiorem hominem natura umquam protu- „ lisset, quem civem Roma vidisset huic „ Mario felicitate præferendum ; si post-

„ quam

„ quam triumphi pompam egerat, ac per „ celeberrimas Urbis vias captivorum agmina circumduxerat, & quicquid solent „ duces hostium victores Quiritibus ostenderat, eo temporis articulo animam efflavisset victoriis florentem, & spoliis opimam, quum de curru illo descendere „ vellet in quo de Cimbris ac Teutonibus „ triumphaverat? Capua, vel Neapolis urbs „ Campaniæ Magno illi Pompejo febres „ creaverat, non sine quadam providentia; quas ipse optare debuisset, ut morte præmatura imminentes calamitates effugere posset. Verumtamen vota a multis civitatibus pro salute viri summi publice suscepta, pervicerunt, Diis exoratis, „ ne moreretur. Atque ita fortuna ipsius „ adversa, & urbis Romæ, caput illud venerabile a morbo servatum abstulit optimo imperatori, quum a Cæsare in campis Pharsalicis victus fuisset, ac in manus Achillæ & Photini, satellitum Ptolemæi Ægypti regis, incidisset. Hoc nimirum supplicio dux ille inclytus affectus interiit, quod effugerunt Lentulus „ Sura, & Cethegus, qui conjuraverant in „ rempublicam; tametsi enim morte pœ-

„ nas dederint, jussu consulis M. Tullii „ Ciceronis, integri nihilominus cecide„ runt, hoc est capite non amputato: & „ ipse L. Catilina, dux conjurationis, quum „ pugnaret fortissime, multis quidem vul„ neribus confossus occubuit, non tamen „ capite ab humeris avulso, & cadavere „ mutilato, ut infelix Pompejus. „ Hactenus allatos versus interpretati sumus: nunc singula quæ in his continentur animadversione digna, perlustrabimus.

COMMENTARIUS.

v. 246. REX *Pylius*] Tres in Peloponneso Pyli fuerunt, Eliaca, Triphyliaca, Messeniaca. Singulæ autem alumno Nestore gloriabantur. Ceterum Strabo libro 8. Geographiæ, vero simillimum existimat, Pylum ubi regnavit Nestor, Triphyliacam fuisse; hæc enim sola Pylos circa fluvium Alpheum sita erat. Ex Homero autem id colligit Strabo, qui prædia Nestoris & possessiones ad utramque ripam Alphei, in Iliade, collocavit.

v. 246. MAGNO *si quidquam credis Homero*] Homerus enim de immodica Nestoris ætate multa prædicat. Magnum appellat

lat Homerum Juvenalis, fama nimirum ac meritis; quem Fabius Quinctilianus dicere non dubitavit, humani ingenii modum excessisse. v. 247. EXEMPLUM *vitæ fuit a cornice secundæ*] Solis cornicibus vivendi spatio concessit: reliquos homines longe superavit. Cornicem, crediderunt veteres, novem secula hominis vivere, sive octingentos & sexaginta quatuor annos; nam longissimam hominis ætatem sex & nonaginta annorum statuebant. Id testatur Ausonius Eidyllio XVIII. quod inscribitur De ætatibus animalium:

Ter binos deciesque novem super exit in annos,
Justa senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix.

Neque aliter idem poeta in Gripho ternarii numeri. Propterea, decrepitas & capulares anus cornices urbane appellabant. Scriptor Carminis in Hortorum Deum:

Cornix, & caries, vetusque bustum,
Turbâ putrida facta seculorum.

v. 248. FELIX *nimirum, qui tot per secula mortem Distulit*] Opinio est per manus tradita, Nestorem tria secula, seu trecentos annos vixisse. Non defuerunt tamen qui scriberent, nonaginta natum an-

nos

nos demum obiisse. seculum enim pro spatio centum annorum non semper accipitur, sed nonnumquam etiam pro γενεᾷ, nempe pro illo temporis intervallo quod novam hominum generationem adducit: annis videlicet triginta. Propterea Lucretius non semel usurpat *seculum* pro genere seu stirpe animalium. Sic libro 1. de Rerum Natura, ad Venerem:

Efficis ut cupide generatim secla propagent.

Ita *hominum secla*, *mortalia secla*, *scriptorum*, *ferarum secla*, alibi dixit. v. 249. ATQUE *suos jam dextrâ computat annos*] Variis gestibus sinistræ manus, & multiplici digitorum flexu notabant numeros antiqui usque ad centenarium: deinceps manu dextera significabant centena & millena. Quod liquet vel ex D. Augustino Serm. 175. novissimæ editionis: *Nonaginta enim & novem*, inquit, *in sinistra numerantur: unum adde*, *ad dexteram transitur*. Nestor igitur, quod centum annorum ætatem jam prætergressus fuisset, dexteram adhibebat ad annos suos dinumerandos. Plinius Hist. Nat. lib. 34. cap. 7. statuam Jani describit, *digitis ita figuratis*, *ut trecentorum sexaginta quinque dierum notâ*, *per significationem anni*, *temporis*,

&

& ævi, se Deum indicaret. Quem locum Plinii affert Alexander ab Alexandro Genialium Dierum lib. 1. cap. 14. eumque interpretari & illustrare conatur. Vide Fridericum Taubmannum ad Epidicum Plauti, 1. 1. 50. Camillus porro Silvestrius Rhodiginus in luculentis Annotationibus ad hanc Satyram nostri poetæ, de hac veterum consuetudine scribentes laudat Rhabanum Abbatem Fuldensem libro 1. de Computo num. *6*. quod opus divulgavit Stephanus Baluzius Miscellaneorum lib. 1. Cœlium Rhodiginum lib. 23. Antiquarum Lectionum cap. 11. & 12. Joannem Bonifacium in Arte Nutuum, parte 2. cap. 5. Antonium Nebrissensem in Quinquagena cap. 16. denique Pierium Valerianum in Hieroglyphicis; qui figuris etiam singulos numeros indicavit, digitorum gesticulatione exprimi solitos.

v. 250. QUIQUE *novum toties mustum bibit*] περίστασις hæc ex earum est genere quas poetæ Satyrici notare ac persequi solent: verum paullo frigidior. v. 251. QUANTUM *de legibus ipse queratur Fatorum*] Leges & severitatem fatorum, quibus ne Juppiter quidem obsistere posset, veteres philosophi & poetæ sæpius commemorant: Homerus

merus præcipue. v. 252. QUUM *videt acris Antilochi barbam ardentem*] Antilochus Neſtoris filius fuit; quod notum ex hiſtoria fabuloſa; ſtrenuus adoleſcens, & probus. Eum pater ipſe laudat apud Homerum libro 3. Odyſſeæ v. 111.

Ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱὸς ἅμα κρατερὸς ἠδ' ἀμύμων,
Ἀντίλοχος, περὶ μὲν θείειν ταχὺς, ἠδὲ μαχητής.

Illic meus dilectus filius (jacet), *ſimul fortis & inculpatus*,
Antilochus, admodum currendo velox, atque pugnator.

Obiit porro in ætatis flore, a Memnone occiſus filio Tithoni & Auroræ, qui Trojanis adverſus Græcos auxilio venerat; ut ſcribit auctor ὑποβολιμαῖος, antiquus tamen, Dictys Cretenſis lib. 4. de Bello Trojano, & Pindarus in Pythiis. Neque defuerunt qui falſo traderent, ab Hectore interfectum: quorum opinioni ſuffragari videtur Ovidius Epiſtola Penelopes:

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus noſtri cauſſa timoris erat.

Poeta vero Aquinas quum ait σκωπτικῶς, *Antilochi barbam ardentem*, ſignificat non obſcure, juvenem illum fortiſſimum, quum in acie

acie cecidiſſet, rogo impoſitum jam adultum, & illa ætate qua hominibus incipit barba ſuccreſcere. v. 253. QUUM *quæxit ab omni, Quiſquis adeſt ſocius, cur hæc in tempora duret*] Locus pæne par eſt apud Propertium lib. 2. Elegiarum:

Neſtoris eſt viſus poſt tria ſecla cinis.
Si tam longævæ minuiſſet fata ſenectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
Non ille Antilochi vidiſſet corpus humati;
Diceret aut, O Mors, cur mihi ſera venis?

v. 255. QUOD *facinus dignum tam longo admiſerit ævo*] Neſtor enim prolixam adeo vitam pœnam ſibi a Diis inflictam cenſebat, potius quam beneficium: & ideo cum amicis quærebat, quid tandem peccaviſſet; quo crimine ſupplicium tam acerbum commeritus fuiſſet. v. 256. HÆC *eadem Peleus, raptum quum luget Achillem*] Simillimæ ſunt querelæ Pelei querelis Neſtoris, de nimia videlicet ſenectute, qua factum ſit ut intereſſe debuerit exſequiis Achillis filii, morte immatura prærepti. Peleus Æacides, Theſſalorum princeps, Achillem ſuſcepit ex Thetide maris Dea Nerei filia, quam ipſi Juppiter uxorem dederat. Achilles porro, Græcorum fortiſſimus, e vita

exceſ-

excessit valde juvenis, a Paride exceptus insidiis, & in talo sagittâ vulneratus, quum, ei spe nuptiarum Polyxenæ regiæ virginis objecta, venisset ad templum Apollinis. *Rapi* vero dicuntur quæ ante diem pereunt. Ita Propertius lib. 3. Elegia 5.

Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?

v. 257. ATQUE *alius, cui fas Ithacum lugere natantem?*] Laertem significat, maritum Anticleæ, qui quum ad ultimam senectutem pervenisset, Ulixem filium peregrinantem, ærumnis & periculis obnoxium, diu flevit ac desideravit. Consulendus Homerus lib. 24. Odysseæ. *Ithacus* dicitur Ulixes, quia regnavit in Ithaca, parva & aspera insula maris Ionii. Ait vero poeta noster, *fas* fuisse Laerti lugere Ulixem natantem: nimirum ipsi licuisse, ob longam ætatem: nam id sane facere non potuisset, si junior mortuus esset. Minus placent qui explicant: *Cui fas;* quem decet, cui convenit. Nam id sane friget, atque proposito alienum est. v. 258. PRIAMUS *venisset ad umbras Assaraci*] Inclyti viri morte obita credebantur ad umbras progenitorum suorum descendere. Porro Tros Trojæ rex genuit Assaracum & Ilum, Ilus Laomedon-

medontem, Laomedon Priamum; ut recte hoc loco Joannes Britannicus. *Assaraci domum* vocat Virgilius in Æneide familiam regum Trojanorum; ex qua Æneas, & Romani proceres. Ita Horatius Carminum libro 4. Ode 7. scribens ad Torquatum, Romanum hominem nobilissimum, & mortis mentione facta, commemorat umbras ducum & regum qui rem Romanam vel condiderunt, vel auxerunt:

Nos ubi decidimus
Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus,
Pulvis & umbra sumus.

v. 259. MAGNIS *solennibus*] Solennia funeris intelligenda, quæ splendida sane & magnifica Priamo regi facta fuissent, si e vita migrasset stante ac florente Troja.

v. 259. HECTORE *funus Portante*] Hectore Trojanorum fortissimo, patri superstite, atque, ut pium filium decuisset, feretro humerum supponente quo Priami cadaver ad sepulturam efferebatur. Solebant enim regum corpora a viris principibus in funere portari: ut & hodie nonnumquam. *Funus* hoc loco pro cadavere ipso usurpatur.

v. 260. ET *reliquis fratrum cervicibus*] Multi enim erant Hectoris fratres, quos Pria-

Priamus non ex Hecuba tantum conjuge, verum & ex variis concubinis genuerat. Virgilius Æneidos lib. 2. v. 501. de eodem Priamo:

Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipſe ſacraverat ignes.
Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum.

Euripides propterea in Troadibus vocat Priamum πεντήκοντα ἀροτῆρα τέκνων, *quinquaginta filiorum ſeminatorem*, ut animadvertit Ludovicus de la Cerda. v. 261. UT *primos edere planctus Caſſandra inciperet*] *Planctus* Latinis auctoribus brachiorum ictus proprie ſunt, quibus præficæ mulieres, in funere, pectus & latera ſibi percutiebant. Eſt autem verbale nomen, a verbo *plangere* derivatum. *Primos* autem dixit, notans præficarum conſuetudinem, quæ pretio conducebantur ab iis qui curabant funera, ut cantum lugubrem præcinerent; quem etiam leſſum & næniam appellabant. Horatius in Epiſt. ad Piſones v. 431.

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo --

Hoc autem loco, Juvenalis dicit, Caſſandram virginem, vatem illam celeberrimam,

ſed

ſed a Trojanis numquam creditam, in funere Priami patris vice præficæ futuram fuiſſe. v. 262. SCISSAQUE *Polyxena pallâ*] Palla veſtis erat matronarum & virginum. Veſtes autem ſcindere in luctu, maximi doloris argumentum fuit, præcipue apud Orientis populos. Polyxena, Priami & Hecubæ filia, deſponſa fuerat Achilli, & ad ejus ſepulcrum poſtea mactata, ut Græci, Trojâ everſâ, feliciter in patriam redire poſſent. v. 264. COEPERAT *audaces Paris ædificare carinas*] Tribuit navibus quod eſt nautarum & navigantium. *Carina*, κυρίως, eſt infima trabs navis, & quaſi fundamentum, cui trabes minores aptantur, & inſeruntur, tamquam coſtæ aliquæ. Sed κατὰ συνεκδοχὴν uſurpatur ſæpius a poetis pro tota navi. Phereclus autem quidam ναυπηγὸς Paridi claſſem ædificavit, qua navigaret in Peloponneſum ad rapiendam Helenam, uxorem Menelai Spartæ regis. Paris ipſe in Epiſtola ad Helenam apud Ovidium v. 21. ita de hiſce navibus:

Hac duce Sigæo dubias a litore feci
Longa Phereclêâ per freta puppe vias.

Ubi tamen Nicolaus Heinſius, vir de ſcriptis Ovidii præclare meritus, legendum con-

jicit ex vestigiis veterum librorum, *Phalacreâ*, nempe *Idæâ*. Unus enim ex quatuor verticibus Idæ montis Φαλάκραι dicebatur; quod testatur Stephanus περὶ πόλεων.

v. 265. LONGA *dies igitur quid contulit?*] *Longa dies* pro *longum tempus*. Tibullus pariter lib. 1. Elegia 4.

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.

v. 265. OMNIA *vidit Eversa, & flammis Asiam, ferroque cadentem*] Respicere videtur poeta noster ad celebres Ennii versus ex Andromacha Tragœdia, quos recitat Cicero lib. 3. Tuscul. Quæst. & in Oratione pro Sextio. Andromacham Ennius ita loquentem induxerat, uti suspicatur Hieronymus Columna, vir doctissimus, ad ejus Poetæ Fragmenta: *O pater, o patria, o Priami domus, Septum altisono cardine templum: Vidi ego te adstante ope barbarica, Tectis cælatis, laqueatis, Auro, ebore instructum magnifice. Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari, Jovis aram sanguine turpari.*

v. 266. ET *flammis Asiam, ferroque cadentem*] Virgilius quoque libro 2. Æneidos v. 556. Priamum appellat *superbum Regnatorem Asiæ*; non quod toti Asiæ imperaret;

ret;

ret; ejus enim ditio erant Phrygia & Mygdonia: ſed quod inter Aſiaticos reges præcipuus eſſet atque opulentiſſimus. Vel eſt metaplaſmus poeticus, ad Priami potentiam exaggerandam, & magnificentius exprimendam. v. 267. POSITA *tulit arma tiarâ*] Hecuba ipſa apud Virgilium modo memoratum, lib. 2. Æneidos v. 518. Priamum conjugem, quod ſenex capularis arma cepiſſet, ita increpat:

Ipſum autem ſumtis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit, Quæ mens tam dira, miſerrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget ---- ---- ---- ---- ----

Inferius vero v. 544. imbecillitatem & languorem ejuſdem Priami hoc pacto ante oculos ponit divinus poeta:

Sic fatus ſenior, telumque imbelle ſine ictu
Conjecit: rauco quod protenus ære repulſum,
Et ſummo clypei nequicquam umbone pependit.

Hoc etiam loco Juvenalis, velim animadvertant ſtudioſi juvenes ἐπίθετον σατυρικὸν & γελάσιμον: profecto enim ridicula res eſt *miles tremulus*. v. 267. POSITA *tulit arma tiarâ*] Depoſito enim Phrygio capitis tegumento, quod tiaram vocabant, ſumſe-

rat Priamus caſſidem, ſeu galeam. Phrygiæ tiaræ mentio apud noſtrum Satyra *6.* v. 515. ubi de Archigallo, ſeu principe ſacerdotum Cybeles magnæ Deæ:

------*Cui rauca cohors, cui tympana cedunt*
Plebeja, & Phrygiâ veſtitur bucca tiarâ.

ad quem locum animadvertit Grangæus, doctus interpres, tiaram, aliam fuiſſe regum, aliam ſacerdotum. Regum tiara recta erat, & apicem habebat: ſacerdotum, carebat acumine, & *cidaris* proprio nomine appellabatur. Servant adhuc Venetiis antiquam ſtatuam & pulcherrimam Phrygii Ganymedis ab aquila rapti, cui tiara capiti impoſita. Hoc tegumentum, infulæ ſeu galero ſimile fuit; quo etiam reges Perſarum utebantur, teſte, præter ceteros, Plutarcho περὶ φιλαδελφίας. Virgilius lib. 7. Æneid. v. 247. hoc vocabulum effert maſculo genere:

Hoc Priami geſtamen erat, quum jura vocatis
More daret populis; ſceptrumque, ſacerque tiaras.

v. 268. ET *ruit ante aram ſummi Jovis*] Quo ſe receperat ſenex miſerrimus, ab Hecuba uxore admonitus, tamquam in tutiſſimum aſylum & perfugium. v. 268. UT *vetulus bos*] Priamum regem ſenio confectum,

a Neo-

a Neoptolemo seu Pyrrho Achillis filio mactatum, comparat Juvenalis vetulo bovi, quem ob multam ætatem rustico labori jam ineptum herus jugulari jubeat. Egregia sane comparatio, & ἐναργής. Venit in mentem verborum Electræ apud Sophoclem, lugentis Agamemnonem patrem, Tragœdia cognomine v. 97. Μήτηρ δ' ἡ 'μὴ χὼ κοινολεχὴς Αἴγισθος, ὅπως δρῦν ὑλοτόμοι, Σχίζουσι κάρα φονίῳ πελέκει. h. e. *Sed mater mea, & consors lecti Ægisthus, ut quercum solent lignorum sectores, Ita caput ipsius dissecuerunt cruenta securi.* Ubi Scholiastes vetus apposite: σφόδρα ἐμπαθὴς ὁ λόγος. *vehementer affecta oratio.* v. 269. QUI *domini cultris tenue & miserabile collum Præbet*] *Tenue* dicit, quia diuturno jugo detritum; & præterea senio extenuatum. Propertius lib. 4. Eleg. 3. *Diceris & macie vultum tenuasse -- -- --*

v. 270. AB *ingrato jam fastiditus aratro*] Nempe ab ingrato aratore, cui tamdiu servivit glæbis evertendis, & sulcis ducendis. Hæc autem verba olere mihi videntur Pythagoræorum in pecudes omnes, præsertim vero bubulum genus, mansuetudinem: abstinebant enim Pythagoræi ἀπὸ τῆς τῶν ἐμψύχων φονῆς, *a cæde animatorum.* Pulchre Ovi-

dius lib. 15. Metamorph. v. 120. verbis Pythagoræ ipsius:

Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curui demto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere Deos sceleri: numenque supernum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci.

Porro bos vetulus a Juvenale descriptus, mactatur ad esum, non ad sacrificium. Nam Deorum honori victimas tantum pingues & selectas jugulabant. Ovidius loco paullo ante memorato, v. 130.

Victima labe carens, & præstantissima formâ
(Nam placuisse nocet) vittis præsignis & auro
Sistitur ante aras -- --- ---- ----- ------

v. 271. EXITUS *ille utcumque hominis*] Hactenus miseriam Priami descripsit: nunc Hecubam illius conjugem marito miseriorem fuisse ostendit. Nam Priamus, quamquam infelicem, humanum saltem exitum vitæ sortitus est: Hecuba vero, postquam Poly-

dorum

dorum filium a Polymeftore Thraciæ rege, cui fervandus & educandus a parentibus commiffus fuerat, proditum & occifum cognoviffet, in furorem acta, impio regi oculos eruit, ac tandem infelix anus, rabida canis effecta eft, ut narrant fabulæ.

v. 271. TORVA *canino Latravit rictu*] *Torva*, h. e. torvis & obliquis oculis, cujufmodi eft afpectus rabiofarum canum.

v. 272. QUÆ *poft hunc vixerat, uxor*] Quafi diceret, Priamum quidem Hecuba ætate fuperavit, ipfique fuperftes fuit: verumtamen ærumnis & calamitatibus eumdem anteceffit. v. 273. FESTINO *ad noftros, & Regem tranfeo Ponti*] Propero, inquit Juvenalis, ad exempla fenum infelicium petita ex noftris, nempe Romanis, hiftoriis: & icciirco Mithridatem & Crœfum prætereo, barbaros reges; qui tamen & ipfi, quam fit fortuna inftabilis & varia, facile oftendere poffunt. Eodem fere pacto loquitur Livius in Prologo Hiftoriarum ab U. C. *Legentium plerifque haud dubito quin primæ origines, proximaque originibus minus præbitura voluptatis fint; feftinantibus ad hæc nova, quibus jampridem prævalentis populi vires fe ipfæ conficiunt.* v. 273. RE-

GEM *transeo Ponti*] Ampla regio minoris Asiæ, ab Haly flumine ad Colchos usque porrecta, super Pontum Euxinum sita (hodie *Mar Nero*) ab ipso nomen acceperat, ut & ipsa Pontus diceretur. Plinius & Ptolemæus hanc regionem cum Cappadocia conjungunt: sed Strabo, scriptor accuratus, rectius separavit. Profecto enim regnum quod Mithridates in Ponto possedit, & aliud quod Ariarathes in Cappadocia, diversa regna fuerunt: ac naturæ ipsius quidem judicio atque argumento; quæ jugis montium ingentibus, Tauro parallelis, utrumque disclusit. Ponticum porro Mithridatis regnum angustius primùm fuit, deinde paullatim, etiam ultra Ponti fines, magis magisque auctum & amplificatum. De regione Pontica videndus Christophorus Cellarius, vir doctissimus, Geographiæ Antiquæ lib. 3. cap. 8. Ceterum Mithridates, magno & excelso animo rex, annos quadraginta cum Romanis, hostis acerbissimus, bellum gessit: sed tandem, *per defectionem civium, Pharnacisque filii scelere præventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit*. verba sunt Flori lib. 3. Historiæ Romanæ cap. 5. qui multa de Mithridatis potentia, & adversa demum fortu-

fortuna in medium affert. Confuli etiam poteft Appianus Alexandrinus de Bello Mithridatico, & Juftinus in libris Hiftoriarum Trogi. v. 274. ET *Crœfum*] Crœfus, Lydiæ rex potentiffimus, thefauros ingentes ultra fidem ac modum poffidebat. Quamobrem fe omnium omnino regum fortunas longe anteire exiftimabat. Tandem a Cyro Perfarum rege prœlio fuperatus, auro fpoliatus & regno, cataftæ poftremum igne fuccenfæ impofitus. Reliqua Herodotus accurate perfequitur. v. 274. QUEM *vox jufti facunda Solonis, Refpicere ad longæ juffit fpatia ultima vitæ*] Solon, celeberrimus Athenis legislator, quem in feptem orbis terrarum fapientibus Græci numerarunt, quum Sardis ad Crœfum profectus effet, regi fuas opes & magnificentiam oftentanti, ipfumque interroganti, quem hominum beatiffimum judicaret; memorabile illud refpondit: Ante ultimum vitæ diem neminem beatum dici oportere. quam Solonis vocem Crœfus memoria repetivit quum in eo effet ut combureretur, exclamavitque: Solonem fibi vera dixiffe. De Crœfo, præter Herodotum, Plinius libro 7. Hiftor. Nat. cap. 40. v. 275. RESPICERE *ad*

longæ

longe jussit spatia ultima vitæ] Quæ olim futura sunt, a cordatis & prudentibus *respici* dicuntur. Contra, stulti, & rerum præsentium fiducia subnixi, nullam futurorum rationem habere solent. Virgilius de Cleopatra lib. 8. Æneidos v. *696.*

Regina in mediis patrio vocat agmina sistro:
Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.

Mortem scilicet futuram, & miserrimam quidem, haud providebat. Traditur enim Cleopatra, quum Antonius amator ipsius ab Augusto victus fuisset, aspidibus brachio admotis defecisse, ne a victore in triumphum duceretur. v. *276.* Exsilium, *& carcer*] C. Marii Arpinatis, Romanarum copiarum imperatoris fortissimi, vicem dolere incipit poeta noster. Hic enim humili genere natus, ob militarem virtutem, ex gregario milite dux evasit summus, & septem deinceps consulatus adeptus est. Hunc victoria de Cimbris, barbaris populis & ferocibus, exitio Romani imperii a Septemtrione imminentibus, præcipue nobilitavit. Sed quum bellis civilibus, adversus factionem Sullæ susceptis, attritus jam esset, ac felicis adversarii equites fugeret, *post sextum consulatum annoque* ætatis *septuagesimo*

gesimo, ut scribit Vellejus Paterculus Historiæ suæ libro 2. cap. 19. *nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se . . . . abdiderat, injecto in collum loro in carcerem Minturnensium jussu duumviri perductus est; ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu exprimente indignationem casûs tanti viri, abjecto gladio profugit e carcere. Tum cives, ab hoste, misereri paullo ante principis viri docti, instructum eum viatico collataque veste, in navem imposuerunt.* v. 276. MINTURNARUMQUE *paludes*] Minturnæ fuerunt oppidum veteris Latii ad Lirim fluvium (hodie *Garigliano*) paullo supra ejus ἐκβολὰς, sive ostium, IX. millibus passuum ultra Formias. Huic oppido adjacebant paludes. M. Tullius Oratione in Pisonem: *Marium Italia, servata ab illo, demersum in Minturnensium paludibus . . . . . . vidit.* Ad has Ovidius quoque respexit Ponticorum lib. 4. Eleg. 3.

In cœno jacuit Marius, cannaque palustri:
Pertulit & tanto multa pudenda viro.

v. 277.

v. 277. ET *mendicatus victa Carthagine panis*] Marius exsul & senex, in Africam deportatus, quam provinciam pacaverat victo Jugurtha rege Numidarum infestissimo Romanis, eo egestatis pervenerat, ut in ruderibus Carthaginis rogare stipem, ac sibi victum quotidianum quærere cogeretur ut mendici solent. M. Tullius Oratione in Pisonem: *Marium .... Africa, devicta ab eodem, expulsum & naufragum vidit*. Legendus etiam Vellejus Paterculus loco paullo ante memorato. v. 278. HINC *caussas habuere*] Hæ omnes Marii calamitates, a poeta nostro enumeratæ, originem duxerunt a longa ejusdem vita; quas nimirum ille evitasset, si ante senectutem mortuus esset. v. 280. SI *circumducto captivorum agmine, & omni Bellorum pompa*] Intellige pompam triumphi, de qua ad superiora Satyræ hujus multa verba fecimus. Eam pompam splendidiorem faciebant agmina captivorum, quæ religatis post tergum manibus, ante currum triumphantis agebantur. v. 281. ANIMAM *exhalasset opimam*] Lætam, hilarem, uberem & quasi saginatam victoriis. Vel ad opima spolia respexit Juvenalis, quæ dux Romanus, ho-

stium

ſtium duce cæſo referebat : cujuſmodi obtinuere Romulus Acrone, Cornelius Coſſus Larte Tolumnio, & M. Marcellus Viridomaro propria quiſque manu occiſis. Videndus Propertius lib. 4. Elegia 11. ubi Jovis Feretrii narrat hiſtoriam. v. 282. QUUM *de Teutonico vellet deſcendere curru*] Quo ſcilicet vectus, de Cimbris ac Teutonibus triumphaverat. v. 283. PROVIDA *Pompejo dederat Campania febres Optandas*] Cn. Pompejus Magnus, rebus præclaris geſtis, biennio ante bellum civile quod cum C. Julio Cæſare, ſocero ſuo, geſſit, febri correptus eſt Neapoli, & ſatis cum periculo ægrotavit. Inquit igitur poeta noſter, cæleſtium providentia febrem illam Pompejo immiſſam fuiſſe, ut eum ſcilicet advenientibus turbis, calamitatibus, ignominiæ præriperent. Hujus porro loci optimus interpres fuerit M. Tullius lib. 1. Tuſcul. Quæſt. ex quo libro locus ipſe ſumtus videtur. *Pompejo, noſtro familiari, quum graviter ægrotaret Neapoli, melius eſt factum. Coronati Neapolitani fuerunt nimirum: etiam Puteolani vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum ſane negotium & Græculum, ſed tamen fortunatum. Utrum igitur ſi tum eſſet exſtinctus,*

ctus, a bonis rebus, an a malis discessisset? certe a miseris: non enim cum socero bellum gessisset, non imparatus arma sumsisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum ferrum & manus incidisset: non liberi defleti, non fortunæ omnes a victoribus possessæ. Qui si mortem tum obiisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitæ quot quantasque incredibiles hausit calamitates! Leguntur similia de Pompejo apud Vellejum Paterculum lib. 2. Histor. & L. Senecam Consolatione ad Marciam cap. 20. Campania, est Italiæ provincia nobilissima, hodie *Terra di Lavoro;* cujus caput Neapolis. *Providam* porro appellat poeta noster, eà loquendi figurâ qua superius dixit, *codice sævo:* nam providentia, Diis (ut eo tempore loquebantur) proprie tribuenda.

v. 284. SED *multæ urbes, & publica vota Vicerunt*] Supplicationes a multis civitatibus publice institutæ pro vita & salute summi viri ægrotantis, pervicerunt & obtinuerunt a Diis ut convalesceret: sed maximo ejus malo. v. 285. IGITUR *fortuna ipsius, & Urbis Servatum victo caput abstulit*] Adversâ fortunâ Cn. Pompeji, & urbis

urbis Romæ (quæ ſcilicet victo Pompejo libertatem penitus amiſit, a Cæſare oppreſſa) factum eſt, ut caput ducis illius præſtantiſſimi, quod preces & publica vota ſervaverant, amputaretur a ſervis Ptolemæi Ægypti regis, ad quem Pompejus, victus in campis Pharſalicis, confugerat.

v. 286. Hoc *cruciatu Lentulus, hac pœna caruit; ceciditque Cethegus Integer; & jacuit Catilina cadavere toto*] Comparat Juvenalis exitum vitæ ſceleratorum hominum qui conjuraverant in Romanam rempublicam, Lentuli puta, Cethegi, Catilinæ, cum exitu Pompeji, qui eamdem virtute defenderat, & victoriis amplificaverat. Hunc autem miſeriorem omnino fuiſſe affirmat. Lentulo enim Suræ, ac Cethego, juſſu Ciceronis conſulis, in carcere cervices fractæ: Catilina vero dux conjurationis, cum exercitu C. Antonii acriter pugnans, confoſſus eſt, & longe a ſuis inter hoſtium cadavera repertus; quemadmodum ſcribit Salluſtius. Nemo igitur ex illis conjuratis, capite amputato occubuit, quamvis omnes patriæ ac civibus pœnas dederint. Solus Pompejus, vir illuſtris, & de republica optime meritus, jacuit corpore mutilato. Quæ tamen ani-

animadversio, pace dixerim Juvenalis nostri, levis admodum & frigida mihi videtur; nisi forte jocari poeta voluit: verumtamen in re tam seria & atroci futilibus cavillationibus locus non est.

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, quum Veneris fanum videt anxia mater,
Usque ad delicias votorum. Cur tamen, inquit,
Corripias? pulchrâ gaudet Latona Dianâ.
Sed vetat optari faciem Lucretia qualem
Ipsa habuit. cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suum Rutilæ dare. filius autem
Corporis egregii, miseros trepidosque parentes
Semper habet. rara est adeo concordia formæ
Atque pudicitiæ; sanctos licet horrida mores
Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas:
Præterea castum ingenium, vultumque modesto
Sanguine ferventem tribuat natura benignâ
Larga manu (quid enim puero conferre potest plus,
Custode & curâ natura potentior omni?)
Non licet esse viros: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.
Tanta in muneribus fiducia. Nullus ephebum
Deformem sæva castravit in arce tyrannus:

Nec

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, nec
Strumosum, atque utero pariter, gibboque tumentem.
I nunc, & juvenis specie lætare tui, quem
Majora exspectant discrimina. fiet adulter
Publicus, & pœnas metuet, quascumque maritis
Iratis debent: nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos numquam incidat. exigit autē
Interdum ille dolor plus, quam lex ulla dolori
Concessit. necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus: quosdam mœchos & mugilis intrat.
Sed tuus Endymion dilectæ fiet adulter
Matronæ: mox quum dederit Servilia nummos,
Fiet & illius, quam non amat: exuet omnem
Corporis ornatum. quid enim ulla negaverit udis
Inguinibus, sive est hæc Hippia, sive Catulla?
Deterior totos habet illic femina mores.

PARAPHRASIS.

Quantopere fallantur homines, ac sibi ipsi noceant, quum divitias, magistratus, potentiam, gloriam vel eloquentia, vel militia partam, longam denique senectutem a Diis immortalibus petunt, exemplis & argumentis copiose adhuc ostendit Juvenalis

nofter. Jam venit ad vota mulierum, delicata & mollia, quæ pro liberorum forma fieri folebant. Hæc quoque perniciofa effe affirmat: detrimenta vero quæ confequuntur egregiam corporis fpeciem, graphice defcribit, atque ob oculos ponit. „ Quum, *in-*
„ *quit*, mater, follicita de felicitate filio-
„ rum, ædem Veneris aut ingreditur, aut
„ folùm videt, ftatim Deæ fupplicat vota
„ concipiens, ut liberi quos peperit, vel
„ paritura eft, ejus favore formam obti-
„ neant. Et id quidem facit breviore, ma-
„ gifque fummiffo murmure pro filiis ma-
„ ribus: longiore autem verborum ambitu,
„ & clarius, pro puellis fuis. tantum fci-
„ licet vacat a negotiis gravioribus, ut has
„ votorum delicias, hæc minuta & frivo-
„ la perfequi poffit. Verum eam ita repre-
„ henforibus occurrentem audire videor:
„ Quid tu, cenfor odiofe, preces hafce no-
„ ftras vituperas? quid irrides? Nonne hoc
„ defiderium matribus univerfis adeo peni-
„ tus infitum eft, ut Latona ipfa ex Dia-
„ næ filiæ pulchritudine oculis lætitiam ca-
„ piat? Non diffiteor equidem: fed Lucre-
„ tia, uxor Collatini, per vim a Sexto
„ Tarquinio corrupta, quod formofa effet,

„ ma-

„ matres deterrere atque avocare poteſt a „ petenda ſimili forma filiabus ſuis. Enimvero Virginia illa, virgo plebeja, ſed „ honeſta ſpecie & liberali, quam ab Ap. „ Claudio Decemviro appetitam, & ſtupro „ illius deſtinatam pater occidit, formam „ ſuam cum Rutilæ gibbo, anûs decrepitæ „ ac fœdæ, libentiſſime commutaſſet. Filius porro pulcher & venuſtus quantam „ animi ſollicitudinem, timorem, denique „ miſeriam affert parentibus! adeo rara eſt „ concordia formæ ac pudicitiæ. Fac enim, „ formoſum hunc adoleſcentem natum eſſe „ in familia ſanctioris & ſeverioris diſciplinæ, quæ antiquarum Sabinarum caſtitatem ac ſimplicitatem imitetur: finge „ præterea, huic juveni pudicum ingenium, „ & vultum rubore ſuffuſum, verecundiæ „ nimirum ac modeſtiæ argumentum, naturæ ipſius benignitate ac largitate tributum; (quod enim amplius beneficium, „ & magis inſigne natura in puerum conferre poteſt? quæ ſane, præ omni cuſtodis, atque educatoris cura, graviſſimum „ pondus habet) nihilominus, formoſo pudicitiam ſervare non licet, neque omnino virum eſſe. qui enim ætatis ejus flo-

„ re abuti constituit, improbæ cupiditati
„ morem gerens, pecuniæ non parcit, &
„ pudore abjecto parentes ipsos adolescentis
„ aggredi non dubitat, donisque labefacta-
„ re contendit: sperans videlicet, se mu-
„ nerum præsidio, quicquid voluerit, faci-
„ le consequi posse. Nemini umquam ty-
„ rannorum in mentem venit deformem a-
„ liquem adolescentem, in arce ubi crude-
„ litatem suam exercent mali principes,
„ medicis effeminandum locare: neque Nero
„ ille, monstrum hominis, rapuit ullum ex
„ prætextatis, sive ingenuis pueris, qui clau-
„ dus, aut strumosus esset, aut ventre si-
„ mul prominente humerisque distortis. Ite
„ nunc, stulti genitores, ac ex adolescentis
„ pulchritudine quem genuistis, lætitiam ca-
„ pite. Huic pericula imminent etiam hac-
„ tenus enumeratis majora. Matronarum
„ scilicet pudicitiam olim violabit: fronte
„ perfricta, palam adulteria committet; &
„ iccirco pœnas illas omnes timebit quas
„ mœchi maritis iratis pendere coguntur.
„ Neque enim credendum est, eum felicio-
„ ri sidere libidini operam daturum, quam
„ ipse Mars dederit Veneris corruptor; ut
„ laqueos omnes sibi paratos vitare atque

„ effu-

„ effugere possit. Dolor autem a maritis
„ de injuria illa conceptus, nonnumquam
„ graviora longe supplicia sumit quam do-
„ lentibus lex ulla permittat. Est enim
„ qui ferro adulterum occidat, est qui pla-
„ gas verbere infligat, vehementes adeo ac
„ repetitas, ut sanguis ubertim erumpat.
„ Contingit etiam aliquando, ut mugiles,
„ piscium genus bene capitatum, mœcho-
„ rum tergo imprimantur. Neque speravc-
„ ris, adolescentem hunc tuum, Endymio-
„ nem alterum, solùm cum dilecta matro-
„ na adulterium facturum: si enim Servi-
„ lia, mulier deformis quidem at copiosa,
„ pecuniam obtulerit præmium stupri, con-
„ tinuo juvenis avarus etiam hujus adulter
„ fiet, nummorum cupiditate, non amore
„ mulieris illectus. Eam scilicet auro, gem-
„ mis, mundo muliebri omnino spoliabit.
„ quid enim ulla femina effrenatæ libidini
„ non concesserit, sive hæc Hippia sit,
„ prodiga & sumtuosa, sive Catulla, sor-
„ dida & pecuniæ retinentissima? Nam id
„ experientiâ constat, mulieres etiam dege-
„ neres, & plebejarum similes ob parsimo-
„ niam, ubi semel cupiditate incaluerint,
„ humanas continuo fieri, comes, liberales,

„ beneficas; omnes denique mores, vitia „ quoque omnia, si Diis placet, sumere „ quæ nobilium feminarum propria sunt. „ Nunc obscuris lucem afferamus.

COMMENTARIUS.

v. 289. FORMAM *optat modico pueris, majore puellis Murmure, quum Veneris fanum videt anxia mater*] Jamdudum diximus, hanc veteribus superstitionem fuisse, ut semper taciti vota conciperent; quod animadvertit Josephus Scaliger ad ea verba Catulli ex Carmine de Nuptiis Pelei ac Thetidos: *tacito suspendit vota labello*. Taciti, inquam, vel saltem summissa admodum voce, & susurro perquam tenui. Loca plurima veterum ad hunc morem spectantia recitavimus & nos in Commentario nostro ad Veronensem poetam. Juvenalis vero id sibi vult: matrem statim ac Veneris templum videt, Deam rogare, ut formam pueris & puellis suis largiatur: pro pueris tamen orare paucis verbis, & breviore murmure: pro puellis, longiore oratione. Formam enim feminis utiliorem esse putant, quam maribus. Posset etiam hic locus alia ratione explicari: *modico murmure*, nempe tenuis-

tenuiſſimo, & quod a circumſtantibus vix percipi & exaudiri poſſit; quum ſcilicet pudeat matrem, Deæ ſupplicare pro forma filiorum ſuorum; quibus ingenium, prudentia, vires corporis potius petendæ ſunt: *majore* autem *murmure*, pro forma puellarum, nimirum clariore, quod accidat ad aures proximorum: nullus enim pudor eſt, ſi mulier mulieribus petat quæ mulieres potiſſimum ornare & commendare ſolent.

v. 290. QUUM *Veneris fanum videt*] Tibullus Elegia 4. lib. 2.

Aut rapiam ſuſpenſa ſacris inſignia fanis.
Sed Venus ante alios eſt violanda mihi.
Illa malum facinus ſuadet, dominamque rapacem
Dat mihi: ſacrilegas ſentiat illa manus.

Ceterum Spartanæ mulieres ad templum Helenæ, quod erat in loco qui dicebatur Therapne, puellas ducere ſolitæ erant, ibique pro illarum forma Deæ ſupplicabant. Exemplum vide apud Herodotum in Erato.

v. 291. USQUE *ad delicias votorum*] Vota hæc de rebus nihili, puta de forma & venuſtate, quæ citiſſime tamquam floſculi decidunt, *delicias votorum* jure optimo appellat poeta noſter. conveniunt enim delicatis, & luxu perditis, quibus graviora ne-

gotia satis prospere fluunt: atque iccirco ludicra & leviora illos sollicitos habent. Idem Juvenalis Sat. *6.* v. 47. impurum hominem & stultum, qui quum ipse mœcharetur, frugi nihilominus & pudicam uxorem quæreret, *delicias hominis* vocat. Eâdem Satyrâ v. 259. *deliciæ* sunt corpora delicata, quæ vel minimis molestiis offendantur:

Hæ sunt quæ tenui sudant in cyclade, quarum
Delicias & panniculus bombycinus urit.

Satyra demum 13. v. 140. de Calvino amico suo, qui ea quæ cunctis hominibus communia sunt, moderato animo pati nesciret:

Ten', o delicias! extra communia censes
Ponendum? quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

v. 292. PULCHRA *gaudet Latona Dianâ*] Respicit fortasse Virgilii versus elegantissimos qui leguntur Æneidos 1. v. 498.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille secutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharétram
Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Nos

Nos in Elegia quadam nostra lætitiam hanc a matre conceptam de filiæ pulchritudine, a Latona in Cybelem, seu Berecynthiam, ita transtulimus:

Qualis verticibus Juno stellantis Olympi
Per medios transit maxima cælicolas.
Hanc spectat canos Cybele turrita capillos,
Maternoque fovet gaudia justa sinu.

v. 294. CUPERET *Rutilæ Virginia gibbum Accipere*] Expedivisset enim Virginiæ puellæ pulcherrimæ, at ob nimiam formam infelici, deformem potius & gibberam esse, cujusmodi fuit Livia quædam Rutilii, XCVII. annos vivendo prætergressa; teste Plinio lib. 7. Natur. Histor. cap. 48. De Virginia vero hæc monumentis litterarum tradita sunt: Appius Decemvir, cupiditate inflammatus, & juris oblitus quod ipse cum reliquis Decemviris composuerat, ingenuam hanc virginem stupro destinaverat. Porro ut meditatum facinus haud ægre perficere posset, eam judicio oppressam in servitutem trahebat. Quod quum videret Virginius pater, nihil cunctatus, arrepto cultro ex lanii taberna, in medio foro filiam manu sua interfecit, ut ea potius honesta & libera moreretur, quam serva & impudica viveret.

ret. v. 295. ATQUE *suum Rutilæ dare*] Scilicet, quod suum erat, raram & eximiam formam. Non enim dorsi tumor intelligendus, quem Virginia certe non habebat. Nisi forte *gibbus* hoc loco dorsum significat, quod rectum & decorum fuit in Virginia, distortum ac fœdum in Rutila. Eodem certe pacto usurpari videtur hæc vox a poeta nostro Satyræ hujus v. 309. ubi ait, *utero pariter*, *gibboque tumentem*; hoc est, ventre, ac tergo. Præterea, Varro lib. 2. Rei Rusticæ cap. 5. dixit, quum eximiam bovem describeret: *gibberi spina leviter remissa*; nempe dorsi. quæ lectio viris doctis immerito suspecta est. v. 295. FILIUS *autem Corporis egregii*] Forma, corporis bonum atque ornamentum est. Virgilius Æneidos lib. 1. v. 71. eodem pacto locutus:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ:
Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeam
Conjugio jungam stabili, propriamque dicabo.

v. 298. SANCTOS *licet horrida mores Tradiderit domus*] Domum, seu familiam, horridam vocat quæ tantum absit a vitiis & libidinibus, quantum a nimio cultu.

v. 299. VETERES *imitata Sabinas*] Quarum

rum simplicitas, castitas, parsimonia, laborum patientia, celeberrima.

v. 300. CASTUM *ingenium*] Vere Ovidius Amorum lib. 3. Elegia 4.

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo.

v. 300. VULTUMQUE *modesto Sanguine ferventem*] *Modestum sanguinem* appellat, quia fit verecundiæ argumentum, quum subito ingenuis adolescentibus per faciem diffunditur, quos turpis alicujus facti vel dicti pudet. v. 303. CUSTODE] Pædagogos enim & custodes apponebant ephebis, formosis præsertim; ne ad eos corrumpendos improbis hominibus facilis aditus esset.

v. 306. NULLUS *ephebum Deformem sæva castravit in arce tyrannus*] Puerorum amoribus plures tyranni flagraverunt: libido enim hujusmodi, cum vi atque immanitate plerumque conjuncta est. Adolescentulos autem quorum corporibus abuti volebant, exsecari jubebant, & masculo vigore spoliari; quo diuturnam pueritiam & teneritudinem ementirentur. Suspicor, Juvenalem hoc loco, Hadriani principis, quo regnante scribebat, inquinatos mores clanculum perstringere voluisse. Notæ sunt histo-

riam

riam legentibus, Hadriani libidines in hoc præcipue genere: notus Antinous puer delicatus ejusdem, ab illo ad infamiam usque & insaniam adamatus.

v. 308. NEC *prætextatum rapuit Nero loripedem*] Pueros ingenuos prætexta, sacra vestis, tegebat, & adversus flagitiosorum cupiditates tuebatur. Nefas enim erat, prætextatum, vel prætextatam impuris manibus attingere: si qui vero attigissent, graves legibus pœnas dabant. Tyranni tamen, qui legum sanctiones contemnebant, ingenuos etiam violare non dubitabant, si formâ illorum caperentur: Nero præcipue, ac Tiberius, qui Neronis cognomen gessit. De illorum flagitiis multa Suetonius, & Cornelius Tacitus. Id autem sibi vult Juvenalis: Formosos tantummodo adolescentes a Nerone rapi & corrumpi solitos: nullum vitio aliquo corporis insignem, puta claudum, vel strumis fœdum, vel simul alvo tumentem ac distortis humeris. *Loripedes* vocabantur claudi, oblique incedentes, quibus crura in modum lori flexa essent. Noster Satyra 2. v. 23.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

v. 308. NEC *Strumosum*] Tumorem quem-

quemdam cervicis, gutturis, & aliarum etiam corporis partium, in quo pus & sanguis colligitur, veteres medici *ſtrumam* appellant. Itali dicunt *ſcrofola*. Qui hoc vitio laborabant, *ſtrumoſi* dicebantur, & aliquando etiam *ſtrumæ*. Catullus Carm. 52.

Sella in curuli Struma Nonius ſedet.

v. 309. ATQUE *utero pariter, gibboque tumentem*] *Uterus*, hic pro ventre accipitur: eſt enim ſermo de mare, non de femina. Ita Plautus in fragmento Bœotiæ, Comœdiæ deperditæ:

— — *Me puero uterus hic erat ſolarium,*
Multo omnium iſtorum optumum & veriſſimum.

v. 310. I NUNC, *& juvenis ſpecie lætare tui*] Amara εἰρωνεία, qua poeta noſter inſultat ſtultis parentibus, quos forma filii delectat, nec terrent pericula formam conſequi ſolita. v. 311. FIET *adulter Publicus*] A matronis plurimis expetitus & ſollicitatus, ob eximiam pulchritudinem: quemadmodum Pyrgopolinices ille Plautinus, cui hoc pacto adulatur Artotrogus paraſitus Milite Glorioſo 1. 1. 58. *Amant te omnes mulieres, neque hercle injuria, Qui ſis tam pulcher . . . . Ergo mecaſtor pulcher eſt, inquit, mihi Et liberalis viſus*. *cæſa-*

cæsaries quam decet! Næ illæ sunt fortunatæ quæ cum isto cubant! . . . . . . Respondet autem Pyrgopolinices: *Nimia est miseria pulchrum esse hominem nimis*. Rursus Artotrogus: *Molestæ sunt mihi, orant, ambiunt, obsecrant, Videre ut liceat: ad sese arcessi jubent. ut tuo non liceat operam dare negotio.*

v. 313. NEC *erit felicior astro Martis, ut in laqueos numquam incidat*] Interpretes hoc loco nescio quam somniant malignitatem planetæ Martis: quæ interpretatio prava omnino est atque inepta. Hæc est, si quid video, sententia Juvenalis: Iste vester formosus filius, jam publicus adulter, non erit certe Marte felicior, sidera non habebit magis propitia quam habuerit Mars; quum Veneris amoribus operam daret, lectumque maritalem Vulcani contaminaret. Incidit enim male cautus in retia quæ Vulcanus ipsi paraverat, & lecto circumdederat. Hanc fabulam diligenter narrat Homerus Odyssææ lib. 8. *Astrum* igitur *Martis* hoc loco non est ipse Mars, aut Deus, aut planeta: sed est fortuna illius: nam sideribus tribui solet a superstitiosis casuum fortuitorum moderatio. v. 315. ILLE *dolor*] Maritorum videlicet, qui adulteris, præter mo-

dum

dum irascuntur: neque ullo pacto tantam injuriam pati possunt. v. 315. PLUS *quam lex ulla dolori Concessit*] Læsis enim adulterio leges Romanæ majorem licentiam se ulciscendi concesserunt, quam ceteris affectis injuria. v. 316. NECAT *hic ferro*] Adulterum scilicet deprehensum.

v. 316. SECAT *ille cruentis Verberibus*] *Verbera* hic non significant plagas, sed flagella ipsa, quibus plagæ infligebantur. Tibullus pariter Elegia 9. lib. 1.

Ure meum potius flammâ caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

v. 317. QUOSDAM *mœchos & mugilis intrat*] Aliud supplicii genus, quod quum ridiculum & joculare videatur, acerbissimum tamen erat, atque ignominiæ plenum. Catullus quoque hujus pœnæ mentionem facit Carm. 15.

Ah tum te miserum, malique fati!
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent rhaphanique, mugilesque.

Ceterum hæc adulterorum pericula enumerat diligenter Horatius lib. 1. Sermonum Satyra 2.

Audire est operæ pretium, procedere recte
Qui mœchis non vultis, ut omni parte laborent;

Ut-

Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque hæc rara, cadat dura inter ſæpe pericla.
Hic ſe præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem cæſus: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones. quin etiam illud
Accidit, ut cuidam teſtes caudamque ſalacem
Demeteret ferrum ---- ---- --- ----

v. 318. SED *tuus Endymion dilectæ fiet adulter Matronæ*] Sed fortaſſe, o pater formoſi filii, Endymion hic tuus, quemadmodum tibi blandiris, matronæ tantum alicui operas locabit ſuas, quam ſincere & ex animo amabit: ob id ſaltem felix, & invidia dignus. Hanc quoque ſpem, o ſtulte, miſſam facere potes. Endymionem vocat poeta, egregii corporis adoleſcentem, ſimilem videlicet Endymioni illi e Caria venatori, quem fabulæ ferunt a Luna perdite amatum, quum e cælo noctu deſcenderet, ut eum in monte Latmo dormientem complecteretur.

v. 319. MOX *quum dederit Servilia nummos, Fiet & illius, quam non amat: exuet omnem Corporis ornatum*] Quaſi diceret: A pulchra quidem & dilecta matrona flagitii tyrocinium ordietur: ſed paullo poſt, ut ſunt mores juvenum leves & mutabiles, turpis quoque feminæ mancipium fiet. Pecunia

cunia scilicet nihil non potest: finge, nummos ipsi dare Serviliam, deformem anum, cujus veneres omnes in crumena sunt; jam delicatus & elegans juvenis odiosæ mulieri, sed locupleti morem geret: paullatim vero eam gemmis, auro, purpura, mundo muliebri spoliabit, & ad incitas rediget. Mulieres enim ut malam cupiditatem expleant, nullis sumtibus parcunt. Martialis Epigram. 27. lib. 4. Chloën quamdam, vulgati corporis mulierem, quæ adolescentulis imberbibus mirum in modum delectaretur, atque in eorum amores sua omnia prodigeret, ita describit:

Donasti tenero, Chloë, Luperco
Hispanas, Tyriasque, coccinasque,
Et lotam tepido togam Galeso,
Indos sardonychas, Scythas zmaragdos,
Et centum dominos novæ monetæ;
Et quicquid petit, usque & usque donas.
Væ, glabraria, væ tibi, misella:
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Porro *nudam statuere*, quod ait Martialis, & *omnem corporis ornatum exuere*, quod ait Juvenalis noster, sunt locutiones prope pares. *Glabraria* poetæ Hispano est glabrorum puerorum amatrix, quæ læves & investes tantum

admittit : quod solent pleræque meretrices. Id, contra nonnullorum interpretum falsam & ridiculam explicationem, ostendimus jampridem in Commentario nostro ad Catullum Carm. 60. v. 142. Ceterum, *ornari* proprie dicuntur mulieres. Terentius Heautontimorumeno 2. 3. 47. suavissime:

Sine auro, tum ornatam ita uti quæ ornantur sibi,
Nulla mala re esse expolitam muliebri.
Capillus passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter. -- --

Capilli mentionem facit Comicus (ut id obiter moneam) propterea quod ornatus muliebris ad comam præcipue pertinebat; Tibullus Elegia postrema libri 1.

Sit satis, ornatus dissolüisse comæ.

Propertius quoque libro 1. Elegia 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo?

Inde *ornatrices* vocabantur ancillæ quæ dominæ comam fingebant, calamistro vibrabant, lixivio rutilabant, discriminabant, ungebant, religabant : de quibus mentio non infrequens in Romanis Inscriptionibus. Ovidius lib. 3. Artis Amatoriæ v. 239.

Tuta sit ornatrix. odi quæ sauciat ora
Unguibus, & raptâ brachia figit acu.

Commendat Ovidius dominabus puellas ornatri-

natrices: earumque matronarum sævitiam abominatur quæ si quid ancilla inter ornandum peccavisset, continuo in ejus faciem unguibus involabant, vel acu de manibus ipsi erepta, brachia misellæ crudeliter figebant ac vulnerabant. Sed hæc obiter.

v. 322. Sive *est hæc Hippia, sive Catulla*] Hippia, matrona fuit prodiga & dissoluta, quam superius quoque commemoravit: Catullam volunt avaram fuisse; at in libidines tantummodo sumtuosam. Hujus mentio Satyra etiam 2. v. 49.

v. 323. Deterior *totos habet illic femina mores*] Versus hic subobscurus est: nihilominus ita explicandus videtur, postulante sententia: Matrona propter sordes & avaritiam a majorum suorum nobilitate degenerans, quum agitur de obtemperando cupiditati, & de juvene aliquo formoso corrumpendo, statim habet mores omnes qui patriciam decent, puta venustatem, comitatem, liberalitatem, benignitatem. Interdum enim *mores* solas virtutes significant. Horatius ad Cæsarem Augustum Epist. 1. lib. 2.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes.

Propertius item Elegia postrema libri 4.

de Cornelia matrona vita functâ: *Moribus & cælum patuit*. Verum in hac explicatione nondum acquiesco: & ulterius quærendum existimo.

Sed casto quid forma nocet? Quid profuit immo
Hippolyto grave propositum? quid Bellerophonti?
Erubuit nempe hæc, ceu fastidita repulsâ:
Nec Sthenobœa minus quam Cressa excanduit, & se
Concussere ambæ. Mulier sævissima tunc est
Quum stimulos odio pudor admovet. Elige quidnam
Suadendum esse putes cui nubere Cæsaris uxor
Destinat. optimus hic, & formosissimus, idem
Gentis patriciæ, rapitur miser exstinguendus
Messalinæ oculis. dudum sedet illa parato
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur
Antiquo: veniet cum signatoribus auspex.
Hæc tu secreta, & paucis commissa putabas?
Non nisi legitime vult nubere. quid placeat, dic:
Ni parere velis, pereundum erit ante lucernas:
Si scelus admittas, dabitur mora parvula, dum res
Nota urbi & populo contingat principis aures.
Dedecus ille domûs sciet ultimus. interea tu
Obsequere imperio, sit tanti vita dierum

Pau-

Paucorum. quicquid melius leviusque putâris, 344
Præbenda est gladio pulchra hæc & cãdida cervix.

PARAPHRASIS.

Quæ corporis formam vitia & pericula comitentur, poeta noster satis exposuit: nunc ostendere aggreditur, neque servandæ castitatis propositum gravibus & severis adolescentibus quicquam interdum prodesse ad calamitates effugiendas, si formosi fuerint. Exemplum vero affert C. Silii, patricii juvenis, & mira corporis forma præditi, qui occidit in ipso ætatis flore, quod Messalina, Claudii Cæsaris uxor, impura mulier, eum adamaverit, & maritum habere concupiverit. Horum igitur versuum sententia est: „ Audire videor aliquem ita dicentem: „ Ii quibus forma periculum creavit, propter abusum formæ occiderunt; malis enim erant moribus & corruptis. At si „ quis cum pulchritudine castitatem conjungere studeat, quid ei tandem pulchritudo officere poterit, ne sit felix? Huic equidem ita responderim: Quid immo pro-

„ fuit Hippolyto, juveni castissimo, & ab
„ amoribus remotissimo, severum pure at-
„ que honeste vivendi propositum? quid
„ profuit Bellerophonti, simili virtute or-
„ nato? Nimirum Phædra, Thesei uxor,
„ Minois Cretæ regis filia, quæ Hippoly-
„ ti privigni sui verecundiam tentaverat,
„ ab ipso repulsam passa, præter modum
„ excanduit; quum illam puderet, se ab
„ adolescente fastiditam & contemtam. Ne-
„ que minorem iram concepit Sthenobœa
„ Prœti conjux, quod Bellerophontem ina-
„ niter aggressa, ejus constantiam flectere
„ nequivisset. Utraque mulier, impotenti
„ animo & fero, sine mora ultionem me-
„ ditata est, neque ab incœpto destitit,
„ quoad optata perfecisset. Nihil enim tam
„ vehementer acuit mulierum crudelitatem,
„ quam odium pudore stimulatum. Velim
„ te, quisquis es, consilium dare adole-
„ scenti, cui Messalina, Claudii imperato-
„ ris uxor, nubere statuit: elige, inquam,
„ ex duobus quid suadendum existimes o-
„ ptimo juveni in re tam dubia. Hic ni-
„ mirum probitate insignis, & forma, i-
„ demque patricio genere natus, ducitur
„ vel invitus ad satiandos aspectu suo ocu-

„ los

„ los Messalinæ: quod ipsi certissima inte„ ritûs caussa futurum est. Illa jamdudum „ sedet, parato flammeo, ut solent novæ „ nuptæ: lectus genialis purpureo stragulo „ coopertus, non clam, sed coram omni„ bus, in hortis Lucullianis ponitur: da„ bitur item nomine dotis, ut fert vetus „ consuetudo, ingens pecunia, puta decies „ centena millia sestertiûm. Aderunt nota„ rii qui obsignent tabulas nuptiales: ade„ runt auspices. Hæc tu, C. Sili, occul„ ta fore putaveras, & ministerio pauco„ rum peragenda, tamquam furtivos con„ cubitus? Errabas, miser, errabas: ea, „ vivo & superstite Claudio, tecum justo „ matrimonio, si Diis placet, conjungi cu„ pit. Elige propterea utrum malis. Nisi „ Messalinæ obtemperas, ante vesperam te „ mori oportebit. Si vero ejus cupiditati „ morem geras, paucorum dierum usura ti„ bi concedetur, dum scilicet flagitiosæ nu„ ptiæ, quas nemo e populo Romano jam „ ignorat, Claudio etiam principi demum „ innotescant: nam is ultimus erit qui tan„ tam ignominiam domûs augustæ cognitam „ habeat. Tu interea, o Sili, obsecunda „ potentis feminæ voluntati: aliquid esse

„ existima vel paucis diebus vitam produ-
„ cere. Ceterum id tibi aperte denuntio:
„ quicquid tandem ex duobus propositis me-
„ lius ac tolerabilius tibi visum fuerit; ef-
„ fugere nullo modo poteris quin pulchram
„ hanc cervicem & candidam gladio carni-
„ ficis præbeas. „ Nunc obscurioribus lucem afferamus.

COMMENTARIUS.

v. 324. QUID *profuit immo Hippolyto grave propositum?*] Hippolytus Thesei filius fuit, regis Athenarum, ex Hippolyta Amazone, pulcherrimus juvenis & castissimus, venationi omnino deditus. Ejus amore correpta Phædra noverca, petere ab illo concubitum ausa est; sed frustra. Ex amante igitur inimica facta, insontem privignum apud Theseum conjugem calumniari cœpit, tamquam si ille torum patris adulterio atque incestu contaminare voluisset. Porro Theseus, nimium credulus, filium Athenis expulsum, in exsilium ire jussit, ac diris devovit. Quum vero miser adolescens iter faceret, curru vectus prope maris litus, equi subito occursu monstri marini, quod Neptunus immiserat, perterrefacti,

do-

dominum curru excussere, ac rotis implicitum diuque pertractum, occidére, atque in frusta discerpsere. v. 325. GRAVE *propositum*] Abstinendi nimirum ab obscœnis voluptatibus, & omni feminarum consuetudine. v. 325. QUID *Bellerophonti ?*] Bellerophontes formosus juvenis & strenuus, occiso Bellero Corinthiorum principe; unde etiam nomen accepit novum, quum antea Hipponus vocaretur; Argos profugit, ubi Prœtus regnabat. Ab eo, cædis admissæ expiationem consecutus est, atque apud illum aliquanto tempore commoratus. Interea Sthenobœa Prœti uxor, quam aliqui Anteam vocant, adolescentem amare cœpit, ac precibus de concubitu sollicitare. Quum vero ille constantissime tanti dedecoris notam aspernaretur, mulier immodice irata, mentita est viro suo, se ab adolescente compellatam. Prœtus, quum id audivisset, conscripsit epistolam de hac re, misitque Bellerophontem qui eam perferret ad Diobatam Lyciæ regem, socerum suum, patrem Sthenobœæ, ut castissimum juvenem interficiendum curaret. Diobatas quum legisset epistolam, jussit adolescentem cum Chimæra pugnare, ut ab illa occideretur. Quæ post-

postea consecuta fuere, non sunt loci hujus. Videndus Hyginus Fabula 57. Attigit etiam Horatius Ode 7. lib. 3.

Ut Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem -- --- ----

v. 327. NEC *Sthenobœa minus quam Cressa excanduit*] *Cressæ* nomine significat Juvenalis Phædram, Hippolyti novercam, Minois Cretæ regis filiam. *Cressa* est mulier e Creta; quemadmodum *Thressa*, vel *Threissa*, mulier e Thracia; *Libyssa*, mulier e Libya; *Phœnissa*, mulier e Phœnicia.

v. 327. ET *se Concussere ambæ*] Proprie admodum hic loquitur Juvenalis. Omnis enim timor concutit: pudor autem species est timoris. Quem enim pudet, is ignominiam & infamiam timet. Plato in Euthyphrone: Οὐκ ἄρα ὀρθῶς ἔχει λέγειν, ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς· ἀλλ', ἵνα μὲν αἰδὼς, ἔνθα καὶ δέος. οὐ μέντοιγε ἵναγε δέος, πανταχοῦ αἰδώς. ἐπὶ πλέον γὰρ οἶμαι δέος αἰδοῦς. μόριον γὰρ δέους αἰδώς. hoc est: *Non ergo recte dicitur, Ubi timor, ibi & pudor: sed, Ubi pudor, ibi & timor. Non enim ubi est timor, semper est pudor. Latius enim patere existimo timorem quam pudo-*

pudorem. nam pudor, timoris est pars. Apposite ad Juvenalem Cicero lib. 4. Tusc. Quæst. *Terrorem definiunt metum concutientem. Ex quo fit ut pudorem rubor, terrorem pallor & tremor, & dentium crepitus consequatur.* Poterant etiam reginæ illæ impudicæ alio metu concuti quam pudore: timere scilicet, ne ab Hippolyto, ac Bellerophonte, quos frustra sollicitaverant, apud viros suos accusarentur: & iccirco antevertere studuerunt. v. 328. MULIER *sævissima tunc est Quum stimulos odio pudor admovet*] Verum hujusmodi feminas pudet non flagitii quod commissuræ sunt, sed repulsæ quam patiuntur: existimant enim se contemni, & minus formosas haberi. v. 329. ELIGE *quidnam Suadendum esse putes cui nubere Cæsaris uxor Destinat*] Ex abrupto poeta noster inducit historiam celeberrimam de Silio & Messalina; quasi diceret: O quisquis contendis, casto adolescenti eximiam formam nihil nocerę, velim te huc sine mora advenire. Negotium valde perplexum, dubium. operosum mihi expedi. C. Silius adolescens nobilissimus, idemque forma præstanti, quem improba mulier Messalina, uxor Claudii imperatoris, maritum sibi expetit

petit vivo principe, consilium te rogat, quid sibi faciendum censeas: utrum obtemperare mulieri debeat, an obsistere & negare. Hic Silius, a Messalina perdite adamatus, jussu ejusdem coactus fuit, dimissa uxore sua, quum Claudius Hostiam profectus esset, palam ducere Messalinam: re propterea cognita, paullo post, principi morte pœnas dedit. Sed & ipsa Messalina merito supplicio affecta est. Consulendi Cornelius Tacitus libro Annalium 11. & Suetonius in Claudio. v. 333. Dudum *sedet illa parato Flammeolo*] Mulieres nubentes velo caput operiebant, quod velum lutei coloris erat, & *flammeum* vocabatur. Lucanus lib. 2. Pharsaliæ v. 360.

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Hoc amiciebantur ominis boni caussâ, propterea quod eo assidue uteretur Flaminica, id est Flaminis uxor, cui matronæ non licebat facere divortium. Ab hac vero consuetudine ortum est nomen *nuptiarum*. Caper enim, vetus Grammaticus, ita scribit in libro de Orthographia: *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput suum genasque*. Porro Plautus in Aulularia opifices hujusmodi

jusmodi velorum *flammearios* appellat.
v. 334. TYRIUSQUE *palam genialis in hortis Sternitur*] Subaudi *lectus*. Tyrium appellat, quod stragulis Tyria purpura infectis coopertus esset. Catullus quoque Carm. 60. v. 171.

Aspice, unus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Quid vero fuerit lectus genialis, tradit Servius ad librum 6. Æneidos: *Geniales eos proprie esse lectos qui puellis nubentibus sternuntur, dictos ita a generandis liberis*. Arnobius tamen lib. 3. adversus Gentes, ita vocatum fuisse scribit quod ibi Genius mariti invocaretur. v. 335. ET *ritu decies centena dabuntur Antiquo*] Nam a vetustissimis usque temporibus institutum est, dotem dari marito ab uxore, ad matrimonii onera sustinenda. Videtur autem hæc summa nummorum sestertiûm in lautiori dote solennis & legitima fuisse. Consuli potest Seneca, præter alios, Consolatione ad Helviam cap. 12. & ex recentioribus Jacobus Mazzonius, vir πολυμαθέστατος (*della Difesa di Dante lib. 1. cap. 23.*)
v. 336. AUSPEX] Nihil enim rei gravioris

ris antiqui suscipiebant sine auspiciis. Valerius Maximus lib. 2. Memorabilium cap. 1. *Nuptiis etiamnum auspices interponuntur, qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.* v. 339. PEREUNDUM *erit ante lucernas*] Ante vesperam, qua hora lucernæ accenduntur. v. 342. DEDECUS *ille domûs sciet ultimus*] Narrat Dio Cassius libro 60. Histor. unumquemque aulicorum timuisse indicare Claudio tantum facinus Messalinæ: qui enim principibus gravia & molesta nuntiant, ipsi non admodum accepti esse solent. Eum igitur ignorare sinebant quæ cognita maximum dolorem allatura fuerant. v. 343. SIT *tanti vita dierum Paucorum*] Subaudi *pretii*. Est autem φράσις elegans, & poetis præcipue usitata. Ovidius Epistola Penelopes:

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.

v. 345. PRÆBENDA *est gladio pulchra hæc & candida cervix*] Ita C. Caligula, sævissimus princeps, *quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat, Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur*. Id testatur Suetonius in ejus Vita cap. 33.

Nil

Nil ergo optabunt homines? Si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus, partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit uxor.
Ut tamen & poscas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci:
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem:
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, sævosque labores,
Et Venere, & cœnis, & pluma Sardanapali.
Monstro quod ipse tibi possis dare. Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te,
Nos facimus, Fortuna, Deam, cæloque locamus.

FINIS SATYRÆ X. JUVENALIS.

P A-

PARAPHRASIS.

In hac tota Satyra Juvenalis noſter, cupiditates hominum quam ſtultæ ſint, preceſque Diis fuſæ pro eis explendis, quam pernicioſæ precantibus, quum exaudiuntur; nobilium exemplorum atque hiſtoriarum auctoritate declaravit. Nam hujuſmodi poetæ, ad quos pertinet falſas & pravas opiniones irridendo corrigere, ἐλεγκτικῷ ſcribendi genere magis uti amant, quam διδακτικῷ: in reprehendendo ſcilicet verſantur plurimum, doctrinam & præceptionem vix attingunt. Vivendi enim præcepta atque inſtitutiones, ex libris & diſputationibus philoſophorum, quam ex ulla Satyra, & rectius petuntur, & ſalubrius hauriuntur. Nihilominus ad exitum egregii poematis nonnullas adjungere voluit ſcriptor noſter cupiendi, ac Deos orandi regulas, aureas omnino & quantivis pretii, quæ non tantùm philoſophum hominem, ſed Chriſtianum etiam, bona ex parte decere poſſint. Hoc igitur pacto concludit: „ Humanarum cu-
„ piditatum, & quæ a cupiditatibus oriun-
„ tur precum, tot ac tanta pericula ſunt,

„ hac-

„ hactenus exposita, ut ab optando & Diis
„ rogandis omnino desistendum videatur.
„ Sed, amice, quisquis es, hoc a me con-
„ silium accipe: Deos ipsos considerare ac
„ deliberare sinito, quid nobis conveniat,
„ quid rebus nostris profuturum sit. Iis e-
„ nim posthabitis quæ nos jucunda & o-
„ ptabilia existimamus, in eorum locum
„ aptissima & utilissima nobis largientur Dii
„ immortales. Cariorem enim hominem
„ habet præstans illa ac divina natura,
„ quam ipse se habeat. Nos, animis im-
„ pellentibus, ductique temerario appetitu
„ atque immoderato, conjugium postula-
„ mus, & fecunditatem uxoris: Dii vero
„ soli noverunt, quæ, & quibus moribus
„ uxor futura sit, quos & quales liberos
„ paritura. Verumtamen ut & Deos peti-
„ tione aliqua honorare possis, & interdum
„ vota concipere, promittereque te datu-
„ rum sacellis atque aris Deorum, viscera
„ pecudum occisarum, ex patria consuetu-
„ dine, offas item de carne suis candidi
„ & electi, cujusmodi victimas Diis offerri
„ decet; præscribam tibi paucis quæ petere
„ debeas. Illud ante omnia orandum est,
„ ut sanitati mentis respondeat bona cor-

„ poris valetudo . Posce tibi constantem
„ animum atque obfirmatum , qui neque
„ mortem ipsam formidet : immo dies ul-
„ timos & finem vivendi in rerum naturæ
„ beneficiis numerandum censeat : qui par
„ sit quibuscumque laboribus sustinendis:
„ qui tantum ab ira , quantum a cupidi-
„ tate longe absit : eamque opinionem im-
„ biberit, ut ærumnas Herculis, laboresque
„ asperrimos, quorum perpessione Deus il-
„ le nobilitatus est , obscœnis voluptati-
„ bus, conviviis, deliciis , otio denique
„ Sardanapali prorsus anteferendos existi-
„ met . En ingentia bona , en felicitas ,
„ quam adipisci atque obtinere, in tua po-
„ testate est. Profecto per solam virtutem
„ ad tranquillam beatamque vitam aditus
„ patet. O Fortuna, si homines deinceps
„ ad prudentiam confugiant, nullum tibi
„ imperium reliquum erit , nulla divini-
„ tas : verum nos ipsi ob inanes cupidi-
„ tates, ac stultas opiniones, te Deam fa-
„ cimus, & in cælestium numero colloca-
„ mus . „ Hanc fere sententiam continet
ἐπίλογος Satyræ hujus præclarissimæ . Animadversiones nonnullas adjungemus, atque ita labore hoc nostro, pro commodis opti-

morum

morum adolescentium, libentissime suscepto, tandem aliquando persungemur.

COMMENTARIUS.

v. 347. PERMITTES *ipsis expendere numinibus, quid Conveniat nobis*] Neque enim judicium Deorum falli potest: qui soli noverunt pretia rerum, & quid quamque rem consecuturum sit. Dictum hoc videtur ex Thaletis Milesii doctrina, qui absolutam & consummatam sapientiam nulli hominum, sed soli Deo tribuebat. v. 350. CARIOR *est illis homo, quam sibi*] Multi veterum philosophorum, Stoici præsertim, tradiderunt, Deos immortales φιλανθρώπους esse, mira scilicet caritate affectos adversus humanum genus; cujus incolumitati omni ratione consulerent. Immo non defuerunt qui docerent, omnia quæ cælo terraque continentur, a Diis hominum caussa tantum fuisse creata. Viderunt enim & ipsi tempore illo tenebricoso scintillas quasdam veritatis. Epicurei contra, philosophorum appellatione prorsus indigni, quum providentiam e mundo sustulissent, caritatem quoque Deorum & gratiam, quod consequens

est, una sustulerunt. Epicuri autem absurdas, impias, & cœtibus hominum inimicas opiniones ejurare videtur Juvenalis.

v. 350. Nos *animorum Impulsu*] Hammonius, & Eustratius, veteres Aristotelis interpretes, & alii vulgo, duas appetitûs partes faciunt, ἐπιθυμίαν, & θυμὸν, nempe concupiscentiam, & iram. Θυμὸς Græcis est animus vehemens, item perturbatio illa qua fit ut sanguis circa cor effervescere incipiat: ἐπιθυμία etiam derivatur ab eadem origine. Hinc factum, ut Latinis quoque *animus* significet cupiditatem: *animi* vero, plurali numero, tum cupiditatem, tum iracundiam. Dicimus, *animi caussâ*, hoc est appetitûs explendi. Horatius vero Epistola 2. lib. 1. *Animum rege, qui nisi paret, Imperat*. puta cupiditatem. nisi forte *de* ira accipiendum sit: antecessit enim: *Ira furor brevis est*. *Animos* numero multitudinis usurpat Juvenalis noster hoc loco pro acuto & vehementi desiderio. Contra Ovidius Epistola Briseidos, de superbia dixit atque iracundia:

Vince animos iramque tuam, qui cetera vincis.

v. 354. VOVEASQUE *sacellis Exsta*] *Sacellum* diminutivum est a *sacrum*, sicuti *lucellum* a *lucrum*: significat vero ædiculam,

seu

ſeu parvam ædem ſacram. Pompejus Feſtus: *Sacella dicuntur loca Diis ſacrata, ſine tecto.* *Exſta* porro ſunt animalium viſcera, quæ olim Deorum honori proſecabantur. Nomen acceperunt ab exſtando & eminendo. Hujuſmodi ſunt jecur, pulmo, lien, cor, præcordia, renes, lingua. Præcipue tamen jecur obſervabant haruſpices, ut ab ejus colore, poſitu, aliiſque ſignis futura divinarent. Tibullus libro 2. Elegia 5. ad Apollinem:

Tuque regis ſortes: per te præſentit haruſpex
Lubrica ſignavit quum Deus exſta notis.

v. 355. ET *candiduli divina tomacula porci*] Tomaculum farciminis genus fuit ex jecore & abdomine ſuillo, additis ovis, caſeo, pipere, liquamine. involvebant autem omento. *Candidulum* appellat *porcum*, non a colore ſætarum, ut puto, ſed potius a viſceribus candenti adipe coopertis. Videtur autem ſignificare porcellum lactentem, quales interdum Diis mactabantur, præſertim agreſtibus. Petronius Arbiter in Satyrico, ad hortorum Deum:

Non ſine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
Corniger, & querulæ fœtus ſuis hoſtia lactens.

Animadvertendum hoc loco Juvenalis, ἐπίθετον sive adjectivum diminutum, pro substantivo diminuto. Ita Catullus dixit *aureolum malum*, Cicero *eburneolam fistulam*. *Divina tomacula*, sunt quæ Deos deceant: sed poeta noster loquitur εἰρωνικῶς, ut absurdam suorum temporum superstitionem perstringat. v. 356. ORANDUM *est ut sit mens sana in corpore sano*] *Sanitatem* proprie Latini veteres menti atque animo tribuerunt, corpori *valetudinem*. Iccirco *insania* opponitur *sanitati*, *morbus valetudini*. Horatius Sat. 5. libri 1.

Nil ego contulerim jucundo sanus amico.

videlicet, si mente constem, nisi delirem. Idem Satyra 4. ejusdem libri:

Nil me pœniteat sanum patris hujus — —

Catullus Carm. 41.

Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos medicosque convocate:
Non est sana puella. nec rogate,
Qualis sit: solet hæc imaginosum.

Nihilominus interdum *sanitatem* dixerunt etiam de corpore. Satis esse potest illud Cornelii Celsi, nitidissimi scriptoris, quo præfationem suorum Medicinæ librorum exorditur: *Ut alimenta sanis corporibus agricultura*,

ra, *sic sanitatem ægris Medicina promittit*.

v. 357. FORTEM *posce animum*, *mortis terrore carentem*] Hoc ex porticu Stoicorum præcipue derivatum. Consulendus Epictetus, vir sapientissimus, in Enchiridio.

v. 358. QUI *spatium vitæ extremum inter munera ponat Naturæ*] Etenim quum homines valde senuerunt, vitam pœnæ, mortem beneficii loco æstimare debent, ac naturæ gratias agere, quod ærumnas & miserias æternas esse noluerit. Plinius hæc Stoicorum decreta secutus, Hist. Natur. lib. 7. cap. 56. *mortem* appellat *præcipuum naturæ bonum*. Legendi etiam sunt de hoc argumento M. Tullius lib. 1. Tuscul. Quæst. qui inscribitur *de contemnenda morte*, & Lucretius in calce lib. 3. ubi Naturam ipsam loquentem inducit, & mortis metum hominibus adimere conantem. Longe diversa de morte ac mortalitate docent Christiani scriptores. Nam Sapientiæ cap. 2. vers. 24. dicitur, Invidia diaboli mortem intrasse in orbem terrarum; ut iccirco non donum naturæ, sed pœna peccati habenda sit.

v. 359. QUI *ferre queat quoscumque labores*] Hic versus ὁμοιοτέλευτος est duobus sequentibus: quod rarum omnino est apud

Latinos poetas. v. 361. HERCULIS *ærumnas*, *sævosque labores*] Qui scriptis poetarum pæne omnium celebrantur. Eurystheus Mycenarum tyrannus, quem Hercules amabat, instigante Junone, ut privignum perderet, novis in dies laboribus miserum fatigabat. Hos ille omnes fortissime & constantissime exantlavit, ac demum immortalitatem atque ἀποθέωσιν adeptus est.

v. 362. ET *Venere*, *&* *cœnis*, *&* *pluma Sardanapali*] Hic postremus fuit rex Assyriorum, vir muliere corruptior, teste Justino Historiarum Trogi libro 1. Ventri nimirum deditus, ac turpissimæ parti corporis, cum scortorum gregibus assidue volutabatur, inter quos more mulierum purpuram colo nebat, & muliebri veste indutus, quum mollitia corporis, & oculorum lascivia feminas omnes anteiret, pensa inter ancillas partiebatur. Ob ejus porro libidines atque ignaviam, imperium orbis terrarum ab Assyriis ad Medos translatum est.

v. 362. ET *pluma*] Culcitæ ac pulvini summatum hominum, pluma, vel tomento mollissimo farciri solent. Quapropter κατ' ἀναλογίαν *pluma* significare otium cœpit. Notissimum illud Petrarchæ: (*nel Son.* 7.)

La

La gola, e'l ſonno, e l'oziose piume
Hanno del mondo ogni virtù sbandita.

v. 363. MONSTRO *quod ipſe tibi poſſis dare*] Stoici enim ſuperbia elati, cenſebant, unumquemque, ſapientem ac bonum fieri poſſe viribus tantum ſuis, abſque ulla Deorum ope. Verum hæc ſententia Juvenalis eſſe poteſt: Dii quum bona reliqua, tum virtutem quoque & ſapientiam petentibus largiuntur. Quid igitur dubitamus, pro bonis tam eximiis, Diis vota facere? Quum in cujuſque poteſtate ſit orare Deos, erit etiam, ſapientiam & virtutem adipiſci, quæ Deos orantibus conceduntur.

v. 365. NULLUM *numen habes, ſi ſit prudentia*] Convertit poeta ſermonem ad Fortunam, quæ in tabulis mortalium utramque paginam faciebat, Plinio teſte: aitque, illam ſomnium, & inane nomen futuram, ſi homines uti prudentia voluerint. Nam Epicurus ipſe pronuntiavit, *Sapienti raro admodum intervenire Fortunam*. Sunt qui legant, *Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia:* quaſi diceret, prudentiam ſolam Deorum omnium loco eſſe poſſe. Verum alia lectio præferenda. Hunc verſum, & dimidium ſequentis repetit Juvenalis Sat. 14. v. 315.

v. 365.

v. 365. Nos *te*, *Nos facimus*, *Fortuna*, *Deam*, *cæloque locamus*] Tolle hominum insanas cupiditates, tolle eorumdem falsas de Fortuna opiniones; jam Fortunam ipsam ex universo sustuleris. Nos enim soli, si vera dicenda sunt, hoc εἴδωλον, hoc spectrum capitibus nostris imposuimus, eique, tamquam præpotenti Deæ ac cælestium uni, infinitam rerum omnium licentiam tribuimus. Tandem igitur Satyræ hujus pulcherrimæ, gravissimæ, utilissimæ exponendæ, superis adjuvantibus, finem facio.

μόνῳ τῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα.

FINIS

INDEX
IN LIBRUM
DE SATYRA LATINA
& in Commentarium ad Satyram X. Juvenalis.

A

Anti-

Catul-

Con-

Demo-

E

Epi-

F

G

Hen-

I

Me-

N

O

P

Pyli

Q

R

S.

Scho-

Sthe-

Thra-

V

Vir-

FINIS.

NOI

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVENDO veduto per la Fede di revisione, ed approvazione del P. Fra Paolo Antonio Ambrogi Inquisitore di Padova, nel Libro intitolato: *Joannis Antonii Vulpii Liber de Satyræ Latinæ natura, & ratione, ejusque Scriptoribus, qui supersunt, Horatio, Persio, Juvenale &c. Item ejusdem Vulpii Paraphrasis perpetua &c.* non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per attestato del Segretario Nostro, niente contra Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giuseppe Comino*, Stampatore in Padova, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 24. Giugno 1743.

(Gio. Pietro Pasqualigo Rif.
(Giovanni Querini Proc. Rif.
(

Registrato in Libro a carte 12.

Agostino Bianchi Segretario.



PATAVII. CIƆIƆCCXLIV.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.